NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 E
15

11-19-a-4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CVRSVS
PHILOSOPHICVS
In quatuor Tomos diuiſus.

AVTHORE

OCTAVIO CATTANEO
Societatis IESV.

TOMVS QVARTVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Complectens

Quæſtiones, & Diſputationes in Vniuerſam Ariſtotelis Metaphyſicam: cum Indice Generali omnium Rerum quæ continentur in toto Curſu Philoſophico.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

IHS

IOAN. MARIA CARD. GABRIELLIVS

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. 1677.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM,
Quæ in Quarto Tomo Curſus Philoſophici continentur.

DISPVTATIO I.

DE primis principijs Metaphyſicæ. Pag. 4
Quæſtio I. Quid ſint, quot ſint; & an poſſint demonſtrari prima principia metaphyſica. 4
Q. II. Vtrum principia metaphyſica poſſint falſificari, vel negari. 17
Q. III. Quanam identitas ſit neceſſaria, vt duo contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera. 32

DISPVTATIO II.

DE conceptu abſtractiſſimo entis. 46
Quæſtio I. An ſit, quid ſit, & quotuplex ſit ens reale. 46
Q. II. Vtrum differentiæ entis præſcindant ab ente. 55
Q. III. Vtrum ens præſcindat à differentijs. 61
Q. IV. Vtrum ens ſit analogum ſubſtantiæ & accidenti. 66
Q. Vlt. Vtrum ens ſit analogum Deo & creaturæ. 72

DISPVTATIO III.

DE ente abſoluto, & relatiuo. 78
Quæſtio I. An ſit, & quid ſit ens relatiuum. 78
Q. II. Vtrum ens relatiuum ſit realiter diſtinctum à duplici ente abſoluto. 82
Q. III. Vtrum ens relatiuum ſit totum in fundamento. 95
Q. Vlt. Vtrum terminus conſtituat intrinſecè ens relatiuum. 99

DISPVTATIO IV.

DE ente poſſibili, & impoſſibili. 111
Quæſtio I. Quid ſit poſſibile, & impoſſibile. 111
Q. II. Vtrum poſſibilitas potentialis ſit extrinſeca rei purè poſſibili. 118
Q. III. Vtrum poſſibilitas actualis, & impoſſibilitas actualis ſit intrinſeca rei purè poſſibili, & impoſſibili. 120
Q. Vlt. Vtrum ſola omnipotentia Dei ſit actualis poſſibilitas

omnium poſſibilium, & actualis impoſſibilitas omnium impoſſibilium. 130

DISPVTATIO V.

DE veritatibus obiectiuis neceſſarijs. 141
Quæſtio I. *An ſit, & quid ſit id, quod verificat propoſitiones æternæ veritatis.* 142
Q. II. *Vtrum omnis propoſitio æternæ veritatis verificetur per aliquid à Deo realiter indiſtinctum.* 155
Q. III. *Vtrum neceſſitas, quâ neceſſe eſt eſſe veram omnem propoſitionem æternæ veritatis, exiſtat phyſicè.* 161
Q. IV. *Quænam fuerit veterum philoſophorum ſententia de veritatibus æternis.* 175
Q. Vlt. *Quænam fuerit veterum Theologorum de eiſdem veritatibus ſententia.* 188

DISPVTATIO VI.

DE ente negatiuo, & priuatiuo. 199
Quæſtio I. *Vtrum dentur à parte rei negationes formales.* 200
Q. II. *Vtrum negationes formales ſint entia abuſiua.* 212
Q. III. *Vtrum negationes formales ſint realiter indiſtinctæ ab ente poſitiuo creato, vel increato.* 223
Q. Vlt. *Quid ſit ens poſitiuum contingens, à quo realiter non diſtinguitur negatio contingens.* 236

DISPVTATIO VII.

DE potentia obedientiali. 255
Quæſtio I. *Quid ſit, & an ſit Potentia obedientialis.* pag. 255
Q. II. *Vtrum omnis ſubſtantia creata habeat identicè potentiam obedientialem.* 263
Q. III. *Vtrum potentia obedientialis debeat eleuari à Deo, vt exerceat actum ſupernaturalem.* 269
Q. IV. *Vtrum potentia obedientialis influat in actum ſupernaturalem.* 281
Q. V. *Vtrum quodlibet poſſit eleuari per potentiam obedientialem ad producendum quodlibet.* 289

DISPVTATIO VIII.

DE ente impoſſibili, eiuſque cognitione. 311
Quæſtio I. *Vtrum intellectus poſſit cognoſcere obiectum impoſſibile.* 311
Q. II. *Vtrum incognoſcibile poſſit cognoſci.* 323
Q. III. *Vtrum omnis intellectus cognoſcat impoſſibile.* 329
Q. IV. *Vtrum cognitio entis impoſſibilis inferat duplicem* pro-

propoſitionem contradictoriam nunc verum? 353
Q. VIt. *Quid ſit id, quod nunc veram facit vtramque contradictoriam hypotheticam ſub hypotheſi impoſſibili.* 372

DISPVTATIO IX.

DE *proprietatibus Entis.* 398
Quæſtio I. *Vtrum omne ens ſit verum bonum, & vnum.* 398
Q. II. *Vtrum veritas, & falſitas ſit in intellectu.* 402
Q. III. *Vtrum malum conſiſtat in aliquo prædicato poſitiuo.* 412
Q. IV. *Vtrum ſit poſſibile ſummum malum excludens omne bonum.* 422
Q. VIt. *Vtrum omne ens ſit relatiuum.* 429

DISPVTATIO X.

DE *intelligentijs ſiue Angelis.* 438
Quæſtio I. *Quid ſint, & an ſint Angeli.* 438
Q. II. *De Cognitione, & Locutione Angelorum.* 452

DISPVTATIO XI.

DE *Deo Vno.* 464
Quæſtio I. *Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum?* 464
Q. II. *Vtrum Deum eſſe ſit euidens ex cap. entis optimi & perfectiſſimi.* 474
Q. III. *Vtrum ſit euidens Deum eſſe ſub conceptu entis à ſe, & neceſſarij.* 481
Q. IV. *Vtrum ſit euidens Deum eſſe ex capite cauſæ in cauſata, & mouentis immobilis.* 485
Q. VIt. *Vtrum ſit euidens Deum eſſe ſub conceptu finis vltimi, primi intellectus, & ſupremi legislatoris.* 489

DISPVTATIO XII.

DE *concurſu cauſæ primæ.* 494
Quæſtio I. *Vtrum cauſa ſecunda eſſentialiter pendeat à Deo in operando.* 494
Q. II. *Vtrum Deus immediatè concurrat cum cauſis liberis.* 507
Q. III. *Vtrum Deus per phyſicam prædeterminationem concurrat ad actus Liberos.* 515
Q. IV. *Vtrum Deus concurrat ad actum bonum liberum eum prædefiniendo & efficaciter volendo.* 526
Q. V. *Vtrum omnis neceſſitas antecedens tollat libertatem.* 539
Q. VI. *Vtrum poſſit eſſe liberum conſequens cui non eſt liberum antecedens.* 559

DIS-

DISPVTATIO XIII.
De modo quo cauſa prima ponit ſuam omnipotentiam in manu liberi arbitrij. 569
Quæſtio I. *Vtrum omnipotentia Dei ponatur in manu liberi arbitrij per aliquid intrinſecum libero arbitrio.* 569
Q. II. *Vtrum omnipotentia diuina ponatur formaliter in manu liberi arbitrij per actum voluntatis diuinæ, qui non eſt alicuius rei volitio.* 577
Q. III. *Vtrum omnipotentia Dei ponatur in manu liberi arbitrij per Decretum indifferens, & ex parte obiecti diſiunctiuum.* 581
DISPVTATIO XIV.
De libertate cauſa primæ & concordia cum eius immutabilitate. 595
Quæſtio I. *Vtrum cauſa prima ſit libera.* 586
Q. II. *Vtrum omnis actus liber diuinæ voluntatis fuerit ab æterno.* 608
Q. III. *Vtrum actus liberi Dei compleantur per aliquid extrinſecum & exiſtens in tempore.* 623
Q. IV. *Vtrum complementum actus liberi ſit aliquid extrinſecum Deo, & exiſtens ab æterno.* 643
Q. V. *Vtrum complementum actus liberi diuini ſit intrinſecum Deo.* 651
Q. Vlt. *Vtrum ex capite contingentiæ repugnet realis identitas terminationis liberæ cum Deo.* 671
DISPVTATIO XV.
De Deo quatenus vltimo fine. 687
Quæſtio I. *An detur in natura vltimus finis ſiue felicitas.* 687
Q. II. *Vtrum naturalis Felicitas conſiſtat in bono finito, vel infinito.* 693
Q. III. *Vtrum Deus ſit vltimus finis ſubſtantiarum rationalium & irrationalium.* 704
DISPVTATIO VLTIMA.
De aſeitate, vnitate, & prouidentia Dei. 708
Quæſtio I. *Vtrum conceptus formalis Dei ſit conceptus formalis entis à ſe.* 708
Q. II. *Vtrum Deus, quid à ſe eſt, ſit vnus, immenſus, æternus, omnipotens & omniſcius.* 714
Q. Vlt. *Vtrum Deus habeat Prouidentiam Mundi.* 720

IOANNES PAVLVS OLIVA PRAEPOSITVS GENERALIS Societatis IESV.

CVm opus, quod inſcribitur *Curſus Philoſophicus*, à P. Octauio Cattaneo noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos pertinet, ita videbitur, in cuius rei teſtimonium has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſolitoque Sigillo munitas dedimus. Romæ 8. Iulij 1677.

Ioannes Paulus Oliua.

Im-

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS METAPHYSICAM

Procemium.

VLtimam eamque præſtantiſſimam totius Philoſophiæ partem tractare aggredior, hanc ab Ariſtotele traditam in decem, & quatuor libris metaphyſicorum alij Philoſophiam tranſnaturalem; alij naturalem Theologiam appellant, quia ſpeculatur non ſolum prædicata communia enti materiali, & immateriali; ſed etiam res immateriales, nimirum intelligentias, & Deum tanquam authorem totius naturæ, in cuius contemplatione debet gradum ſiſtere facultas intelligendi. Inde eſt, quod metaphyſica vocatur naturalis Theol. ne videlicet cum illa Diuina facultate confundatur, quam theologiam ſuper naturalẽ vocant, & veritas diuinitus réuelata terris inuexit. Quo fit vt metaphyſica contempletur rationem abſtractiſſimam entis realis, adeoque ens in quantum ens, vt oſtenſum fuit in lib. primo diſp. vlt. qu. vlt. nu. 10. nimirum ens præciſiué, & poſitiué immateriale. Hinc opus eſt metaphyſicã in duas partes tribuere, quarum prima complectitur tractationem de ente immateriali præciſiué, hoc eſt de rationibus quæ ſunt communes omnibus rebus corporeis, & in-

incorporeis; altera complectitur ens immateriale poſitiue, quod conſiſtit in ſubſtantijs intelligibilibus, & ab omni labe materiæ ſegregatis. Hanc methodum ſeruat Ariſtoteles in hac facultate tradenda, eaque propter in primis decem ſuæ metaphiſicæ libris agit de ente immateriali præciſiuè, vbi omnia perſpicuè, & diligenter euoluit, quæ ſpectant ad rationes abſtractiſſimas, & tranſcendentales omnium rerum · in libris conſequentibus totus eſt in ſpeculatione entis poſitiuè immaterialis, adeoque duodecimum librum, qui à multis cenſetur poſtremus totius metaphyſicæ, concludit demonſtrando Deum, qui eſt ſupremus in genere rerum immaterialium, eſſe vnicum tantum, his verbis, quæ continent ſpeculationem tanto Piloſopho dignam. *Entia nolunt male gubernari: non eſt bonum multitudo principatuum: vnus, ergo Princeps.*

Nos etiam inhærentes veſtigijs eiuſdem Philoſophi omnes diſputationes metaphyſicas in duas partes tribuimus, in prima tractabimus de ente præciſiuè immateriali, vbi omnia complectemur, quæ ſpectant ad naturam, & proprietates entis realis, iJs prætermiſſis, quæ in 1. 2 & 3. noſtræ Philoſophiæ tomis opus fuit è re nata diſputare, eſt enim difficillimum eas ſcientias tradere, quæ ad metaphyſicam referuntur & omnino abſtinere à cognitione earum rerum, quæ ad eamdem metaphyſicam ſpéctant. Deinde vniuerſa, quæ pertinent ad ſubſtantias à materia ſeparatas, examinabimus, quantum ſpectat ad lumen naturæ, reiectis ad Theologos illis quæſtionibus, quæ non poſſunt de Angelis ac Deo ſine lumine fidei definiri.

Vnde patet dignitas, & nobilitas huius ſcientiæ, quam Ariſtoteles in primo libro metaphyſico-

corum meritó appellat ſapientiam, quia contemplatur cauſas ſupremas, & altiſſimas omnium rerum; adeoqué talem ſcientiam, vt poſſit extinguere omnem admirationem, quæ naſcitur, quando cauſa alicuius effectus ignoratur. De huius ſcientiæ nobilitate & excellentia nihil dico præter ea, quæ in logica docui dum partitionem omnium ſcientiarum ex Ariſtotelis mente propoſui: qui plura in hac re deſiderat poteſt legere totum primum Ariſtotelis librum & diſputationem primam metaphyſicam Franciſci Suarij; qui copioſe de hac re tractauit.

***

DE ENTE IMMATERIALI PRAECISIVE.

DISPVTATIO PRIMA.

IOAN. MARIA R.D. GABRIELLIVS

De primis principijs Metaphyſicæ.

OPus eſt eſt in qualibet facultate, ſcientia, & arte exordium ſumere ab illis rebus, quæ ſunt prima eiuſdem principia, cætera enim dependent à perfecta eorumdem intelligentia: ideò Ariſtoteles ait quemlibet errorem circa prima principia eſſe maximi momenti, quia ille error, qui eſt minimus in principio, eſt maximus in fine. Metaphyſicam igitur exordiri debeo ab illis veritatibus, in quibus fundantur cæterę veritates circa naturam entis poſitiuè, & præciſiuè immaterialis.

QVAESTIO I.

Quid ſint, quot ſint, & an poſſint demonſtrari prima principia metaphyſica.

1. QVod ſpectat ad notionem principij ſatis arbitror, quæ docui ex doctrina Philoſophi in tomo 1. diſp.vlt. quæſt. 3. nu.6 vbi ea ſuſcepi pertractanda, quæ ad ſyllogiſmum demonſtrati-

tiuum pertinet,& in tom.2. diſputat.1. quæſtion:3. num.1. vbi cum eodem philoſopho ſermo fuit de principijs rerum naturalium; ne igitur actum videar agere, ea conſulto prætermitto, quæ ſpectant ad intelligentiam illius principij, quod in omnibus facultatibus, artibus, & ſcientijs vocatur primum, eo quod cætera, quæ in eiſdem tractantur, natura ordine, & dignitate antecedit. Nolo tamen præterire duplicem ſimilitudinem, quam adhibet Ariſtoteles ad cognoſcendam naturam primi principij, quod ſingulæ ſcientiæ ſingillatim ſpeculantur. Vna eſt ſimilitudo ſeminis,quod eſt mole minimũ, virtute maximum. Hæc ſimilitudo, quam affert Ariſtoteles in ſecundo Elenchorum cap.8. n.5.optimé quadrat primis principijs omnium artium, & ſcientiarum; quia ſicuti in ſemine plantæ continetur planta, & in ſemine animalis continetur animal,itá in primis principijs continentur omnesveritates, circa quas ſcientiæ verſantur. Hinc apparet mirabilis ordo naturæ in rebus tàm naturalibus, quam intelligibilibus, ibi enim ordinauit ſemina ad propagandas rerum materialium naturas, hic ordinauit prima principia, ſiue quaſdam per paucas veritates ad omnem veritatem intelligendam, adeoque ad ſcientiam propagandam. Alia ſimilitudo deſumitur ex fine, qui mouet voluntatem ad operandum, hic enim reperitur in qualibet electione mediorum, quia medium quatenus medium non habet aliam bonitatem præter bonitatem finis, adeoque neceſſe eſt vt amor mediorum originem habeat ex amore, & intentione finis. Comparat Ariſtoteles in 1. phyſicorum cap.10. nu.3.& 4. prima principia, quibus vtimur in alicuius veritatis ſpeculatione cum ipſo fine, cuius gratia cætera operamur: quemadmodum enim nihil amatur niſi

ex amore finis, ità nihil cognoſcitur niſi ex cognitione illius veritatis, quæ eſt primum principium alicuius ſcientiæ. Præterea hoc ſolet contingere in amore finis, & amore, mediorum, quod media amantur propter finem, & finis amatur propter ſe; amor enim finis eſt menſura amoris quo amantur media. Hoc idem proportionaliter contingit in veritate primi principij, & cæteris veritatibus, iſtæ enim demonſtrantur per veritatem primi principij, veritas autem primi principij non demonſtratur per aliam veritatem, quia per ſe ipſam ſatis innoteſcit.

2. Eſt commune cuilibet ſcientiæ habere aliqua prima principia, quæ debent ab omnibus ſcientijs ſingillatim tradi. Ratio eſt, quia nulla eſt ſcientia, quæ non demonſtret ſuas concluſiones per prima principia, cum ſpectet ad quamcumque ſcientiam cognitio certa, & euidens. Repugnat autem demonſtrare aliquam concluſionem, & eamdem non reſoluere in aliqua prima principia indemonſtrabilia, vt demonſtrat philoſophus in primo poſteriorum; omnis igitur ſcientia debet vti aliquibus primis principijs, in quibus fundantur omnes veritates, quæ ad illam ſpectant. Id totum patet inductione facta in omnibus ſcientijs, in quibus traduntur aliquæ veritates, quæ ab eiſdem ſcientijs non probantur per alias veritates, ſed aſſumuntur, tanquam fundamenta omnium veritatum: ità Mathematica aſſumit hoc principium, *ſi ab æqualibus æqualia demantur, quæ remanent ſunt æqualia*: ex quo principio plurimas veritates demonſtrat ad Geometriam, Arithmeticam, cæteraſque Mathematicæ partes pertinentes: Philoſophia naturalis, quæ eſt Phyſica, aſſumit hoc principium, *omne id quod conſtat ex elementis eſt generabi-*

rabile, & corruptibile, ex quo principio plurima oſtendit circa naturam, fabricam, & proprietates corporis naturalis: Philoſophia rationalis, quæ eſt dialectica, aſſumit hoc principium: *Quid quid affirmatur vel negatur de termino ſuperiori, affirmatur, vel negatur de termino inferiori* ex hoc principio demonſtrat concludere omnes ſyllogiſmos formales, cæteroſque non concludere, qui deflectunt à legibus rectæ argumentationis. Ex huiuſmodi principijs, quæ ſunt diuerſa in diuerſis ſcientijs, quædam ſunt, vt Ariſtoteles docet, quæ ſunt neceſſarió vera, & neceſſarió videntur vera: alia ſunt, quæ neceſſariò ſunt vera, ſed non videntur neceſſarió vera, opus enim eſt aliquo ſtudio, & aliqua exercitatione ad cognoſcendam eorum veritatem. Hinc multa aſſumũtur á Mathematicis, & Phyſicis, quæ apud illos qui profitentur has facultates, ſunt certa, & indubitata, cæteris verò non ſunt certa, immó videntur falſa.

3. Metaphyſica igitur, quæ eſt ſcientia, immó ſcientia ſcientiarum, vt pote ſuprema ſcientia, debet neceſſariò tradere aliquas veritates, quæ ſunt prima principia, & fundamenta omnium ſpeculationum ad huiuſmodi facultatem pertinentium. Prætereá, vel nulla ſcientia habet prima principia, in quorum ſpeculatione fundantur omnes demonſtrationes; vel Metaphyſica contemplatur aliqua prima principia: atqui euidens eſt, aliquam eſſe ſcientiam, quæ demonſtrat ſuas concluſiones, eas reſoluendo in prima principia: ergo euidens eſt aliqua eſſe prima principia, quorum ſpeculatio ad Metaphyſicam pertinet. Maior demonſtratur, quia Metaphyſica debet probare omnia illa principia, quæ á cæteris facultatibus aſſumuntur tanquam certa & indubitata, vt Philoſophus demonſtrat

ex ipſa dignitate huius ſcientiæ, quæ verſatur circa rationem abſtractiſſimam entis: repugnat autem in terminis, vt illa ſcientia, quæ eſt nobilior, & ſuperior cæteris ſcientijs nimirum phyſica, & mathematica oſtendat eſſe vera earumdem principia, niſi vtatur alijs principijs, ex quorum veritate dependeat veritas cæterorum principiorum, quæ ab omnibus ſingillatim conſiderantur. Huc adde, quod eadem eſt connexio ſcientiæ cum ſcientia, ac artis cum arte; ſicuti enim datur aliqua ars omnium ſuprema, cui cæteræ famulantur, itá datur aliqua ſcientia omnium præſtantiſſima, cui cæteræ inſeruiunt: huiuſmodi ſcientia eſt procul dubio Metaphyſica, quam proptereá Ariſtoteles in lib. 1. cap. 2. & 3. appellat ſapientiam; neceſſe eſt igitur, vt cæteræ ſcientiæ inſeruiant metaphyſicæ eo modo, quo cæteræ artes inſéruiunt prudentiæ, quam vocat artem artium idem Ariſtotelés. Quia veró repugnat; vt ars artium, cui cæteræ artes famulantur, non habeat pro fine aliquod bonum ſibi proprium, & longè præſtantius cæteris bonis, quorum gratia operantur inferiores artes; ideò repugnat, vt metaphyſica non ſpeculetur aliquas veritates altiſſimas, & nobiliſſimas, quæ ſunt ſibi propriæ, & longè ſublimiores cæteris veritatibus, quæ ſunt prima principia inferiorum facultatum; quia prima principia itá ſe habent in rebus ſpeculabilibus, ſicuti finis in agibilibus.

4. Hinc Metaphyſica omnium opinione contemplatur cauſas altiſſimas, & principia vniuerſaliſſima, quæ habent fundamentum in ipſa natura entis, quod eſt obiectum huius ſcientiæ. Iſta principia cognoſcit Metaphyſica per illum habitum, qui eſt habitus primorum principiorum, ſiue habitus intellectus, & eſt vna ex quinque virtutibus intel-

telleᵉualibus iuxta celebrem diuiſionem virtutis in moralem, & intellectualem, quam tradit Ariſtoteles in lib. 6. Ethicorum cap. 3.

5. Huiuſmodi principia, quæ huic ſcientiæ ſunt propria, vulgo recenſentur eſſe; *quodlibet eſt vel non eſt, & idem non poteſt ſimul eſse, & non eſse,* quæ duo principia originem habent ex iſta veritate omnibus notiſſima: *contradictoria non poſsunt eſse ſimul vera, nec ſimul falſa*: Ex eo enim quod non poſſunt ſimul verificari, nec ſimul falſificari ea, quæ opponuntur contradictorié, conſequens eſt, vt idem non poſſit eſſe ſimul, & non eſſe, alioquin contradictoria eſſent ſimul vera: præterea conſequens eſt vt quodlibet ſit, vel non ſit; ſi enim aliquid neque eſſet, neque non eſſet, contradictoria eſſent ſimul falſa; ſi ergo repugnat, vt contradictoria ſint vera ſimul, & falſa, neceſſe eſt quodlibet eſſe, vel non eſſe, & impoſſibile eſt idem eſſe ſimul, & non eſſe. Quare veritas huius duplicis principij: *quodlibet eſt vel non eſt: impoſsibile eſt idem ſimul eſse, & non eſse*: eſt formaliſſime veritas huius principij: *contradictoria non poſsunt eſse ſimul vera, nec ſimul falſa.*

6. Quid ſint prædicata oppoſita contradictoriè, ſatis conſtat ex doctrina, quam tradidi in tomo 1. diſp. 10. qu. 1. num. 6. vbi ſermo fuit cum Ariſtotele de qualibet oppoſitionis ſpecie: ea enim, quæ opponuntur contradictorié, opponuntur ſicuti affirmatio, & negatio: indè eſt, quod á veritate affirmationis valet conſequentia formalis ad falſitatem negationis, & viceuerſa à veritate negationis ad falſitatem affirmationis, ſicuti á veritate vnius contradictorij valet formalis conſequentia ad falſitatem alterius. Notat Philoſophus particulam diſiunctiuam, quæ inuenitur in hoc principio metaphy-

taphyſico *quodlibet eſt vel non eſt*, ſupponere determinaté, non confusé, & vage ſicuti ſupponit confusé & vagé in hac propoſitione: *hic vel ille oculus requiritur ad videndum*: Ratio eſt, quia particula diſiunctiua tunc ſupponit confusé, quando de nullo determinaté verificatur prædicatum, quod dicitur de ſubiecto, vt contingit in prædicta propoſitione, vbi neceſſitas ad videndum non verificatur determinaté de oculo dextero, neque de oculo ſiniſtro, neuter enim determinate ad videndum requiritur, licet alteruter indeterminate ſit neceſſarius, adeoque ex eo quod vnus oculus non requiritur ad videndum, non ſequitur alium requiri: contrarium accidit in hoc principio *quodlibet eſt, vel non eſt*, quia ex veritate determinata vnius infertur falſitas determinatá alterius; ſicuti ex falſitate determinata vnius infertur veritas determinata alterius; ſi enim determinatè eſt falſum Petrum eſſe, eſt determinatè verum Petrum non eſſe.

7. Quibus poſitis circa naturam, & numerum primorum principiorum, quæ ad metaphyſicam ſpectant, poteſt eſſe dubium, an huiuſmodi prima principia debeant ab eadem metaphyſica probari, & demonſtrari. Ratio dubitandi eſt primò, quia non ſunt omnibus nota, aliqui enim eorum veritatem in dubium vocarunt, vt Heraclitus, qui fuit in ea ſententia, quod contradictoria eſſent ſimul vera, vt refert Ariſtoteles lib. 4. Metaph. capit. 5. num. 1. 2. & 3. & Protagoras, qui, vt refert idem Ariſtoteles ibidem num. 1. ait eſſe verum quidquid apparet verum, adeoque duo contradictoria eſſe ſimul vera, quia poteſt contingere, vt ex duobus oppoſitis contradictorié vnum Petro, aliud Paulo verum appareat: neceſſe eſt igitur, vt intellectus de-

demonſtrat eſſe vera hæc principia demonſtrando veritatem huius principij apud aliquos philoſophos incertam: *contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa*.

8. Secundó: docet Philoſophus prima principia cuiuslibet ſcientiæ non debere demonſtrari ab illis ſcientijs, á quibus aſſumuntur tanquam certa; ea enim demonſtrare ſpectat ad ſcientiam ſuperiorem, ad quam ſingulæ referuntur: hinc eſt, quod prima principia, quę ſunt in omnibus ſcientijs, non ſunt adeo certa, vt non debeant vlterius demonſtrari: Quia vero nulla eſt ſcientia nobilior, & ſuperior metaphyſica, ideó ad metaphyſicam ſpectat probare, & demonſtrare prima principia, quibus vtitur ad cętera demonſtranda, vt nimirum reddat intellectum certum, & imperturbabilem in cognitione earum veritatum, quæ fundantur in iſtis principijs.

8. Tertió: Eſt vtile intellectui ſcire cauſam, & rationem, propter quam ſunt vera prima principia, quibus vtitur metaphyſica, ergo ad hanc ſcientiam pertinet eadem principia demonſtrare. Antecedens probatur, quia non eſt minus vtile intellectui cognoſcere cauſam, propter quam ſunt vera principia metaphyſica, quam ſit eidem vtile cognoſcere, cur ſint vera principia phyſica, & mathematica, ergo vel vtrumque, vel neutrum eſt inutile: vtrumque autem, vt omnibus conſtat, non eſt inutile, igitur neutrum eſt inutile.

10. Vt hoc dubium facile ſoluas, debes cum Ariſtotele duplicem modum diſtinguere alicuius veritatis probandæ, & vlterius confirmandæ: vnus modus eſt per oſtenſionem, qui conſiſtit in ſyllogiſmo demonſtrante veritatem dubiam, & incertam per aliam veritatem magis notam, & magis certam

tam: hoc modo Euclides demonſtrat omnes ſuas propoſitiones vtendo alijs propoſitionibus, quæ apud Mathematicos ſunt magis certæ, & magis notæ. Idem demonſtrandi modus adhibetur á metaphyſica, dum oſtendit Deum eſſe, id enim demonſtrat ex alio principio magis noto, quod nimirum non repugnet rationi entis ratio entis neceſſarij & infiniti, adeoq; non repugnet ens infinitum, & neceſſarium: neceſſe eſt igitur vt exiſtat ens infinitum, & neceſſarium alioquin non eſſet neceſſarium, vt ex terminis conſtat. Alius modus probandi aliquam veritatem, quæ in dubium vocatur, conſiſtit in eo argumentationis genere, quod Ariſtoteles vocat in ſua Dialectica Elenchum ſiue redargutionem, Elenchus enim eſt vox græca, quę latine reddita ſignificat redargutionem. Finis huius argumentationis eſt arguere contra id, quod alter dicit, adeoque arguere ad contradicendum alteri per ſyllogiſmum, qui vocatur ſyllogiſmus contradictionis. Quia vero non poteſt argui ad contradicendũ alteri, niſi ex rebus conceſſis progrediendo ad rem non conceſſam, & negatam: idcirco, qui vtitur hoc argumentandi genere, debet oſtendere aduerſarium, cum quo diſputat, ſecum ipſo pugnare, idem affirmando, & negando. Hinc licet in hunc modum arguenti adhibere veritatem minus notam ad probandam magis notam, quia debet redarguere eum, cum quo diſputat, oſtendendo ſibi non ſatis conſtare, dum ex duabus rebus, quarum vna eſt minus nota, alia magis nota, illàm affirmat, iſtam negat.

11. Poſito hoc duplici argumentandi genere demonſtrat Ariſtoteles in quarto Metaphyſicę c. 5. prima principia Metaphyſica nec deberé, nec poſſe probari eo argumentandi genere, quo proban-

tur

tur veritates minus notę per veritates magis notas. Ratio eſt euidens tum á priori, tum á poſteriori; In primis repugnat in terminis, vt inueniatur aliqua veritas, quę non ſit notiſſima, adeoque poſſit ac debeat demonſtrari per aliam veritatem magis notam, alioquin intellectus poſſet ire in infinitum, quando aliquid demonſtrat, quod aperte repugnat: Hinc euidenter oſtendit Ariſtoteles in lib. 1. poſteriorum proceſſum in infinitum non minus repugnare in genere cauſę phyſicę, quam in genere cauſę intentionalis, & obiectiuę. Deinde experientia conſtat, nullum eſſe principium, quod ſit euidentius, & notius hoc principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*, ſiue quod eodem reuoluitur *contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa*, quia omnes veritates per hoc principium probantur; ſicuti ergo in genere viſibilis non datur aliquid magis viſibile ipſa luce, quę omnia illuſtrat, ita in genere veri, & intelligibilis nihil eſt magis intelligibile hac veritate, per quam omnia intelliguntur. Hinc patet diſcrimen inter prima principia Metaphyſiſica, & prima principia mathematica, vel phyſica, quod iſta poſſunt, & debent probari demonſtratiué, ſicuti reuera probantur á ſuprema ſcientia, illa veró á nulla ſcientia debent, vel poſſunt demonſtratiué probari.

12. Igitur principia metaph. poſſunt, & debēt aliá via probari; quandoquidem poſſunt eſſe aliqui adeo contumaces, & proteruí, qui volunt de eorum veritate dubitare, eos nimirum redarguendo. Id autem pluribus modis effici poteſt, quos enumerat Ariſtoteles ibidem: nobis ſatis erit duos tantum producere, oſtendendo quomodo ad metaphyſicam ſpectet eam veritatem, quæ eſt in primis principijs, tueri aduerſus eos, qui eadem oppugnant.

13. Pri-

13. Primò igitur arguitur ex natura locutionis ad redarguendum quicumq; loquendo dicit contradictoria eſſe ſimul verá, in hunc modum. Qui loquitur, vel nihil dicit, vel aliquid determinatè dicit, qui enim nihil determinatè dicit, nihil dicit adeoque non loquitur; ſed qui aliquid determinatè dicit, ſibi contradicit, dum dicit contradictoria eſse ſimul vera; ergo qui loquitur ſibi contradicit, cum dicit contradictoria eſſe ſimul vera; ergo vel non loquitur, vel non dicit contradictoria eſſe ſimul vera quicumque loquitur: repugnat autem non loqui dicentem contradictoria eſſe ſimul vera, ergo ex natura locutionis redarguitur falſum dicere, qui dicit contradictoria eſſe ſimul vera, adeoque non ſentire illud ipſum, quod dicit, cum cæteris contradicit dicentibus contradictoria non eſſe ſimul vera. Minor demonſtratur. Qui aliquid determinatè dicit, non dicit omnia, alioquin nihil dicit, qui enim dicendo hominem in foro ludere, dicit, ludere, & ſimul non ludere hominem in foro, nihil dicit: & ratio á priori eſt, quia nomen & ſermo debet aliquid ſignificare, tùm reſpectu loquentis tùm reſpectu audientis: qui enim diſputat, & negat nomen, vel ſermonem aliquid ſignificare non poteſt loqui, neque diſputare: quicumque ergo loquitur, debet neceſsario concedere aliquam ſignificationem nomini ac ſermoni: hoc autem concedere eſt manifeſtè negare omnià ſignificari quolibet nomine, & quolibet ſermone, adeoque non ſignificari nonhominẽ hac voce *homo*: Hoc igitur nomen *homo* ſignifica hominem, & non ſignificat aliquid diſtinctum ab homine. Hoc neceſse eſt concedi ab illo, qui loquitur, & diſputat, alioquin non poteſt neque loqui neque diſputare: neceſse igitur eſt vt hoc concedendo deſtruat illud ip-

ipſum, quod dicit, nimirum contradictoria eſſe ſimul vera, quia ſi eſt verum contradictoria eſſe ſimul vera, eſt etiam verum hoc nomen *homo* ſignificare hominem, & ſignificare non hominem, adeoque hominem ſimul, & non hominem intelligi ac ſignificari ab illo, qui dicit hominem in foro ludere: atqui non eſt verum, vt ille ipſe, contra quem arguitur, vltro concedit, ſignificari hominem & non hominem, quando dicitur homo in foro ludere: non eſt igitur verum, contradictoria eſſe ſimul vera, adeoque redarguitur tanquam falſus, & ſibi ipſi non conſtans; qui ait contradictoria eſſe ſimul vera: argumentum igitur, quo demonſtratur contradictoria non eſſe ſimul vera, eſt argumentum, quod redarguit dicentem contradictoria eſſe ſimul verá.

14. Summa huius diſcurſus in eo conſiſtit, quod ille, cum quo diſputatur de veritate huius principij: *contradictoria non ſunt ſimul vera*; vel debet negare, ſe poſſe loqui, & diſputare, adeoque debet concedere ſe eſſe ſimillimum plantis, quæ nihil loquuntur, vel debet concedere contradictoria non eſſe ſimul vera; ſi enim dicit ſermonem, quo vtitur ad diſputandum, ſignificare vtrumque contradictorium, iam concedit ſe non poſſe loqui, nec poſſe diſputare, vt demonſtratum fuit, adeoque ſe nihil differre à plantis, & eſſe deteriorem brutis, quæ, vt experientiá conſtat, habent aliquos determinatos conceptus; ouis enim indicat eſſe fugiendum potius, quam non fugiendum lupum: adeoque dum pro modulo ſuo ſibi dicit lupum fugiendum, non dicit non fugiendum lupum, adeoque pro modulo ſuo ſibi dicit non idem eſſe lupum, & non lupum; quod ſi concedit aduerſarius aliquid determinaté ſignificari ab illo,
qui

qui dicit hominem in foro ludere, ſtatim euincitur falſum dicere, dum dicit contradictoria eſſe ſimul vera. Vnde conſtat hanc ſententiam, quæ dicit contradictoria eſſe ſimul vera eſſe adeo ſtultam, vt neceſſe ſit, qui itá ſentit, vel ſibi non conſtare, vel ſeipſum confiteri ſimillimum plantis, quæ nihil ſibi, nihil alijs poſſunt dicere.

15. Arguitur ſecundó ex natura actionis aliquid proſequentis, & aliquid fugientis. Manifeſtum eſt dicentem contradictoria eſſe ſimul vera, aliquid ägere, & aliquid eligere vnam rem proſequendo, & aliam fugiendo; ſi enim nihil agit, nihil proſequitur, nihil fugit, & præterea dicit ſe nihil agere, nihil proſequi, & nihil fugere, non ſolum eſt ſimilis plantæ, ſed etiam dicit ſe eſſe ſimilē plantæ; immò longè deteriorem ipſis plantis. Quod ſi aliquid agit, aliquid proſequitur, & aliquid fugit apertè ſequitur, non loqui ex animi ſententia, adeoque eum non eſſe in ea opinione in qua dicit ſe eſſe, quod nimirum contradictoria ſint vera: ſi enim re verá eſt idem comedere ac non comedere, idem bibere, ac non bibere, idem ſe præcipitare ac ſe non præcipitare, & ita reuera ſentit, ſicuti loquitur, cur fame cogente comedit; cur ſiti ſtimulante bibit; cur mortē fugiens ſe in mare non præcipitat: eſt igitur manifeſtum, non eſſe idem vtrumque contradictorium, quia dum ſiti torquetur, potum magis, quam non potum eligit, & dum eſurit, cibum potius, quam non cibum quærit.

15. Hæc ſunt argumenta, quibus arguendo ad hominem, poteſt oſtendi veritas huius principij, in quo fundatur tota metaphyſica: *contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera*, quia cogitur qui oppoſitum ſentit, negare illud ipſum, quod concedit, adeoque fateri ſe nihil poſſe agere, nihil dicere, nihil

hil ſentire, & conſequenter nullum eſſe diſcrimen inter ſeipſum, & plantam: vnde patet ad argumenta partis oppoſitæ.

16. Ad primum: conſtat ex dictis poſſe, & debere huius principij veritatem probari, redarguendo qui contrarium opinantur, non vero oſtenſiuè demonſtrando: quidquid ſit, an poſſit aliquis reuera dubitare de veritate eiuſdem principij, de qua re dicam in quæſtione ſequenti.

17. Ad ſecundum: inter principia metaphyſica, & cætera principia illud intereſt, quod cætera poſſunt oſtenſiuè demonſtrari ex alijs principijs magis notis, vt reuera demonſtratur: principia verò metaphyſica non poſſunt probari, niſi per redargutionem, quia non dantur alia principia magis nota, ex quibus demonſtrantur.

18. Ad tertium: intellectui eſt vtile ſcire, cur ſint vera principia metaphyſica oſtendendo, quomodo ſibi non conſtet, qui ait, eſſe falſum contradictoria non eſſe ſimul vera: quod ſatis eſt ad firmam & immobilem aſſenſionem huic veritati præſtandam.

QVAESTIO II.

Vtrum principia metaphyſica poſſint falſificari, vel negari.

1. Certitudo ſcientiæ pendet ex certitudine illius principij, quo vtitur ad demonſtrandás ſuas concluſiones, ſicuti firmitas domus pendet ex firmitate fundamenti, in quo ſtabilitur. Vt igitur conſtet, quám certa ſit ea ſcientia, quam in præſenti tradere aggredior, neceſſe habere aliquã

diſputare circa certitudinem huius principij *contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera*, quod eſt fundamentum totius metaphyſicæ, & naturæ lumine innoteſcit, illo nimirum lumine, quod eſt lumen Diuini vultus iuxta loquutionem vatis Regij: *quis oſtendet nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui.*

2. Duo igitur ſunt, quæ inueſtigari debent ad explorandam huius principij certitudinem, alterum, an fieri poſſit, vt duo contradictoria ſint vera, & in rerum natura exiſtant, adeoque an potentia Infinita, quæ eſt Diuina potentia poſſit facere, vt idem ſit ſimul & non ſit. Alterum: an poſſit aliquis intellectus dubitare, an duo Contradictoria poſſint eſſe ſimul vera.

3. Ratio dubitandi eſt primò: quia infinita potentia poteſt falſificare aliquod principium, quod eſt certum in philoſophia naturali, nimirum eſſe diſtincta, quæ ſunt in locis diſtructis; eſſe ibi ſubſtantiam panis, vbi ſunt accidentia panis, ergo ſimiliter infinita potentia poterit falſificare hoc principium metaphyſicum, quia non eſt potior ratio de vno principio, quam de alio. Addo, quod Deus poteſt facere ea, quæ repugnant naturæ, poterit igitur facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit, quod naturæ repugnat.

4. Secundò: eſt defectus potentiæ non poſſe facere quidquid poteſt intelligi; ſed poteſt intelligi, idem ſimul eſſe, & non eſſe: ergo eſt defectus potentiæ non poſſe facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit: ſed infinita potentia nullum habet defectum potentiæ; ergo infinita potentia poteſt facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit.

5. Tertiò: aliquis intellectus poteſt ſibi contradicere negando exercitè, quod affirmat ſignatè: ergo

ergo poteſt affirmare duo contradictoria eſſe ſimul vera; adeoque poteſt dubitare de huius principij veritate. Antecedens patet in ruſtico dicente Petrum eſſe hominem,& non eſſe animal rationale. Conſequentia probatur, tùm quia affirmare exercitè, quod negatur ſignatè eſt affirmare vera eſſe duo contradictoriá;tùm quia non magis repugnat, vt intellectus affirmet duo contradictoria eſſe vera, quàm vt exercitè affirmet quod ſignatè negat.

6. Quarto: intellectus poteſt formare propoſitionem, quæ ſeipſam falſificet; formare autem propoſitionem ſeipſam falſificantem eſt affirmare duo contradictoria, vt ex terminis conſtat; intellectus igitur poteſt affirmare duo contradictoria. Addo,quod aliqui fuerunt in hac ſententia, quod contradictoria ſunt ſimul vera, vnde arguitur aliquos fuiſſe, qui affirmarunt duo contradictoria.

8. Dicendum primò, hoc principium metaphyſicum eſſe adeo certum & verum, vt nulla virtute poſſit falſificari.

9. Ratio eſt, quia nulla potentia poteſt facere, vt idem ſit,&ſimul nõ ſit,nulla enim potentia poteſt componere vnum contradictorium cum alio; ergo nulla potentia poteſt falſificare hoc principium metaphyſicum: *Contradictoria non poſsunt eſse ſimul vera*. Antecedens probatur, quia poſſe facere, vt idem ſit, & non ſit, & poſſe cõponere vnum contradictorium cum alio eſt defectus potentiæ, non potentia:ergo nulla potentia poteſt facere, vt idem ſit, & non ſit; vel enim nulla potentia, vel tantum infinita potentia poteſt hoc facere, vt eſt certum, quia ſi poteſt eſſe dubium de huius principij falſitate, poteſt ſolum dubitari in ea hypotheſi, in qua Deus operaretur præter ordinem naturæ: Infinita autem potentia hoc non poteſt, quia potentia infi-

nita nullum habet defectum potentiæ, ergo nulla potentia poteſt hoc facere. Quod autem ſpectet ad defectum potentiæ poſſe facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit pluribus demonſtratur. Primò, poſſe facere id, quod eſt purus defectus, eſt defectus potentiæ magis, quam potentia: Sed poſſe facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit, eſt poſſe facere purum defectum, quidquid enim hoc ipſo quod eſt, non eſt, nullum habet eſſe: hoc ipſo quod eſt verum, non eſt verum, nullam habet veritatem: hoc ipſo quod eſt bonum, non eſt bonum, nullam habet bonitatem; ſicut illa res, quæ non eſt calida eo ipſo, quod eſt calida, nullum habet calorem: Eſt igitur purus defectus id, quod ſimul eſt, & non eſt; adeoque chimæra, quæ inuoluit eſſe, & non eſſe, eſt purus defectus, & pura imperfectio.

10. Secundò: nihil poſſe facere, non eſt potentia, ſed defectus potentiæ, vt ex terminis conſtat: Atqui poſſe facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit, eſt nihil poſſe facere; ergo non eſt potentia, ſed defectus potentiæ poſſe facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit. Minor demonſtratur, quia poſſe facere id, quod eſſentialiter nihil eſt, eſt formaliſſimè nihil poſſe facere: ſed poſſe facere, vt idem ſit ſimul, & non ſit, eſt poſſe facere id, quod eſſentialiter nihil eſt; quod enim eſt tale, vt eo ipſo quod eſt, non ſit, eſſentialiter nihil eſt; ergo poſſe facere, vt idem ſimul ſit, & non ſit, eſt eſſentialiter nihil poſſe facere. Hoc argumentum euincit chimæram quæ conſtat ex rebus viciſſim oppoſſitis, eſſentialiter nihil eſſe; quia eſt talis naturæ, vt non ſit hoc ipſo quod eſt, adeoque chimæra non poteſt eſſe terminus alicuius potentiæ, cui repugnat verſari circa id, quod eſſentialiter nihil eſt. Addo, quód affirmatio, quæ eſt talis naturæ, vt eo ipſo quod affirmat, illud

quod

quod affirmat negat, eſt eſſentialiter non affirmatio; adeoque repugnat vt ſit potentia affirmandi illa potentia, quæ poteſt facere, vt affirmatio ſit negatio. Proportionali modo illud ens, quod non eſt, hoc ipſo quod eſt; eſſentialiter nihil eſt; ergo nulla potentia poteſt facere, vt ſit illud ens, quod eſſentialiter nihil eſt; huiuſmodi enim potentia eſt potiùs non potentia, quàm potentia.

11. Tertiò: vel ſpectat ad perfectionem potentiæ poſſe facere, vt quod libet ſit ſimul, & non ſit, vel eſt perfectio potentiæ poſſe facere, vt aliquid ſit, & non ſit; ſed non eſt perfectio potentiæ poſse facere, vt quodlibet ſit, & ſimul non ſit; ergo non eſt perfectio potentiæ poſſe facere, vt aliquid ſit, & ſimul non ſit: ergo potentia faciendi, vt aliquid ſit, & ſimul non ſit, eſt non potentia potiùs quàm potentia. Maior eſt certa, quia non eſt, cur nō ſit perfectio potentiæ poſſe facere, vt vnum magis quam aliud ſit, & non ſit: Minor probatur, quia non eſt potentia, ſed defectus potentiæ poſſe facere, vt ſumma potentia non ſit ſumma potentia, ea enim potentia, quæ poteſt eſſe non ſumma potentia, non eſt ſumma potentia, vt ex terminis conſtat; potentia igitur, quæ eſt ſumma potentia non poteſt facere, vt ipſa non ſit ſumma potentia; ergo non eſt potentia, ſed defectus potentiæ poſſe facere, vt quodlibet ſit, & ſimul non ſit.

12. Quartò: eſt defectus potentiæ poſſe facere, vt verum repugnet vero; ſed poſſe facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit, eſt poſse facere, vt verum repugnet vero: ergo eſt defectus potentiæ poſse facere, vt idem ſit, & ſimul non ſit. Minor eſt certa, quia ſi idem ſimul eſset, & non eſset, duplex eſset verum, quorum vnum alteri repugnaret, quia non eſse pugnat cum eſse, cui contradicit; ergo ſi nunc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſset verum Petrum eſse, & ſimul eſset verum Petrum non eſse, eſset duplex verum, quorum vnum alteri repugnaret. Maior probatur: in primis quia eſt perfectio veri, vt omnia ei conſonent, ſicuti eſt imperfectio mendacij & erroris, vt multa ſint, quæ eidem diſſonent: Deinde, nulla perfectio poteſt repugnare perfectioni, bonum enim non opponitur bono: nullum igitur verum poteſt pugnare cum vero, alioquin perfectio repugnaret perfectioni, & bonum repugnaret bono: potentia igitur faciendi, vt verum repugnet vero, eſt impotentia potius, quam potentia.

13. Vltimò: impoſsibilitas, vt idem ſit, & ſimul non ſit, eſt neceſſitas, vt Deus ſit, ſed neceſſitas, vt Deus ſit, eſt metaphyſica, & eſsentialis neceſſitas: ergo impoſſibilitas, vt idem ſit, & non ſit, eſt metaphyſica & eſsentialis impoſſibilitas. Minor eſt euidens, quia ſi poſset contingere, vt Deus non ſit, nihil eſset poſſibile; adeoque nihil exiſteret; eſt autem impoſſibile nihil eſse poſsibile, quia eſt euidens aliquid exiſtere: ergo non poteſt contingere, vt Deus non ſit; ergo Deum eſse eſt neceſsarium neceſſitate metaphyſica. Maior primi ſyllogiſmi eſt ſatis certa, quia eſt perindè neceſsarium, ne idem ſit, & ſimul non ſit, ac vt Deus ſit: Immò ipſe Deus eſt neceſſitas, ne idem ſit, ſimulque non ſit, vt inferius demonſtrabo.

14. Ex hoc diſcurſu conſtat, quantam certitudinem, & indefectibilitatem á vero habeat hoc principium *contradictoria non poſſunt eſse ſimul vera*, quod eſt fundamentum omnium veritatum, quarum contemplatio ad metaphyſicam ſpectat: fieri enim non poteſt, vt vlla potentia reddat falſum hoc principium, ex cuius veritate cæteræ veritates habent originem. Inde eſt nulla eſse prædi-

caca

cata contradictoria, quæ non ſint talis naturæ, vt hoc ipſo quod vnum affirmatur, aliud non debeat negari, poſito quod de eodem prædicantur: quid autem neceſſe ſit, vt de eodem prædicentur, dicam in quæſtione ſequenti.

15. Dicendum ſecundó: à nullo intellectu poſſe affirmari vel negari ſimul duo Contradictoria. Hanc ſententiam docet manifeſte Ariſtoteles in 4. Metaphyſicæ cap. 3. vbi ait Heraclitum, qui cenſebat contradictoria eſſe ſimul vera, non fuiſſe veré in hac ſententia, licet diceret ſe ita ſentire. *Impoſſibile namque eſt quempiam idem putare eſſe, & non eſſe quemadmodum quidem Heraclitum dicere arbitrabantur, non enim neceſſe, quæcumque quis dicat, ea etiam putare.* Huc vſque Philoſophus, qui diſerte ait, neminem poſſe præbere aſſenſum duobus contradictorijs, vel eiſdem præbere ſimul diſſenſum.

16. Probatur primó ex ijs, quæ ſunt demonſtrata in prima concluſione hoc pacto. Nulla potentia poteſt facere, vt duo Contradictória ſint ſimul vera: ergo nullus intellectus poteſt affirmare duo contradictoria eſſe ſimul vera. Conſequentia probatur; quia aliquem intellectum poſſe affirmare duo contradictoria eſſe ſimul vera eſt formaliſſime fieri poſſe, vt ſint vera duo contradictoria; ſed per nullam potentiam fieri poteſt, vt duo contradictoria ſint vera: ergo nullus intellectus poteſt affirmare duo contradictoria eſſe ſimul verá. Maiorem propoſitionem demonſtro hoc argumento: fingamus eſſe aliquem, qui mente affirmet eſſe verum Petrum currere, & ſimul neget eſſe verum eundem Petrum currere: adeoque affirmet eſſe verum vtrumque contradictorium, nimirum Petrum currere, & Petrum non currere, oſtendó euidenter ex

hac hypotheſi ſequi duo contradictoria eſſe ſimul vera. Affirmare & non affirmare curſum Petri ſunt prædicata contradictoria, non minùs quam Petrum currere & Petrum non currere, vt eſt notum ex terminis: ſed affirmare, quod eſt verum Petrum currere, & ſimul eſt verum Petere non currere, eſt affirmare, & non affirmare curſum Petri; qui enim affirmat non eſſe verum Petrum currere, negat Petrum currere, adeoque non affirmat Pétrum currere, ergo affirmare, & non affirmare curſum Petri eſt formaliſſime eſſe vera duo contradictoria. Summa huius diſcurſus in eo conſiſtit, quód licet ille, qui affirmat curſum Petri, & ſimul non affirmat curſum Petri, non poſſit habere duplex iudicium verum circa curſum & non curſum Petri, nihilominus poſito quod affirmat, & non affirmat curſum Petri, habet vere in ſua mente duplicem cognitionem, quarum vna affirmat, & alia non affirmat curſum Petri: affirmatio autem, & non affirmatio curſus Petri verè ſunt prædicata contradictoria, ſicuti ſunt contradictoria quæcunque alia prædicata viciſſim oppoſita: verè igitur ſunt duo contradictoria, ſi eſt verum ab aliquo intellectu affirmari ſimul, & non affirmari curſum Petri: repugnat autem, vt verè ſint duo contradictoria, quia nulla eſt potentia, quæ poſſit componere prædicata oppoſita contradictoriè: Repugnat igitur, ab aliquo intellectu ſimul affirmari prædicata contradictoria. Hæc repugnantia fundatur in illa metaphyſica repugnantia, vt exiſtat aliqua virtus, quæ poſſit facere, vt duo contradictoria ſint vera: quod erat demonſtrandum.

17. Probatur ſecundó ex natura ipſius intellectus: Repugnat in terminis, vt aliqua ſubſtantia intelligat, & ſimul affirmet & neget idem de eodem:

dem:

dem: ergo nullus intellectus poteſt affirmare duo contradictoria eſſe ſimul vera; ergo repugnat affirmatio & negatio eiuſdem de eodem. Vltima conſequentia eſt euidens, quia non poteſt eſſe affirmatio & negatio eiuſdem de eodem ſine cognitione facultatis intelligentis: ſi ergo repugnat eſſe facultatem intelligentem, quæ affirmet & neget idem de eodem, repugnabit etiam affirmatio & negatio eiuſdem de eodem. Antecedens primi argumenti ita demonſtratur: repugnat in terminis, vt intellectus neget verum cognitum vt verum; ſicuti repugnat in terminis, vt potentiá viſiua videat ſaporem, & non videat colorem, obiectum enim facultatis videntis eſt color, non ſapor; Obiectum autem intellectus eſt verum vt verum, ſicuti obiectum cæterorum ſenſuum eſt quod libet ſenſibile ſingulis ſenſibus accommodatum: repugnat igitur vt intellectus neget verum cognitum vt verum, non minus quàm repugnat, vt oculus non videat colorem ſibi repræſentatum. Hinc eſt, quód verum, vel nullo modo intelligitur, vel neceſsário affirmatur; ſicuti color, vel non proponitur oculo bené diſpoſito ad videndum, vel neceſsario videtur: Repugnat igitur negatio veri cogniti vt veri, quia negátio veri eſt formaliſſime intellectio veri, non poteſt enim negari illud, quod non intelligitur: Intellectio autem veri eſt impoſſibilitas negandi illud, quod intelligitur verum, negatio igitur veri eſt impoſſibilis: Eſt igitur impoſſibile ab aliquo intellectu ſimul affirmari duo contradictoria.

18. Probatur tertió: à poſteriori ex ipſa experientia, qua omnes experiuntur non eſse in noſtra poteſtate affirmare ſimul vtrumque contradictorum: propoſita enim in qualibet materia vtraque parte contradictionis, cuius nullam habemus ſen-

ſententiam, nemo dubitat an vtraque pars ſit vera, vel vtraque ſit falſa, ſed tantum dubitat quænam pars ſit vera, quænam falſa; vnde naſcitur deſiderium ſciendi veritatem vnius partis, & falſitatem alterius. Addo, quód eatenùs volumus ſcire, quænam pars ſit vera, quæ falſa ex ijs argumentis, quæ in vtramque partem proponuntur, quatenùs pro certo habemus vtramque partem non poſse eſse veram, vel vtramque falſam; cum enim intellectui ſit maximè appetibile ſcire veritatem ſibi ignotam, & propoſita vtraque contradictionis parte æquè ignota non ſatis conſtet de veritate vel falſitate, cum aliundè conſtet de impoſſibilitate vtriuſque partis veræ vel vtriuſque falſæ, exiſtit in intellectu deſiderium quærendæ veritatis in vna parte, & falſitatis in alia. Hoc omnes experimur, qui enim diceret ſe dubitare, an vtraque pars contradictionis poſſit eſse vera, vel poſſit eſse falſa, ſicuti omnes dubitant quænam ſit vera, quænam falſa, cum argumenta in vtramque partem propoſita ſunt dubia & incerta; qui, inquam, hoc diceret ſtatim riſu & cachinnis ab omnibus exciperetur tanquam homo, qui ſibi non conſtat, & eſt mentis infirmæ. Addo, quód omnes homines, dum aliquid operantur, perinde operantur ac ſi habeant certam & firmam aſſenſionem huic principio, quod nimirum contradictoria non ſunt ſimul vera, nec ſimul falſa, vt conſtat inductione in qua non libet vlteriús immorari, eſt enim notiſſima. Inde eſt, quod Heraclitus, qui teſte Ariſtotele in 5. metaphyſicæ dicebat contradictoria eſse ſimul vera, non affirmabat mente, quód ore pronunciabat; ſed potiús ad tuendum poſitum negabat mente, quód voce affirmabat, eo pacto, quo illi qui mentiuntur, negant verbis, quod affirmant mente, adeoque vnam

rem

tem intelligunt, aliam enunciant, quod eſt formaliſſimè mentiri, ſiue contra mentem ire.

19. Ex ijs, quæ huc vſque diximus, omnibus liquet, quanta ſit certitudo huius principij, quod eſt fundamentum totius metaphyſicæ; eſt enim adeo certum, vt non poſſit niſi ore tenus negari ab homine, qui eſt contumax veritati. Vnde patet diſpar ratio inter cætera principia, in quibus fundantur aliæ ſcientiæ, & hoc principium in quo fundatur metaphyſica, quód cætera principia poſsunt negari ab aliquo intellectu, quia fieri poteſt; vt aliquis intellectus non intelligat terminos; ex quorum intelligentia pendet aſsenſus alicuius principij, quod eſt certum apud Mathematicos, vel Dialecticos, vt contingit in illis, qui in huiuſmodi ſcientijs egregiè peregrinantur. E contrarió nullus intellectus poteſt negare hoc principium metaphyſicum; quia repugnat vt intellectis his terminis *eſse & non eſse* ſtatim non appareat repugnantia; vt vtrumque ſit verum, vel vtrumque falſum: ſed repugnat in terminis, vt aliquis intellectus intelligat, & ſtatim non intelligat huiuſmodi terminos, ſiue quorum intelligentia nihil poteſt intelligi, ſicuti repugnat in terminis, vt aliquis oculus videat, & colorem non videat; quia nihil poteſt videri; ſi color non videtur: ergo repugnat in terminis, vt aliquis intellectus affirmet duo contradictoria eſse ſimul vera, adeoque neget veritatem huius principij metaphyſici: *contradictoria non poſsunt eſse ſimul vera*: Ratio vlterior eſt, quæ hoc dilemmate continetur. Vel nihil intelligitur, vel intelligitur eſse & non eſse: ſed intellectô eſse & non eſse ſtatim cognoſcitur vtrumque non eſse verum; vtrumque non eſse falſum: ergo vel nihil intelligitur, vel intelligitur eſse verum contradictoria non

eſse

eſse ſimul vera; ergo repugnat in terminis aliquid intelligere, & negare veritatem huius principij.

20. Ad primum: eſt diſpar-ratio inter principium aliquod phyſicum; huius enim veritas fundatur plerumque in naturali exigentia alicuius rei, adeoque potentia infinita, quæ poteſt operari contra totam exigentiam naturæ poteſt falſificare principium phyſicum, cuius veritas non habet aliud fundamentum præter exigentiam naturæ; è contrario veritas principij metaphyſici fundatur in illa neceſſitate, qua neceſse eſt Deum eſse, nimirum eſse ens aliquod ſupra totam naturam: quia ergo nō poteſt tolli illa neceſſitas, qua neceſse eſt Deum eſse, ideo non poteſt falſificari principiū metaphyſicum. Addo, quód potentia falſificandi aliquod principium ex ijs, quæ ſpectant ad philoſophiam naturalem, eſt impoſſibilitas falſificandi principium metaphyſicum; quia ſi omnia principia poſſent falſificari, ſcientia eſset impoſſibilis, adeoque intellectus, qui deſiderat ſcire, haberet deſiderium eſſentialiter ſtultum, & inordinatum, quod manifeſtè repugnat; quia hoc deſiderium eſt nobis ingeneratum à natura, quæ non poteſt errare, vtpotè intellectus ſapientiſſimus. Quod autem nihil poſſet ſcire, ſi hoc principium poſſet eſſe falſum, eſt manifeſtum, quia ſi omnia principia poſſunt falſificari, nihil poteſt ſciri; ſed omnia principia poſſunt falſificari, ſi hoc principium metaphyſicum poteſt falſificari; quia nullum eſt principium certius, vel notius iſto: ergo vel nihil poteſt ſciri, vel hoc principium non poteſt falſificari: ergo ex eò, quód poteſt falſificari aliquod principium philoſophiæ naturalis, ſequitur non poſſe falſificari primum principium philoſophiæ tranſnaturalis, ſiue metaphyſicæ.

21.Con-

21. Confirmatur iſte diſcurſus,quia tota ratio, propter quam poteſt falſificari Diuina virtute hoc principium: *ea quæ ſunt in locis diſtinctis ſunt diſtincta*, eſt quia neceſſitas vt ſint diſtincta,quæ ſunt in locis diſtinctis,fundatur nō in illa neceſſitate qua neceſſe eſt Deum eſſe,ſed in illa neceſſitate, qua neceſſe eſt, vt res finita & limitata non ſit in pluribus locis,adeoque in neceſſitate vt nulla ſit cauſa ſecunda,quæ poſsit vnam & eamdē rem in pluribus locis collocare. E contrario illa neceſsitas, qua neceſſe eſt contradictoria non eſſe ſimul vera, fundatur in illa neceſsitate, qua neceſſe eſt Deum eſſe: immó eſt hæc eadem neceſsitas, non eſt igitur mirum, quód vnam & eamdem rem eſse in pluribus locis ſit ſimpliciter poſsibile, licet naturaliter impoſsibile: & è contrario,contradictoria eſse ſimul vera ſit ſimpliciter impoſsibile, ideo argumentum retorquetur

22. Ad ſecundum: intelligibile magis latè patet, quam producibile, omne enim producibile eſt intelligibile, ſed non omne intelligibile eſt producibile, quia ens increatum non eſt producibile, & tamen eſt intelligibile, immó ſummè intelligibile. Hinc eſt, quód licet poſsit ab intellectu cognoſci idem ſimul eſse & non eſse, de qua re nihil in præſenti;ſpectat enim ad controuerſiam de cognitione entis impoſsibilis inferius examinandam, non ſequitur fieri poſse, vt idem ſimul ſit & non ſit, quia nulla eſt conſequentia à termino potentiæ intentionalis ad terminum potentiæ phyſicæ & realis.

23. Ad tertium: non repugnat, quo minús intellectus vnam rem affirmet ſub vno conceptu, & eamdem neget ſub alio conceptu; quia poteſt intellectus non cognoſcere identitatem realem inter rem cognitam ſub vno conceptu, & eamdem cogni-

gnitam ſub alio conceptu. Hinc eſt, quod ille, qui ignorat realem identitatem inter rem cognitam ſub conceptu hominis, & rem cognitam ſub conceptu animalis rationalis, affirmat Petrum eſſe hominem, & eumdem negat eſſe animal rationale, adeoque idem exercitè affirmat, & ſignatè negat: affirmat enim exercitè animal rationale, dum ſignatè affirmat hominem, quia conceptus ſignatus hominis eſt conceptus exercitus animalis rationalis. In hoc ſenſu non eſt dubium, quin intellectus ſibi contradicat, negando ſignatè illud ipſum, quod affirmat exercitè: hoc enim ſæpiſsimè contingit ex ignorantia conceptuum mutuò conuertibilium: inde eſt, quod ſolemus redarguere eos, qui negant ſignatè, quod affirmant exercitè, demõſtrando eoſdem ſibi non conſtare; dum duo enunciant, quorum vnum cum alio pugnat, adeoque hoc enunciando ſibi contradicunt. Ad hoc demonſtrandum opus eſt redarguenti oſtendere identitatem realem inter rem affirmatam ſub vno conceptu, & eamdem negatam ſub alio conceptu.

24. Ex hac doctrina, quæ eſt indubitanter vera tùm à poſteriori, vt conſtat experientia, tùm à priori ex capite intellectus, qui poteſt ignorare identitatem realem vel formalem, vnius conceptus cum alio, non ſequitur, quod arguens contendit, poſſe ab intellectu affirmari duo contradictoria cognita vt contradictoria, vel eadem negari; eſt enim diſpar ratio inter intellectum, qui cognoſcit duo prædicata eſſe contradictoria, & intellectum, qui non cognoſcit eadem eſſe contradictoria, qui enim cognoſcit eſſe contradictoria, non poteſt ea ſimul affirmare; qui è contrario non cognoſcit ea eſſe contradictoria poteſt ea ſimul affirmare. Hinc, qui cognoſcit oppoſitionem inter eſſe hominem, & non

non eſse animal rationale, non poteſt vtrumque ſimul enunciare de Petro: ſicuti poteſt, qui eam non cognoſcit, quia non cognoſcit ſe affirmare illud ipſum quod negat, dum affirmat eſse hominem, quem negat eſse animal rationale. Ratio à priori eſt, quia verum cognitum vt verum à nullo intellectu poteſt negari, ſicuti falſum cognitum, vt falſum à nullo intellectu poteſt affirmari: Verum autem non cognitum, vt verum poteſt negari, & falſum non cognitum, vt falſum poteſt affirmari.

25. Ad quartum: nego maiorem: ratio eſt, quia intellectus non poteſt negare verum cognitum vt verum, adeoque non poteſt formare propoſitionem, quæ ſeipſam falſificet, vt conſtat ex tomo 1. diſp. 11. quæſt. vlt n. 7. Poſſunt igitur huiuſmodi propoſitiones, quæ ſunt nugatoriæ & inutiles, voce proferri, vt ſæpiſsimè contingit, ſed non poſsunt mente formari: adeoque non poſsunt eſse ſubiectiuè in mente: poſsunt tamen eſse obiectiuè in mente, quia ſicuti eſt obiectuè in mente id, quod conſtat ex rebus viciſsim pugnantibus, ita poteſt eſse obiectiuè in mente illa propoſitio, quæ affirmat ſimul & negat idem de eodem, adeoque ſeipſam falſificat.

26. Ad vltimum: omitto antecedens, de cuius veritate conſtabit ex tractatu de ente impoſsibili, & nego conſ: quia poteſt intellectus affirmare duo contradictoria futura in hypotheſi impoſsibili: non verò poſsibili. Qui cognoſcit obiectum impoſsibile cognoſcit obiectum, quod ſi eſset inuolueret prædicata contradictoria, adeoque affirmat contradictoria futura in ea hypotheſi, in qua eſset obiectum impoſsibile: quia verò hypotheſis, in qua eſset obiectum impoſsibile, eſt hypotheſis proculdubio impoſsibilis, ideo intellectus, qui affirmat contradi-

ctoria in ea hypotheſi, in qua eſset obiectum impoſsibile, negat eſse poſsibilem hypotheſim, in qua contradictoria ſimul verificentur. Hinc eſt, quód cognitio entis impoſsibilis non ſolúm non oſtendit poſse ab intellectu affirmari duo contradictoria, ſed potiús oſtendit non poſse affirmari duo contradictoria, quia affirmare duo contradictoria futura in hypotheſi impoſsibili eſt formaliſsimé affirmare non poſse contradictoria eſse ſimul vera: adeoque argumentum retorquetur.

QVAESTIO III.

Quanam identitas ſit neceſſaria, vt duo contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera.

1. NOn eſse idem prædicata contradictoria, & propoſitiones contradictorias ſatis conſtat ex ſummulis: prædicata enim contradictoria poſsunt affirmari ſine vlla contradictione, dummodo affirmentur de rebus realiter diſtinctis: ita eſse & non eſse, quæ ſine dubio ſunt contradictoria, ſine vlla contradictione verificantur de duabus rebus, quarum vna exiſtit, & alia non exiſtit.

2. Eſt igitur neceſsaria identitas ſubiecti, vt prædicata contradictoria ſine contradictione verificari non poſsint, poſita enim identitate ſubiecti neceſse eſt ex duobus prædicatis contradictorijs vnum eſse verum, & aliud falſum. Quid ſit identitas & diſtinctio ſatis liquet ex ijs, quæ docui in tom. 1. diſp. 3. quæſt. 1. Huiuſmodi identitas alia eſt realis, alia formalis: hinc ea, quæ habent identitatem realem, poſsunt non habere identitatem formalem; diſtinctio enim formalis oppoſita identita-

citati formali, optimè componitur cum identitate reali; ita identitas realis animalitatis cum rationalitate non excludit formalem vtriuſque diſtinctionem. Quare iſtæ propoſitiones *Animalitas formaliter non diſcurrit: rationalitas formaliter diſcurrit*, quæ non ſunt contradictoriæ, licet vna neget, quod altera affirmat, arguunt aliquam diſtinctionem realem inter duas cognitiones, quarum vna cognoſcit formaliter animal, & alia cognoſcit formaliter rationale. Prædicata igitur contradictoria, quæ ſine contradictione verificantur, inferunt vel negationem identitatis, vel negationem omnimodæ identitatis inter ſubiecta, de quibus affirmantur huiuſmodi prædicata. Hinc Ariſtoteles docet prædicata contradictoria poſſe ſine ylla contradictione verificari de eodem, quod non eſt omninò idem, ſiue non eſt omnibus modis idem. Quia vero animal eſt idem cum rationali, & non eſt omninó idem cum eodem rationali, eſt enim idem realiter, non eſt idem formaliter cum rationali, ideo poſſunt ſine contradictione verificari prædicata contradictoria de vtroque termino, quatenús vterque ſubſtat diuerſis cognitionibus, quæ ponunt formalem diſtinctionem inter formalitates realiter diſtinctas.

5. Ex hac doctrina, quam tradit Philoſophus de eodem quod eſt omnino idem, & de eodem quod non eſt omnino idem, ſequitur identitatem aliã eſſe adæquatam, aliam inadæquatam: identitas adæquata eſt inter ea, quæ ſunt omnino idem, ſiue ſunt idem conuertibiliter; inadæquata verò inter ea quæ ſunt idem, & non ſunt omninò idem, neque ſunt conuertibiliter idem, vt patet in illa formali identitate, quæ eſt inter hominem & animal, homo enim & animal ſunt formaliter idem, ſed

non ſunt omnino idem, quia non ſunt conuertibiliter idem.

6. Hæc, quæ ſunt certa in genere identitatis formalis, non ſunt adeo certa in genere identitatis realis, an nimirũ non repugnet reali identitati identitas non conuertibilis, quæ repugnat identitati formali; adeoque an aliqua duo poſſint eſſe idem realiter & non eſſe omninò ſiuè omnibus modis idem realiter, ſicuti poſſunt aliqua duo eſſe idem formaliter, & non eſſe omninò idem ſiué omnibus modis idem formaliter: eo pacto quo homo, & animal ſunt idem formaliter, & non ſunt formaliter omnino idem, quia non ſunt conuertibiliter idem, adeóque non ſunt eo modo idem, quó ſunt idem homo, & animal rationale, quæ ſunt conuertibiliter idem.

7. Antequam definiam, quid in hac controuerſia opinandum ſit, mihi eſt indubitatum: identitatem inadæquatam in genere realis identitatis, ſi eſt poſſibilis, ſatis eſſe, vt ſine contradictione verificentur prædicata contradictoria. Ratio eſt manifeſta ex natura ipſius contradictionis, quam nobis tradidit Philoſophus: contradictio eſt affirmatio, & negatio eiudem de eodem, quod eſt omnibus modis idem: ſed affirmare duo prædicata contradictoria in ſenſu reali de rebus, quæ habent identitatem realem inadæquatam, ſiue non conuertibilem non inuoluit affirmationem, & negationem eiuſdem de eodem, quod eſt omnibus modis idem: ergo nullam inuoluit contradictionem: ergo poſſunt ſiuè contradictione verificari in ſenſu reali prædicata contradictoria de rebus, quæ ſunt realiter idem, & non ſunt realiter omnibus modis idem: adeoque hoc principium: *contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera vel ſimul falſa*, non obſtat,

quo

quo minus verè prædicentur de illis rebus, quæ ſunt idem, & non ſunt omninò idem in ea ratione in qua non ſunt omnino idem, prædicata contradictoria; ſicuti enim hoc principium non obſtat, quo minus verificentur ſine contradictione prædicata contradictoria de rebus, quæ ſunt formaliter idem & non ſunt formaliter omnibus modis idem: itá idém principium non obſtabit quo minus ſine contradictione verificentur prædicata contradictoria de rebus, quæ non ſunt realitér omnino idē: poſito quod in genere realis identitatis ſit poſſibilis identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, ſicuti eſt manifeſtum in genere identitatis formalis inueniri formalem identitatem, quæ non eſt omnimoda identitas, qualis eſt illa, quæ datur inter hominem, & animal.

8. Quod igitur áttinet ad hanc controuerſiam, an rèpugnet identitati reali identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, ſiué identitas cum intrinſeca diſcrepantia in aliquo prædicato reali, & obiectiuo eſt idem quærere an ſit poſſibilis huiuſmodi identitas, ac quærere an ſit poſsibilis realis identitatis cum rebus realiter diſtinctis: hæc enim duo ſunt itá connexa, vt vnum ab alio diuelli non poſſit. Ratio eſt, quia vt docui in tomo 1. ibid. prædicata contradictoria ſunt prædicata realiter contradiſtincta, adeoque talis naturæ, vt hoc ipſo quod verificantur, inférant veram, & realem diſtinctionem: ex quo fit, vt vel ſit impoſſibilis identitas realis, quæ non eſt omnimoda identitas, vel ſit poſſibilis identitas realis cùm rebus realiter diſtinctis.

9. His poſitis dicendum primo repugnare identitati finitæ, & limitatæ identitatem realem, quæ non eſt omnimoda identitas.

10. Hæc ſententia demonſtratur ex fundámentis nuper ſtabilitis. Repugnat identitati finitæ identitas realis cum rebus realiter diſtinctis: ſed identitas realis,quę non eſt omnimoda,eſt identitas realis cum rebus realiter diſtinctis: ergo repugnat identitati finitæ huiuſmodi identitas. Maior probatur; quia repugnat in terminis, vt aliqua natura creata habeat realem identitatem cum Perſonis realiter diſtinctis: repugnat enim, vt natura finita, qualis eſt natura creata, ſit natura infinita, qualis eſt natura, quæ habet identitatem cum Perſonis realiter diſtinctis; repugnat igitur identitati finitæ identitas realis cum rebus realiter diſtinctis. Ratio á priori, cur identitas realis cum rebus realiter diſtinctis inferat identitatem infinité perfectam, eſt manifeſta, quia vel non eſt poſſibilis identitas realis cum rebus realiter diſtinctis, vel iſta identitas ſi eſt poſſibilis eſt infinita,inuoluit enim vnum prædicatum, quod eſt eſſentiale enti infinito, nimirum non habere plus perfectionis cum alijs rebus, quam ſine alijs rebus, hoc enim prædicatum arguit indubitanter perfectionem infinitam, quæ nimirum eſt talis ac tanta, vt non poſſit fieri maior intenſiué: quòd autem natura, quæ habet realem identitatem cum Perſonis realiter diſtinctis, non ſit perfectior cum alijs rebus, eſt maniféſtum, quia iſta natura tantum perfectionis debet habere in ſe, quantum habet cum ijs rebus, á quibus non diſtinguitur realiter: alioquin non haberet realem identitatem cum rebus realiter diſtinctis: ergo eſt hypotheſis naturæ infinité perfectæ, adeóque vel non eſt poſſibilis hypotheſis naturæ habentis realem identitatem cum rebus realiter diſtinctis, vel iſta hypotheſis eſt hypoteſis naturæ infinitę perfectæ.

11. Dicendum ſecundò: non repugnare identita-

titati reali in genere identitatem, quæ non eſt omnimoda identitas, adeoque non repugnat, vt ea quæ ſunt realiter idem, non ſint omnino realiter idem, ſiuè non ſint idem conuertibiliter.

12. Ratio eſt, quia identitas, quæ eſt infinita identitas non repugnat identitati reali in genere, ſicuti non repugnat enti reali in genere ens infinitum, nec repugnat bono in genere vel perfectioni in genere bonum infinitum, vel perfectio infinita: identitas, autem infinita eſt talis identitas, vt illi non repugnet identitas, quæ non eſt omnino idem ſiuè conuertibiliter idem: igitur identitati in genere non repugnat identitas inter duas res, quæ ſunt realiter idem, & non ſunt realiter omnino idem: identitas igitur, quæ non eſt omnimoda identitas, non excludit realem identitatem in genere identitatis abſtractiſſimè acceptæ, ſed ſolum excludit realem identitatem in genere identitatis finitæ, & limitatæ, quæ eſt identitas, quam habet vnaquæque res creata cum ſe ipſa.

13. Quod autem non repugnet, immò ſit neceſſariá identitati infinitæ huiuſmodi identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, patet, quia identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, eſt identitas cum rebus realiter diſtinctis, vt demonſtratum eſt num. 10. identitas autem cum rebus realiter diſtinctis non repugnat identitati infinitæ, quia licet non poſsit lumine naturæ demonſtrari hæc neceſſitas, adeoque non repugnantia, vt infinita identitas habeat realem identitatem cum rebus realiter diſtinctis, eſt tamen ſummè credibile hanc eſſe perfectionem identitatis infinitæ vt non excludat realem diſtinctionem á rebus; cum quibus habet identitatem: omnia enim argumenta, quæ probant religionem Catholicam eſſe euidenter credibilem,

probant etiam eſſe euidenter credibilem veritatem huius principij, quod lumen naturæ non poteſt demonſtrare: *non repugnat infinitæ identitati identitas cum rebus realiter diſtinctis*, quia in hoc principio fundatur veritas illius Myſterij, quod docet fides Catholica de vno Deo, qui eſt Trinus in perſonis.

14. Dicendum tertio identitatem, quæ non eſt omnimoda identitas eſſe perfectiſſimam in genere identitatis realis.

15. Ratio eſt, quia identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, eſt identitas cum rebus realiter diſtinctis, ſed identitas cum rebus realiter diſtinctis eſt identitas peerfectiſſima, & ſumma in genere identitatis realis: ergo identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, eſt ſumma, & perfectiſſima in genere identitatis realis. Maior conſtat ex doctrina tradita: minor probatur, quia identitas cum rebus realiter diſtinctis eſt identitas, quam habet ſummum, & infinitum bonum cum perſonis realiter diſtinctis: identitas autem ſummi, & infiniti boni cum perſonis realiter diſtinctis eſt ſumma, & perfectiſsima identitas in genere identitatis realis; quia eſt ſumma, & perfectiſsima identitas in genere entis realis, quod eſſentialiter eſt indiſtinctum á ſe, & diſtinctum á quolibet non ſe; identitas enim ſui cum ſe, & diſtinctio ſui á quolibet non ſe eſt proprietas eſſentialis entis realis: identitas igitur cum rebus realiter diſtinctis eſt ſumma, & perfectiſſima in genere identitatis realis. Ratio á priori eſt, quia identitas realis eſt formaliſsimè ſumma communicatio, qua vicißim communicantur quæ ſunt realiter indiſtincta: in genere autem ſummæ communicationis illa eſt perfectior communicatio, per quam aliquid communi-

municatur infinitè rebus realiter diſtinctis, vt eſt manifeſtum, quia ex vna parte ad rationem communicationis neceſſe eſt aliquam eſſe diſtinctionem inter extrema quibus aliquid communicatur: ex alia parte ad rationem ſummæ communicationis neceſſe eſt tantum perfectionis eſſe in vno extremo quantum eſt in alio, quæ duo non poſſunt inueniri ſine identitate cum rebus realiter diſtinctis: eſt igitur neceſſaria identitas cum rebus realiter diſtinctis ad perfectiſsimam communicationem in genere ſummę communicationis, adeoque eſt neceſſaria identitas cum rebus realiter diſtinctis ad rationem illius identitatis, quæ eſt perfectiſsima in genere identitatis realis; ergo identitas, quæ non eſt omnimoda identitas, nihil decerpit de reali identitate, quæ eſt neceſſaria, vt id, quod eſt potius quam non eſt, ſit idem cum ſe, & non ſit idem cum quolibet non ſe. Hinc bonum infinitum quatenus infinitum poteſt ac debet eſſe idem cum rebus realiter diſtinctis: bonum verò finitum nec debet, nec poteſt elſe idem cum rebus realiter diſtinctis. Ratio eſt, quia bonum infinitum quatenùs infinitum eſt infinitè communicabile: bonum verò finitum, quatenùs finitum non eſt infinitè communicabile: illud igitur non ſolum poteſt, ſed etiam debet habere cum rebus realiter diſtinctis realem identitatem, ſinè qua non poteſt conſiſtere ſummà & infinita communicatio, quod non debet nec poteſt conuenire bono finito.

16. Ex quo diſcurſu apertè ſequitur ſolum ens infinitum poſſe habere identitatem, quæ non eſt omnimoda identitas, hoc eſt identitatem talis naturæ, vt ſit ſumma communicatio, ſinè qua non poteſt inueniri realis identitas, & ſit diſcrepantia intrinſeca in aliquo prædicato, ſine qua non poteſt

eſſe negatio omnimodę identitatis; identitas enim, quæ eſt omnimoda identitas in genere identitatis realis, & obiectiuæ eſt conuenientia in omnibus prædicatis intrinſecis, & obiectiuis. Hæc negatio omnimodæ identitatis tantum abeſt, quin aliquid decerpat de perfectione realis identitatis, vt potiùs ſit cauſa ſummæ perfectionis in ipſa identitate, quia conuenientia in omnibus prædicatis intrinſecis, & obiectiuis arguit imperfectam identitatem inter ea, quæ habent hanc identitatem. Inde eſt, quód conuenientia, quam habet animalitas hominis cum eius rationalitate in omnibus prędicatis intrinſecis, & obiectiuis, vt docui in tom. 1. diſp. 3. qu. 4. num. 8. eſt argumentum identitatis imperfectæ inter vtramq; formalitatem: é contrariò negatio conuenientiæ in omnibus prædicatis intrinſecis, & obiectiuis inter eſſentiam diuinam, & paternitatem eſt argumentum ſummæ, & perfectiſsimæ identitatis inter iſtas duas formalitates, quia arguit identitatem realem vnius formalitatis cum rebus realiter diſtinctis, quæ identitas eſt perfectiſsima diſtinctio ſui à quolibet non ſe.

17. Neque mihi opponas perfectiſsimam identitatem inter ſapientiam diuinam, & bonitatem diuinam coniunctam cum ſumma conuenientia in omnibus prædicatis intrinſecis, & obiectiuis inter iſtas duas formalitates, quia identitas, quam habet ſapientia diuina cum diuina bonitate, eſt realiter illa eadem identitas quam habet ſapientia diuina cum Paternitate; ſed identitas, quam habet ſapientia diuina cum Paternitate eſt identitas cum diſcrepantia intrinſeca in aliquo prædicatur: ergo identitas, quam habet ſapientia cum bonitate diuina, eſt identitas cum diſcrepantia intrinſeca in aliquo prædicato. Hinc redditur ratio, cur ſa-

ſapientia, & bonitas diuina, quæ conueniunt intrinſecè in omnibus prædicatis, habeant ſummam, & perfectiſsimam identitatem; quàm non habent formalitates creatæ, quæ conueniunt in omnibus prædicatis intrinſecis, & obiectiuis; quia ſapientia, & bonitas diuina ità conueniunt in omnibus prædicatis, vt habeant neceſsitatem non conueniendi in omnibus prædicatis cum alia formalitate, nimirum cum formalitate, relatiua; cum quà habent realem identitatem. Hac neceſsitate non ſolum caret qualibet formalitates creatæ, ſed etiam habent manifeſtam repugnantiã huiuſmodi identitatis.

18. Conſtat igitur hoc principium: *idem non poteſt ſimul eſse, & non eſse*: ſiue *contradictoriá non poſsunt de eodem ſimul verificari*, non opponi illi veritati, quam docet fides Catholica de vnitate Dei, & perſonarum Trinitate; quià licet ex hoc Myſterio ſequatur eſſentiam diuinam communicari Verbo Diuino, & Paternitatem realiter indiſtinctam ab eſſentia eidem non communicari; nihil ſequitur contrarium huic principio; quia contradictoria non verificantur de eodem; quod eſt omninò idem, verificantur enim de eſſentia, & paternitate; quæ ſunt idem, ſed non ſunt omninò idem, quia diſtinguũtur realiter in aliqua tertia formalitate, nimirum in formalitate Verbi Diuini; quæ habet realem identitatem cum perſona Patris. Addo, quòd hoc principium naturæ lumine notiſsimum valde conſonat huic Myſterio; quod ſolà fide nobis conſtat; quia eſt notum naturæ lumine non repugnare eidem principio; quod contradictoria ſint ſimul vera, quæ affirmantur de vna, eadem re; dummodo hæc res; de qua affirmantur ſit eadem, & non ſit omnino eadem,

om-

quia verò eſt ſumme credibile, quòd illa res, quę eſt ſumma res, ſit eadem, & non ſit omnino eadem, hoc enim ſequitur ex natura ſummi, & infiniti boni, ideo ſumme conſonat hoc principium, quod lumine naturæ eſt notum cum illo Myſterio, cui videtur prima ſpecie opponi.

19. Hinc debes diſtinguere in re præſenti idem (ſermo eſt de reali identitate, quia de formali non eſt dubium,) quod eſt adæquate, & conuertibiliter idem, & idem quod non eſt adæquate, nec conuertibiliter idem: prędicata contradictoria non poſſunt ſine contradictioue verificari de illo, quod eſt idem adæquate, & conuertibiliter: poſſunt autem verificari de illo, quod non eſt adæquate, & conuertibiliter idem; ſicuti enim quando aliquid eſt idem adæquate, & conuertibiliter cum alio identitate formali, quidquid formaliter verificatur de vno, formaliter verificatur de alio, quod non contingit, quando non ſunt idem in ſenſu formali adæquate, & conuertibiliter; ità non poſſunt verificari in ſenſu reali prædicata contradictoria de rebus, que ſunt idem in ſenſu reali adæquate, & conuertibiliter; poſſunt autem de rebus, quæ non ſunt idem adæquate, & conuertibiliter: quia verò repugnat, vt formalitates creatæ ſint realiter idem & non ſint adæquate, & conuertibiliter idem: non repugnat, immò eſt neceſſe, vt formalitates increatę ſint idem realiter, & non ſint adęquate, & conuertibiliter idem, ideo repugnat verificari ſine contradictione prædicata contradictoria in ſenſu reali de formalitatibus creatis realiter indiſtinctis; non repugnat immo eſt neceſſe eadem verificari de formalitatibus increatis realiter indiſtinctis. Ratio à priori eſt, quia repugnat formalitatibus creatis identitas realis cum reali diſtinctione in tertio,

quæ

quæ non repugnat formalitatibus increatis, natura enim boni infiniti eſt ſumma communicabilitas, & natura boni finiti non eſt ſumma communicabilitas.

20. Huic doctrinæ, quæ oſtendit qualis identitas requiratur ad veritatem huius principij, *idem non poteſt affirmari ſimul, & negari*, aliqua poſſunt opponi; primò identitas conſiſtit in indiuiſibili: ergo non datur identitas omnimoda, & identitas non omnimoda: ergo diſtinctio inter idem, quod eſt omnino idem, & idem quod non eſt omnino idem, eſt chimærica: ergo quælibet identitas ſatis eſt, vt verum ſit, idem non poſſe affirmari ſimul, & negari ſine aperta contradictione.

21. Secundò: eſſe idem: & non eſſe omnino idem eſt formaliſſimè eſſe idem, & non eſſe idem: ergo idem, quod non eſt omnino idem, eſt impoſſibile: ergo nullum eſt aliud idem præter illud, quod eſt idem, & eſt omnino idem. Conſequentia eſt manifeſta, quia ſicuti homo, qui non eſt homo, eſt homo chimæricus, ita idem, quod non eſt idem, eſt idem chimæricum. Antecedens probatur, quia idem, quod non eſt omnino idem, eſt idem quod ſuſtinet prædicata contradictoria: ſed idem, quod ſuſtinet prædicata contradictoria, eſt idem, quod non eſt idem, quia prædicata contradictoria inferunt neceſſario realem diſtinctionem: ergo &c.

22. Ad primum reſpondetur, nihil repugnare quominus identitas conſiſtat in indiuiſibili, ſicuti re vera conſiſtit, & tamen detur locus diſtinctioni inter idem, quod eſt omnino idem, & idem quod non eſt omnino idem. Ratio peti debet ex natura identitatis realis, de qua tantum eſt ſermo. Identitas realis, vt conſtat ex noſtro tractatu de identitate, & diſtinctione in tomo 1. diſp. 3. qu. 1.

ni-

nihil eſt aliud quam ſumma vnitas, & ſumma communicatio, ex qua naſcitur ea, quæ ſummè communicantur, poſſe viciſſim affirmari in recto affirmatione vera. Hæc ſummma communicatio in eo conſiſtit, quod vnum ex ijs, quæ ſummé communicantur, tantum perficiat aliud, cui communicatur, quantum perficit ſe ipſum. Inde eſt, quòd identitas conſiſtit in indiuiſibili, quia vnaquæque res vel tantum perficit aliam quantum ſeipſam, vel non tantum perficit: ſi perficit tantum: habet identitatem, & ſummam communicationem cum alia re; ſi non tantum perficit: non habet identitatem, neque ſummam communicationem, adeoque non datur medium inter identitatem, & non identitatem. Hinc tamen non ſequitur non dari idem, quod non eſt omnino idem: immò ſequitur oppoſitum, quia in genere identitatis ſiue ſummæ communicationis poteſt dari communicatio in omnibus prædicatis, & poteſt dari communicatio, quæ non eſt communicatio in omnibus prædicatis; quia non repugnat, immò eſt neceſſe, vt aliqua duo ſibi communicent omnem ſuam perfectionem, & tamen non conueniant in omnibus prædicatis: conuenientia in omnibus prędicatis fundat identitatē, per quam aliqua duo ſunt idem, & ſunt omnino idem, diſcrepantia in aliquibus prædicatis fundat identitatem, per quam aliqua duo ſunt idem, & non ſunt omnino idem; igitur in genere identitatis realis, quæ conſiſtit in indiuiſibili, eſt poſſibilis identitas, quæ eſt omnimoda identitas, & identitas, quæ non eſt omnimoda identitas in ſenſu à nobis explicato. Ratio vlterior eſt, quia identitas licet conſiſtat in indiuiſibili poteſt eſſe magis, vel minus perfecta in ratione entis: identitas autem, quæ poteſt eſſe magis, vel minus perfecta

in

in ratione entis, eſt identitas, quæ poteſt eſſe omnimoda, & non omnimoda identitas, hoc eſt identitas in omnibus prædicatis, vel identitas in aliquibus tantum prædicatis; igitur identitas licet conſiſtat in indiuiſibili, poteſt eſſe omnimoda, & non omnimoda identitas. Hinc eſt, quód arguens confundit identitatem maiorem, vel minorem in genere identitatis, & identitatem maiorem, vel minorem in genere entis: eo ipſo quód identitas conſiſtit in indiuiſibili, non poteſt eſſe maior, vel minor in genere identitatis: poteſt autem eſſe maior, vel minor in genere entis, quia poteſt eſſe magis, vel minus perfecta in genere entis: identitas igitur, quæ non eſt omnimoda identitas, eſt identitas, quæ in genere entis eſt perfectior ea identitate, quæ eſt omnimoda identitas, vt demonſtratum fuit.

23. Ad ſecundum; nego antec: Ad eius probationem dico realem diſtinctionem, quam inferunt prædicata contradictoria, eſſe realem diſtinctionem in ſe vel in tertio: inde eſt, quód idem poteſt ſuſtinere prædicata contradictoria ſine neceſſitate excludendi realem identitatem, quia ſatis eſt, vt ea quæ ſuſtinent prædicata contradictoria habeant in aliquo tertio realem diſtinctionem, vt contingit in natura diuina, & paternitate realiter diſtinctis non in ſe, ſed in tertiò, nimirum in perſona filij; vnde ſequitur naturam diuinam eſſe idem cum paternitate, licet non ſit omnino idem, vt docent omnes Theologi cum S. Thoma in prima parte qu. 28 art. 2. vbi docet naturam Diuinam, & perſonalitatem non eſſe idem re, & ratione, quod eſt intelligendum de identitate non omnimoda.

DISPVTATIO SECVNDA.

De conceptu abſtractiſſimo entis.

EXaminatis primis principijs quorum ſpeculatio ad metaphyſicam ſpectat, opus eſt inueſtigare naturam entis abſtractiſſimé accepti, eiuſque analogiam in cuius contemplatione occupatur hęc ſcientia.

QVAESTIO II.

An ſit, quid ſit, & quotuplex ſit ens reale.

1. EXiſtentiam entis relir nemo poteſt in dubiū vertere, quia nihil eſt in rerum natura quod non habeat realem exiſtentiam, adeoque non habeat oppoſitionem cum chimæra, cui repugnat realis exiſtentia. Naturam entis realis non eſt adeò facile inueſtigare ác definire, quia plurima ſunt, quæ nemo ignorat, an verè ſint, licet plurimi ignorent quid ſint.

2. Docet Philoſophus multa eſſe, quæ non poſſunt clarius explicari, eo quod cadunt ſub experientiam, itá non poteſt clarius explicari natura lucis, quam experiuntur quicumque habent facul-

tatem videndi. Inter huiuſmodi conceptus, qui ſunt notiſſimi, eſt conceptus entis realis, qui eſt adeo clarus, vt non poſſit explicari, niſi per conceptum magis obſcurum. Ratio eſt, quia obiectum intellectus eſt ens reale, adeoque nihil poteſt intelligi, quod non habeat aliquam ſimilitudinem cum rebus exiſtentibus, á quibus intellectus accipit omnem cognitionem: hinc eſt illud, quod primó intelligitur, vt docet Auicenna, eſſe ens reale: qui enim non intelligit ipſam naturam entis realis, nihil omnino intelligit, ſicuti qui non videt rationem formalem coloris, nihil videt: ratio vtrobique eſt eadem; quia ſicuti ratio formalis *ſub qua* potentia viſiua cognoſcit eſt formalitas coloris, ità ratio formalis *ſub quâ* cognoſcit facultas intelligendi, eſt formalitas entis; quemadmodum. ergo illa facultas, quæ non attingit formalitatem coloris, nihil omnino videt; ità illa facultas, quæ non attingit formalitatem entis, nihil prorſus intelligit. Hinc eſt, quòd intellectus neceſſarió intelligit formalitatem entis, eamque in ſeipſo experitur.

3. Iuuat tamen conceptum entis, qui ſub experientiam cadit, vlterius explicare; quia plurimi errores in philoſophiam irrepſerunt, eo quòd varij vária de natura entis realis opinantur. Vnuſquiſque ex eo quod experitur in ſeipſo, dùm aliquid cognoſcit, facilè intelliget omnem rem denominari duplici denominatione: vna intrinſeca, & alia extrinſeca rei denominatæ; quidquid enim cognoſcitur, eſt tale, vt aliquid de illo prædicetur intrinſecum, vel extrinſecum rei de qua prædicatur: vnde ſequitur nullam aliam eſſe denominationem præter intrinſecam, & extrinſecam: denominatio extrinſeca nihil ponit in re denominata: denominatio veró intrinſeca ponit aliquid in re denomi-

minata denominatione intrinſeca exiſtit, quia habet in ſe aliquod prædicatum intrinſecum. E contrarió res denominata denominatione extrinſeca quatenus denominatur huiuſmodi denominatione, non debet exiſtere, quia etiamſi nihil exiſtat illius rei, quæ in hunc modum denominatur, adhuc eſt verum huiuſmodi rem denominari denominatione extrinſecâ.

4. Ex hac doctrina duplicis denominationis, quam in nobis ipſis ex noſtris actibus experimur, conſtat duobus modis poſſe accipi ens; ſicuti duobus modis poteſt accipi id, quod denominatur, hæc enim conuertuntur. Primus modus, quo poteſt accipi ens, eſt communis cuicumque rei, quæ denominatur aliqua denominatione præſcindendo ab intrinſeca, vel extrinſeca: ens hoc modo acceptum vocatur ens ſuper tranſcendentale, quia nimirum conuenit omnibus rebus exiſtentibus, non exiſtentibus, poſſibilibus, & impoſſibilibus iuxta ſententiam inferius tradendam de cognitione entis impoſſibilis. In hoc ſenſu dicitur ens chimæra, & quodlibet aliud, quod eſt terminus cognitionis noſtræ, quia chimæra eſt aliquid intelligibile, adeoque eſt aliquid, quod poteſt ſuſtinere denominatione cogniti. Hoc ens ſupertranſcendentale poteſt vocari ens intentionale, quod nimirum oritur ex cognitione, quæ tribuit rei, circa quam verſatur, denominationem cogniti; de hoc ente actum eſt in tom. 1. diſp. 1. q. 1. nu. 7. vbi diſputatum fuit de obiecto ſcientiæ rationalis, quod eſt aliquid intentionale, ſiue ens rationis logicum. Hinc cæteræ denominationes, quæ oriuntur à forma extrinſeca rei denominatæ, ſolent à philoſophis, & præſertim ab Ariſtotele, & S. Thoma vocari entia rationis logica, vel relatio-

nes

nes rationis, quia nimirum imitantur illud eſſe extrinſecum, quod á noſtris cognitionibus in rem cognitam refunditur, vt dicam inferius in tractatu de ente negatiuo.

5. Solet eſſe controuerſum apud Philoſophos quid ſit hoc eſſe extrinſecum, quod á cognitione & qualibet forma extrinſeca tribuitur rei cognitæ. Scotus contendit eſſe aliquod ens diminutum medium inter ens reale, & negationem entis realis, quaſi veró á cognitione, quæ denominat rem cognitam, reſultet in re cognita aliquod ens diminutam eidem intrinſecum, eamque denominans cognitam: alij è contrarió opinantur nihil intrinſecum emanare á cognitione in rem cognitam, vnde huiuſmodi res accipiant denominationem cogniti. Hæc controuerſia mihi videtur parui momenti, quia non poteſt dubitari an res denominetur cognita ſine vlla forma intrinſeca rei cognitæ, quia par hoc præciſè, quod in mea mente ſit cognitio Antichriſti, Antichriſtus denominatur cognitus, neq; ad intelligendum Antichriſtum verè cognitum eſt neceſſe intelligere aliquid intrinſecum Antichriſto; quia ſecluſo quocumque prædicato intrinſeco eidem Antichriſto optimè intelligitur Antichriſtus cognitus. Neque habet vllam ſpeciem veritatis, quod exiſtimat Scotus de hoc ente diminuto, quod credit eſſe neceſſarium, vt Antichriſtus denominetur cognitus. In hunc modum debes philoſophari de cæteris denominationibus extrinſecis, ex quibus ſine dubio nihil oritur intrinſecum rei denominatæ. Indè eſt, quòd quælibet res cum denominatur aliqua denominatione extrinſeca, dicitur eſſe logicé, & denominatiuè, adeoque appellatur ens in ſignificatione ampliſſima, à quatenùs denominatur ens omne id, quod ab in-

tellectû cognoſcitur; adeoque ſuſtinet aliquam denominationem extrinſecam, & logicam; indè patet quid ſit ens ſupertranſcenden tale, de quo mentionem facit ex doctrina Philoſophi ſæpiſſimè S. Thomas.

6. Ens acceptum in ſignificatione minus ampla eſt illud, quod ſuſtinet aliquam denominationem intrinſecam, adeoque habet aliquod prædicatum ſibi intrinſecum: ens in hoc ſenſu aceptum procul dubio ſignificat aliquam perfectionem, quæ non inuenitur in ente ſupertranſcendentaliter accepto; quia hoc eſt diſcrimen inter vnum, & aliud ens, quód denominatio, qua denominatur ens ſupertranſcendentale oritur ab aliqua forma eidem extrinſeca: é contrariò denominatio, qua den ominatur ens tranſcendentaliter acceptum, oritur á forma eidem intrinſeca; eſt igitur maior indigentia, adeoque maior imperfectio entis ſupertranſcendentalis, quam entis tranſcendentalis. Ratio eſt, quia indigere forma á ſe diſtincta ad ſuſtinendam quamcumque denominationem eſt magis indigere, quam non habere neceſſitatem formæ extrinſecæ ad ſuſtinendam aliquam denominationem, ſed ens ſupertranſcendentale indiget forma ſibi extrinſeca ad ſuſtinendam quamlibet denominationem, eáque non indiget ens tranſcendentale, vt eſt manifeſtum; ergo magis indiget ens ſupertranſcendentale, quam ens tranſcendentale. Ens igitur ſupertranſcendentale nullam habet denominationem, quam non habeat à forma ſibi extrinſeca: éns autem tranſcendentale multas habet denominationes, qùas non habet à forma ſibi extrinſeca:

7. Hinc eſt, quód ens tranſcendentale, ſiue ens reale eſt illud ens, quod habet in ſe aliquod prædicatum ſibi intrinſecum, adeoque habere præ-

dica-

dicata intrinſeca & eſſe ens reale ſunt conceptus conuertibiles: nihil enim eſt, quod habeat aliquod prædicatum ſibi intrinſecum, & non ſit ens reale; ſicuti nullum eſt ens reale, quod non habeat aliquod prædicatum intrinſecum. Conſtat hoc à poſteriori inductione facta in omnibus illis entibus, quæ ſine dubio habent eſſe reale, adeoque participant rationem formalem entis tranſcendentalis; in hoc enim genere eſt illud ens, quod à nullo ente eſt factum, nimirum Deus, qui eſt cauſa omnis entis, quod eſt factum, & illud ens, quod ab aliquo ente eſt factum, nimirùm mundus, qui eſt à Deo factus. Manifeſtum eſt Deum ita eſſe, vt habeat multa prædicata ſibi intrinſeca, quia cognoſcere, viuere, & eſſe felicē ſunt prædicata ſine dudio intrinſeca: hæc autem prædicata conueniunt Deo, qui eſt primus intellectus, ſuprema vita, & ens feliciſſimum. Eſt etiam manifeſtum aliquod prædicatum intrinſecum conuenire cæteris rebus, quæ componunt hunc mundum á Deo factum, quia inter res, quæ componunt mundum, ſunt ſubſtantiæ, quæ cognoſcunt, & ſubſtantiæ, quæ non cognoſcunt: ſubſtantiæ, quæ cognoſcunt, habent aliquod prædicatum ſibi intrinſecum, quia cognoſcere, quod eiſdem conuenit, eſt prædicatum intrinſecum cognoſcenti. Subſtantiæ non cognoſcentes mouent ad cognitionem ſui ſubſtantias cognoſcentes, quia nulla eſt ſubſtantia non cognoſcens, quæ non ſit materialis, adeoq; ſenſibilis; ſubſtantia autem ſenſibilis habet vim mouendi facultatem ſentientem ad cognitionem ſui; nulla igitur eſt ſubſtantia non cognoſcens, quæ non habeat vim mouendi aliam ſubſtantiam ad cognitionem ſui. Quia verò habere vim mouendi aliam ſubſtantiam ad cognitionem ſui eſt formaliſſimè habere aliquod præ-

dicatum ſibi intrinſecum, hoc enim prædicatum eſt prædicatum cauſæ influentis efficienter eſſe in effectum, ideo omnis ſubſtantia non cognoſcens ex illis, quæ mundum componunt, habet aliquod prædicatum ſibi intrinſecum. Ratio á priori, cur habere prædicatum intrinſecum, & eſse ens reale, ſint termini conuertibiles, eſt, quia eſſe ens reale, eſt formaliſſimè perfectio; quidquid enim eſt á nihilo contradiſtinctum, habet aliquam perfectionem, quia eſse nihil & eſse imperfectum conuertuntur, adeoque non eſse nihil eſt formaliſſimé eſſe oppoſitum rei, quæ nullam habet perfectionem, & nullam æſtimabilitatem; igitur non eſse nihil, adeoque eſse ens reale opponitur imperfectioni, & conſequenter eſt aliqua perfectio. Quia verò repugnat, vt perfectio non ſit intrinſeca illi rei, cuius eſt perfectio, vt patet ex conceptu perfectionis, quæ eſt melior ipſa, quam non ipſa: ideò repugnat, vt aliquid ſit ens reale, & non habeat aliquod prædicacatum ſibi intrinſecum: ergo omne ens reale habet aliquod prædicatum ſibi intrinſecum. Quód autem ſit ens reale quidquid habet prædicatum ſibi intrinſecum ſimili diſcurſu demonſtratur, quia habere prædicatum ſibi intrinſecum eſt formaliſſimé aliquid plus habere, quam non habere niſi prædicatum extrinſecum, vt ex terminis conſtat: ergo habere prædicatum aliquod intrinſecum eſt formaliſſimé habere aliquam prefectionem, & opponi illi rei, quæ nullam habet perfectionem; ſed habere aliquam perfectionem eſt formaliſsimé non eſse nihil, adeoque eſt formaliſsimé eſse ens reale habens aliquam bonitatem & æſtimabilitatem: ergo habere aliquod prædicatum intrinſecum eſt formaliſsimé eſse ens reale. Prima conſequentia probatur, quia illud ens, quod non habet niſi prædicata ex-

ta ex-

ta extrinſeca, eſt ens imperfectum, quod caret qualibet perfectione; ergo illud ens, quod habet aliquod prædicatum, quod non eſt prædicatum extrinſecum, habet aliquam perfectionem. Deinde habere prædicata intrinſeca eſt formaliſsimè, vel eſſe à ſe, vel eſſe ab alio; ſed eſſe à ſe, & eſſe ab alio eſt formaliſſimè ens reale; ergo habere prædicata intrinſeca eſt formaliſſimè eſſe ens reale. Minor eſt certa, quia ens á ſe eſt ens increatum, quod vtiq; eſt ens reale, & ens ab alio eſt ens creatum, adeoque productum ab ente increato, & conſequenter ens reale; quia nihil eſt productum, quod non ſit reale. Maior probatur, quia prædicata intrinſeca, quæ habet aliquod ens, vel ſunt producta, vel improducta, quidquid enim habet aliquod prædicatum ſibi intrinſecum debet illud habere vel à ſe, vel ab alio, adeoque habere prædicatum intrinſecum eſt formaliſſimè habere eſſe à ſe, vel habere eſſe ab alio. Ponamus exempli gratia prædicatum cognoſcentis, quod eſt intrinſecum rei cognoſcenti: quæro, an hoc prædicatum, quod habet intrinſecum res, quæ cognoſcit, habeat adæquatè à ſe, vel ab alio, ſi enim non habet ab alio, illud habet adæquatè à ſe, adeoque habere prædicatum intrinſecum eſt habere eſſe á ſe, vel ab alio.

8. Hinc patet conceptum formalem entis realis, ſiuè entis tranſcendentalis eſſe conceptum rei contradiſtinctæ à nihilo & habentis oppoſitionem cum chimæra.

9. Ens reale abſtractiſſimè acceptum diuiditur in ens increatum, & creatum: ratio patet ex dictis, quia habere prædicata intrinſeca præſcindit à modo habendi huiuſmodi prædicata à ſe, vel ab alio, ſed habere prædicata intrinſeca à ſe eſt eſſe increatum, & habere prædicata intrinſeca ab alio

eſt eſſe creatum, ergo habere prædicata intrinſeca præſcindit ab ente creato & increato: quia verò nihil habet prædicata intrinſeca, quod eadem non habeat vel à ſe, vel ab alio, ideo nihil habet eſſe reale, quod non ſit creatum & increatum: ratio igitur entis realis, quæ præſcindit ab ente creato & increato, contrahitur contractione adæquata ad duas ſpecies entis realis, quarum vna eſt ſpecies entis increati, & alia eſt ſpecies entis creati. De ſpecie entis creati multa egimus in toto decurſu philoſophiæ: de ente increato aliqua agemus in metaphyſica.

10. Deindè ens reale creatum diuiditur in ens per ſe, & ens in alio; ratio eſt, quia habere ab alio prædicata intrinſeca, quod eſt formaliſſimé ens reale creatum præſcindit à prædicatis intrinſecis vt quod, & á prædicatis intrinſecis vt quo: habere autem prædicata intrinſeca, vt quod eſt eſſe per ſe, & habere prædicata intrinſeca vt quo eſt eſſe in alio: habere igitur prædicata intrinſeca præſcindit á duplici ſpecie entis realis creati, quorum vnum habet eſſe per ſe, & eſt ſubſtantia, aliud habet eſſe in alio, & eſt accidens: quia veró nihil habet eſſe reale creatum, quod non habeat prædicata ſibi intrinſeca vt quod, vel intrinſeca vt quo, prædicata enim intrinſeca, vel ſunt gratia illius, quod habet prædicata intrinſeca, vel ſunt gratia alterius: ſi primum: habet prædicata intrinſeca vt quod: ſi ſecundum habet prædicata intrinſeca vt quo: quidquid igitur habet prædicata intrinſeca, vel habet prædicata intrinſeca vt quod, vel habet prædicata intrinſeca vt quo: ideo ratio entis realis creati, ſiué ratio entis habentis ab alio prædicata ſibi intrinſeca adæquaté diuiditur in rationem entis realis ſubſtantialis, & in rationem entis realis acciden-

talis

talis, ſiue in rationem entis perſe & in alio: de hoc duplici ente diſputatum fuit, quantum ſatis erat ad inueſtigandam vtriuſque naturam in tom. 1. diſp 9. An verò conceptus entis realis ſuperior conceptu ſubſtantiæ, & accidentis ſit vniuocus vel analogus, pendet ex alia controuerſia de analogia entis, de qua in quæſtionibus ſequentibus agendum eſt. Ens ſubſtantiale creatum diuiditur in ens materiale de quo diſputatum fuit in tomo 2. & ens immateriale de quo in hoc tomo diſputabimus præter ea, quæ diſputata fuerunt in tomo 3. cum de anima rationali, quæ eſt ſubſtantia immaterialis, tractationem inſtituimus.

11. Supereſt in hac quæſtione examinandum, an ens reale, quod eſt ens tranſcendentale, & habet prædicata ſibi intrinſeca, ſit motiuum potentiæ intentionalis, adeoque nullum ſit ens reale, quod non poſsit mouere aliquam potentiam intentionalem ad cognitionem ſui: Sed de hac re ſatis conſtat ex noſtro tractatu de cauſa obiectiua in tom. 3. vbi oſtendimus rationem cauſæ obiectiuæ eſſe prædicatum tranſcendens per omnia rerum genera.

QVAESTIO II.

Vtrum differentiæ entis præſcindant ab ente.

1. Ratio abſtractiſſima entis eſt ratio rei habentis oppoſitionem cum chimæra, ſiue ratio habentis non repugnantiam ad exiſtendum, exiſtentia non ſignata, ſed exercita, quia exiſtentia in actu ſignato eſt logica, ſiué intentionalis exiſtentia, quæ conuenit enti & non enti, chimæræ, &

enti reali; exiſtentia veró in actu exercito eſt realis & phyſica exiſtentia, quæ conuenit ſolum enti reali. Huiuſmodi ratio contrahitur tùm ad ſubſtantiam & accidens, tùm ad Deum & Creaturam, vt dictum eſt in quæſt.1. per variàs differentias; illa differentia, quæ contrahit rationem entis ad ſubſtantiam, videlicet ad ens perſe, vocatur perſeitas; quæ vero contrahit rationem entis ad accidens, nimirum ad ens in alio, vocatur inaleitas. Præterea differentia, quæ contrahit rationem entis ad ens increatum, quod eſt Deus, ſiué ens à ſe, dicitur aſeitas, & differentia, quæ contrahit rationem entis ad ens creatum, quod eſt ens ab alio, dicitur abaleitas.

2. Hæc ſunt ſatis certa: dubium eſt, an iſtæ differentiæ, quæ contrahunt rationem abſtractiſſimam entis realis præſcindant ab ente reali, eo ferme pacto, quo differentiæ animalis præſcindunt ab animali. Affirmat præſcindere Scotus, qui in hac ſententia eſt ſatis ſingularis his argumentis. Primó differentiæ, quæ contrahunt rationem ſuperiorem præſcindunt ab illa ratione: ſed perſeitas, & inaleitas contrahunt rationem ſuperiorem entis realis: ergo præſcindunt ab ente reali.

3. Secundó: Conceptus formalis per ſeitátis, & inaleitatis non eſt conceptus formalis entis realis: ergo differentiæ entis præſcindunt ab ente. Antecedens prob: quia poteſt aliquis concipere perſeitatem & inaleitatem, dubitando an ſit poſsibilis vel impoſsibilis, vt contingit, quando agitatur controuerſia de aliqua re, an ſit poſsibilis vel impoſsibilis: ergo qui intelligit perſeitatem, formaliter non intelligit ens.

4. Tertió: Illa ratio non eſt formaliter ens, quæ eſt communis enti & non enti: ſed huiuſmodi eſt diffe-

differentia entis: ergo non eſt formaliter ens. Minor prob: quia perſeitas & inaleitas conuenit ſubſtantiæ & accidenti, tàm reali, quàm chimærico.

5. Quartò: Abaleitas non eſt formaliter ens, ſed abaleitas eſt differentia entis: ergo differentia entis non eſt formaliter ens. Maior probatur: tùm quia Creatura non differt á Deo ente, ſed potiùs non ente: ergo illa ratio per quam Creatura differt à Deo, non eſt ens: tùm quia abaleitas formaliter eſt imperfectio: ergo formaliter non eſt ens.

6. Vltimò: ens præſcindit à differentijs: ergo differentiæ præſcindunt ab ente. Hæc ſunt argumenta Scoti: Contrarium opinatur S. Thomas in primò contra gentes, quem ſequuntur feré omnes Philoſophi & Theologi cum Suario.

7. Hanc ſententiam iudico probabiliſsimam, & veram, né dicam certam. Rationes, quæ mouent me ad ferendum hoc iudicium, ſunt huiuſmodi. Primó differentiæ entis ſunt formaliter ens: ergo non præſcindunt ab ente. Conſeq: eſt euidens: antec: prob: Differentiæ entis, vel ſunt formaliter nihil, vel non ſunt formaliter nihil: ſi formaliter nihil ſunt, nihil addunt ſupra ens, adeoque non ſunt differentiæ, quia omnis differentia addit aliquid ſupra illam rationem, quam contrahit: ſi non ſunt formaliter nihil, ſunt formaliter aliquid: ergo ſunt formaliter aliquod ens: quia ens tranſcendit per omnia. Addo, quód differentiæ, quæ contrahunt ens, ſunt modi diuerſi eſsendi; ſed modi diuerſi eſsendi inuoluunt formaliter ipſum eſse: ergo differentiæ entis inuoluunt formaliter ens.

8. Secundó; Illud, per quod ſubſtantia differt formaliter ab accidente, eſt formaliter ens: ſed ſubſtantia differt formaliter ab accidente per differentiam entis, quæ eſt perſeitas; ergo differentia

entis

entis eſt formaliter ens. Maior probatur: Illud, per quod ſubſtantia differt ab accidente, eſt formaliſsimé perfectio: ſed perfectio eſt formaliter ens, cum imperfectio oppoſita perfectioni ſit formaliter nihil, adeoque defectus entis: ergo &c. Maior patet, quia ſubſtantia formaliter eſt perfectior accidente: ſed non eſt perfectior præcisé quà ens, quia ſub hoc conceptu conuenit cum accidente: ergo eſt perfectior quá tale ens, ſed non poteſt eſse perfectior quà tale ens, niſi id, per quod differt ab accidente, ſit perfectio: ergo &c.

9. Hoc argumentum euidentius demonſtratur in alia differentia entis, hoc eſt in aſeitate: aſeitas formaliſsimè eſt neceſsitas exiſtendi, quę formaliſſimé eſt ens, quia neceſsitas exiſtẽdi eſt formaliſsimé non repugnantia exiſtendi, ſicuti repugnantia exiſtendi non eſt neceſsitas exiſtendi; ſed non repugnantia exiſtendi eſt formaliter ens, quia ratio entis eſt ratio rei non repugnantis exiſtere; ergo neceſsitas exiſtendi, adeoque aſeitas eſt formaliter ens. Præthereá quis poteſt niſi inſipienter dubitare, an ſit magna quædam perfectio habere neceſſitatem exiſtendi? Certé quicumque de hac re dubitat, poteſt dubitare án Sol meridianus ſplendeat.

10. Ad 1. diſt. maior: Illæ differentiæ præſcindunt, quæ contrahunt rationem ſuperiorem vniuocam: conc: ma: analogam: nego ma: & diſt: min: differentiæ entis contrahunt rationem ſuperiorem vniuocam: nego min: analogam: conc: min: & nego conſeq: Certum mihi eſt, quidquid alij contradicant, non poſse vnam rationem vniuocé prædicabilem præſcindere à differentijs, ſi differentiæ non præſcindunt, vt conſtát exemplo animalis à ſuis differentijs præſcindentis. Hinc ratio entis ſi

eſſet

eſſet prædicabilis vniuocè de ſubſtantia & accidente, contraheretur per differentias præſcindentes à ratione entis: quia veró ratio entis eſt analoga, vt oſtendam quæſt.4. ideò nihil obſtat, quo minùs differentiæ entis contrahant rationem entis, etiamſi non præſcindant á ratione entis, vt patet euidenter in differentijs contrahentibus rationem analogam ſani ad animal ſanum & medicinam ſanam, vt docui in tomo 1. diſp.8. qu.2. n 10.

11. Ad ſecundùm: nego antec: ad eius probationem diſt: antec: qui concipit perſeitatem dubitat ſignatè, an ſit ens: conc: antec: dubitat exercitè: nego antec: & conſeq: Qui concipit hominem, concipit formaliter animal rationale, & tamen poteſt dubitare, an homo ſit animal rationale, vt contingit in ruſtico ignorante naturam hominis: poteſt, inquam, dubitare ſignatè non exercitè, quia ſicuti nemo dubitat, an Petrus ſit homo, ita nemo exercitè dubitat, an ſit animal rationale. Eodem pacto, qui concipit perſeitatem, concipit exercitè, quidquid eſt formaliter perſeitas; ſed perſeitas formaliter eſt ens: ergo exercitè concipit ens: hoc tamen non obſtat, quo minus poſſit dubitare, an veré ſit ens.

12. Ad tertium: concedo ma: & nego min: ad eius probationem dico perſeitatem conuenire æquiuocè ſubſtantiæ chimæricæ, & in aleitatem conuenire æquiuocé accidenti chimærico, quia vtrique conuenit cum termino diſtrahente. Subſtantia chimærica eſt ens per ſe, & ſimul non eſt ens per ſe, quia chimæra conſtat ex prædicatis chimæricis, adeoque eſt ens per ſe, quod non eſt ens per ſe. Subſtantia poſſibilis é contrarió eſt tantum ens per ſe: idem dicendum de accidente poſſibili & impoſſibili.

13. Ad

13. Ad quartum: concedo ma: & min: & diſtẽ conſeq: ergo aliqua differentia negatiua non eſt formaliter ens: concedo conſeq: differentia poſitiua: nego conſeq: Diſcurſus arguentis demonſtrat aliquam eſſe differentiam, quæ non eſt formaliter ens, ſed non probat differentiam entis præſcindere ab ente, quod probare debet; immó, quod eſt mirabile, probat oppoſitum, vt demonſtro hoc alio diſcurſu. Differentię, quę contrahunt rationem entis, aliæ ſunt poſitiuæ, aliæ negatiuæ: differentiæ poſitiuæ ſunt omnes illæ, quæ addũt enti aliquam perfectionem, vt conſtat ex dictis: differentia negatiua eſt ſola abaleitas, quæ contrahit rationem entis ad ens creatum: huiuſmodi differentia ſupra conceptum entis nihil aliud addit, niſi negationem entis, hoc eſt negationem infinitæ perfectionis, creatura enim differt à Deo, quia non habet illud eſſe infinitum, quod conuenit Deo: cum Deus ita ſit, vt ſit omne eſſe, creatura ita ſit, vt ſit hoc tantum eſſe. Audiatur in hanc rem Auguſtinus qui lib.8. de Trinitate cap.3. enumeratis varijs perfectionibus creatis pulchré ita ſubiungit de Deo, *bonum hoc & bonum illud: tolle hoc & illud: & vide ipſum bonum ſi potes: ita ipſum Deum videbis non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni*: hæc eleganter Auguſtinus, ex quibus conſtat Deum eſſe omne & ſummum bonum: omne & ſummum eſſe: cætera verò hoc tantum bonum, hoc tantum eſſe.

14. Certum eſt differentias poſitiuas non præſcindere ab ente, quia ſunt formaliter ens, vt conſtat ex num. 8. & 9. ſed etiam certum eſt differentiam negatiuam non præſcindere ab ente, eo ipſo, quod eſt formaliter negatio entis: ratio huius eſt, quia illa ratio, quæ formaliter eſt nihil, formaliter

negat

negat ens, ſed illa ratio, quæ formaliter negat ens, non præſcindit ab ente, quia animal, quod præſcindit à rationali, non negat rationale: natura enim præciſionis eſt neque affirmare, neque negare illam rationem à qua præſcindit: ergo illa ratio, quæ formaliter negat rationem entis, non præſcindit ab ente.

15. Ad vltimum: varij varia iuxta varias ſententias: alij cenſent antecedens eſſe verum & conſequens falſum, quia conſequentia eſt nulla: ego opinor conſequentiam eſſe optimam, & conſequens eſſe verum, ſi antecedens eſt verum: quia veró conſequens eſt falſum, vt docui, ideo antecedens eſt falſum, vt conſtabit.

QVAESTIO III.

Vtrum ens præſcindat à differentijs.

1. Videtur præſcindere, quià in conceptu entis non apparent differentiæ, ſicuti non apparent in conceptu animalis: ergo vterque conceptus præſcindit à differentijs. Antecedens probatur; qui cognoſcit rationem entis, dubitat an ſit ſubſtantia vel accidens, perindé ac dubitat, an ſit homo vel equus, qui cognoſcit rationem animalis.

2. Secundó: conceptus entis eſt ſuperior conceptu ſubſtantiæ: ſed conceptus ſuperior præſcindit: ergo conceptus entis præſcindit. Maior probatur, túm quia conceptus ſubſtantiæ infert conceptum entis, & conceptus entis non infert conceptum ſubſtantiæ: túm quia idem formaliter non dicit, qui dicit ſubſtantiam eſſe ens, ac qui dicit ſubſtantiam eſſe ens per ſe.

3. Ter-

3. Tertiò: Ens poteſt præſcindere, etiamſi differentiæ non præſcindant: ergo nihil obſtat, quo minus ens præſcindat. Antecedens probatur, túm quia in omnium ſententia datur præciſio non mutua, túm quia datur aliquid, quod præſcindit à differentijs, & tamen differentiæ non præſcindunt, vt patet in ratione coloris, quæ præſcindit ab albedine, & nigredine, albedo autem non præſcindit à colore.

4. Reſp: conceptum entis non præſcindere perfectè à differentijs, ſed ſolum imperfectè, & ſecundum quid. Hęc ſententia eſt Aureoli, Ferrarienſis, Vaſquez, Caietani, & Ruuij contra Scotum, Suarium, & Arriagam.

5. Probatur primò: Differentiæ, quæ contrahunt rationem entis, non præſcindunt ab ente, vt oſtendi in qu. 2. num. 7. ergo ens non præſcindit perfectè à differentijs. Probatur conſequentia, quia præſcindere eſt intentionaliter, ſiué logicé ſeparare vnam formalitatem ab alia, ſicuti realiter & phyſicé ſeparantur duæ res vnitæ, nimirum Anima, & corpus; ſed repugnat Animam ſeparari realiter à corpore, quin corpus ſeparatur ab Anima; ergo repugnat ens ſeparari intentionaliter à differentijs, quin ipſæ differentiæ ſeparentur intentionaliter à ratione entis: ergo repugnat ens à differentijs præſcindere, ſi non præſcindunt differentiæ ab ente: ratio à priori eſt, quia vnam formalitatē ſeparari ab alia nihil aliud formaliſſimè eſt, quam conceptum formalem vnius non eſſe conceptum formalem alterius: ergo repugnat *A.* non eſſe formaliter *B.* ſi *B.* eſt formaliter *A.* ſicuti repugnat *A.* eſſe realiter à *B.* diſtinctum, ſi *B.* eſt idem realiter cum *A.*

6. Neque dicas præciſionem entis à differentijs eſſe non mutuam, hoc eſt diſtinctionem inadæ-

qua-

quatam, qualis inuenitur in rebus phyſicis inter Animam & hominem, & in rebus logicé diſtinctis inter genus & ſpeciem, nimirum inter animal & hominem: contrá enim euidenter eſt, quia diſtinctio inadæquata, ſiué realis, ſiué formalis, fundatur in diſtinctione adæquatá, Anima enim, quæ diſtinguitur phyſicé ab homine diſtinctione inadæquata, diſtinguitur adæquaté á corpore, & animal, quòd diſtinguitur logicé diſtinctione inadæquata ab homine, diſtinguitur adæquté á rationali, cum quo conſtituit ſpeciem. Ratio à priori eſt, quia diſtinctio partis á totó fundatur in diſtinctione adæquata partis à parte: ergo præciſio non mutua fundatur in præciſione mutua: ſed inter ens & differentias non poteſt dari diſtinctio inadæquata fundata in diſtinctione adæquata, quia omne id, quod continet differentia ſupra ens, eſt formaliſſimé ens: ergo ens non poteſt præſcindere à differentijs præciſione non mutuá.

7. Probatur ſecundò: Illé conceptus, qui formaliter cognoſcit plura per ordinem ad vnum, non præſcindit perfecté: ſed huiuſmodi eſt conceptus entis: ergo cónceptus entis non præſcindit perfecté à differentijs. Minor probatur primò Ariſtotelis, & S. Thomæ authoritate á quorum iudicio non licet diſcedere, quando ſermo eſt de conceptibus rerum. Audiatur Ariſtoteles, qui in primó metaphyſicæ cap. 2. hæc habet *ens multipliciter dicitur, ſed non æquiuoce, ſed ad vnam naturam: ſicuti ſanum de medicina & animali*: quid clarius dici poteſt in rem noſtram? idē docet S. Thomas fideliſſimus Ariſtotelis interpres in 1. par. qu. 3. art. 5. Secundó: totum eſſe accidentis ordinatur intrinſcé ad ſubſtantiam: prætereá accidens definitur à Philoſopho entis ens, hoc eſt ens ſubſtantiæ, quæ antonoma-

nomaſticé denominatur ens, vtpoté ſubiectum omnium accidentium, quæ proindé appellantur appendices ſubſtantiæ. Deindé euidens eſt nullum accidens eſſe gratia ſui, eſt enim gratia ſubſtantiæ, cui tribuit omnem denominationem. Ideo cognitio, quæ eſt accidens, non eſt cognoſcens, ſed denominat cognoſcentem hominem vel Angelum: albedo non eſt alba, ſed denominat parietem album: viſio non eſt videns, ſed reddit oculum videntem: idem dico de alijs formis accidentalibus, quæ totum effectum formalem communicant ſubſtantiæ, quam informant.

8. Poſito hoc diſcurſu, qui declarat naturam accidentis, ita arguo: ens dicitur de differentijs eo modo, quo ſanum dicitur de medicina & animali: ideo enim accidens eſt ens, quia habet ordinem ad ſubſtantiam, cuius eſt ens, & quam formaliter perficit, eidem tribuendo totum ſuum eſſe, ſicuti medicina eſt ſana, quia habet ordinem ad animal, cuius ſanitatem reſtaurat: ſed conceptus ſani repræſentat formaliter plura in ordine ad vnum, adeoque non præſcindit perfecté ab inferioribus, ſed imperfecté: ergo etiam conceptus entis repræſentat formaliter plura in ordine ad vnum, cum intrinſecá dependentia vnius ad aliud: quod erat demonſtrandum.

9. Ad 1. diſt: antec: in conceptu entis non apparent determinaté differentiæ: concedo antec: non apparent indeterminaté: nego antec: ille conceptus, qui ſignificat plura per ordinem ad vnum, indeterminaté repræſentat plures differentias, adeoque non præſcindit perfecté, vt euidenter conſtat in conceptu ſanitatis, qui repræſentat plura, nimirum medicinam, pulſum, & alia id genus relaté ad vnum animal, quod antonomaſticé eſt ſanum: ſed conceptus

ceptus entis eſt huiuſmodi, vt conſtat ex dictis, ſignificat enim plura in ordine ad ſubſtantiã,quæ eſt præcipuum ens: ergo conceptus entis repræſentat indeterminatè plures differentias. Eſt igitur diſpar ratio inter conceptum animalis & conceptum entis, quód in conceptu animalis non apparent determinaté, neque indeterminatè eius differentiæ: in conceptu entis apparent indeterminatè ipſius differentię. Illa dubitatio,quę ex conceptu entis naſcitur de ſubſtantia & accidente; non probat præciſionem perfectam, qui enim dicit aliquem hominem currere, dubitat an Petrus currat, & tamen non præſcindit perfecté à Petro, vt patet.

10. Ad 2. diſt. ma: conceptus entis eſt conceptus ſuperior vniuocè: nego ma: analogicè: concedo ma:& diſt: min: conceptus vniuocé ſuperior præſcindit perfecté: concedo min: analogicé ſuperior: ne: mi: & conſ: Conceptus vniuocus æquè ac analogus, eſt ſuperior;ilie perfecté, hic veró imperfecté tantum ſuperior,adeoque imperfecté præciſus. Hinc naſcitur non poſſe inferri ex conceptu entis determinatè conceptum ſubſtantiæ, ſicuti poteſt conceptus entis inferri ex conceptu ſubſtantię, quod ſatis eſt ad recognoſcendã aliquam ſuperioritatem in conceptu entis.Cæterum id non obſtat, quo minùs conceptus entis imperfecté præſcindat, quia terminus indeterminatus non infert determinatum; determinatus veró infert indeterminatum, & tamen indeterminatus non præſcindit perfecte: quicumque ergo dicit ſubſtantiam eſſe ens per ſe, non dicit idem formaliter, ac ille, qui dicit ſubſtantiam eſſe ens, quia dicit determinaté perſeitatem, quam indeterminaté ſolum dicit conceptus entis.

11. Ad 3. Nego antec: ratio eſt, quia præciſio non mutua habet locum in pręciſione generis à ſpe-

cie, non veró in præciſione generis à differentijs; præciſio enim non mutua fundatur in præciſione mutua. Hinc conceptus animalis præſcindit præciſione non mutua à conceptu hominis, & præſcindit præciſione mutua á cõceptu rationalis, idem conſtat in conceptu coloris, qui præſcindit præciſione non mutua à colore albo & nigro, quia color albus eſt ſpecies coloris, idem conceptus præſcindit præciſione mutua á differentia contrahente rationem coloris ad colorem album. Hæc differentia, quia non habet nomen proprium, vocatur nomine generis, quod contingit teſte Ariſtotele omnibus illis differentijs, quæ vocantur innominatæ, adeoque nominantur nomine generis.

QVAESTIO IV.

Vtrum ens ſit analogum ſubſtantiæ & accidenti.

1. VIdetur eſſe vniuocum primó: quia conceptus entis eſt omninó idem in ſubſtantia & accidente: ergo eſt vniuocus. Antec: prob: quia conceptus entis eſt id, cui non repugnat exiſtere, ſiué quod habét prædicata intrinſeca; ſed hoc tám conuenit ſubſtantiæ, quám accidenti, ergo &c.

2. Secundó: eodem modo prædicatur ens de ſubſtantia & accidente, quo prædicatur animal de homine & equo; ſed hoc prædicatur vniuocé: ergo etiam illud. Maior probatur, quia ſicuti eſt verum hominem & equum eſſe animal; ita eſt verum ſubſtantiam & accidens eſſe ens.

3. Tertió: diuerſitas, qua prædicatur ens de acci-

accidente conſiſtit in differentia, quæ contrahit conceptum entis; ſed iſta diuerſitas non impedit, quo minùs ratio entis ſit omninó eadem, vt patet in omnibus differentijs contrahentibus genus: ergo &c.

4. Quartó: accidens habet ſimilitudinem cum ſubſtantia in ratione entis: ergo ratio entis poteſt prædicari vniuocé de ſubſtantia & accidente.

5. Reſpondetur: conceptum entis eſſe analogum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis. Probatur primó; ens non eſt vniuocum: ergo analogum. Antecedens probatur: quod prædicatur vniuocé, debet eſſe perfectè præciſum ab omnibus differentijs; ſed conceptus entis non præſcindit perfectè à ſuis differentijs, vt oſtenſum fuit in qu.3. ergo ens non eſt vniuocum. Confirmatur, quia ſi eſſet vniuocum, eſſet genus: non eſt genus: ergo non eſt vniuocum. Minor eſt certa fere apud omnes Philoſophos, qui propterea docent non fuiſſe poſitum ab Ariſtotele ens in prædicamento ſubſtantiæ, quia ſupra ſubſtantiam nullum datur genus, ens enim quod eſt ſupra ſubſtantiam, non eſt genus. Audiatur S. Thomas, qui in rem noſtram hæc habet in prima par. qu.3.art.5. vbi probat Deum non eſſe ſub genere hoc argumento, *ſi Deus eſſet in aliquo genere oporteret quod eius genus eſset ens, quod non eſt genus: omne enim genus habet differentias, quæ ſunt extra eſſentiam generis: nulla autem differentia poteſt inueniri, quæ ſit extra ens, quia non ens non poteſt eſse differentia*: hactenus S. Doctor.

6. Probatur ſecundó: analoga ſunt quorum nomen eſt commune, & ratio ſignificata per nomen partim eadem & partim diuerſa: huiuſmodi eſt ratio entis: ergo &c. Minor probatur: illa ratio, quæ prædicatur de vno tantum in ordine ad aliud,

quod per ſe & independenter ab alio reſpectu participat eamdē rationem,non eſt omninò eadem;prædicatur enim diuerſimodé: ſed ratio entis prædicatur de accidente tantúm inordine ad ſubſtantiam, de qua prædicatur independenter ab alio reſpectu: ergo &c. Minor probatur, quia eſſe accidentis eſt formaliſſimé eſſe in ſubſtantia, ideo definitur á Philoſopho entis ens: ergo ratio entis abſtractiſſimé conſiderata prædicatur de accidente in ordine ad ſubſtantiam. Conſequentia probatur primó, quia ratio entis non poteſt prædicari veré de accidente, niſi prædicetur eo modo, quo conuenit accidenti; ſed accidenti,cuius eſſe formaliſſimè eſt eſſe in ſubſtantia, conuenit per ordinem ad ſubſtantiam: ergo &c. ſecundó á pari: ideo ratio ſani non poteſt prædicari de medicina niſi per ordinem ad animal, quia medicinam eſſe ſanam eſt formliſſimé eam eſſe cauſam ſanitatis; ſed eſſe accidens eſt formaliſſimé eſſe in ſubſtantia: ergo &c.

7. Neque dicas euidentem eſſe diſparitatem inter ſanum & ens; cum medicina non habeat intrinſecé ſanitatem, accidens veró intrinſecé habeat eſſe: quia hanc euidentem diſparitatem optimé video: ſed ſimul video eam eſſe materialem, adeoque non ſpectare ad rem præſentem, quia comparatio, qua comparo ens cum ſano, in eo præcisé conſiſtit, quód ſicuti ſanum non prædicatur de medicina, niſi in ordine ad animal, ita exiſtere non prædicatur de accidente, niſi inordine ad ſubſtantiam: quidquid ſit, án hoc prædicetur intrinſecé, illud veró extrinſecé.

8. Probatur tertió: denominatio entis conuenit ſubſtantiæ ſimpliciter, propriè, & vt quod: accidenti veró impropriè, ſecundum quid, & vt quo: ergo ratio entis non eſt omninó eadem: ergo ens

non

non eſt vniuocum, ſed analogum. Antecedens patet, quia nullum prædicatum conuenit proprié, & vt quod accidenti; ſed ſolum ſubſtantiæ informatæ accidentibus: quód ſi aliqua denominatio tribuitur accidenti, ea tribuitur limitatè, & reſtrictè ſiué vt quo, hinc albedo non dicitur alba, ſed dicitur eſſe forma, qua ſubiectum denominatur album: præterea accidens eſt inſtrumentum ſubſtantiæ in ordine ad eius perfectionem, quia ſubſtantia ſicuti indiget inſtrumentis ad operandum, ita indiget accidentibus ad exiſtendum perfectè. Conſeq. prob: quia non poteſt vniuocé prędicari aliquod nomen, quando eius denominatio conuenit ſimpliciter & vt quod vni, ſecundum quid & vt quo alteri, vt patet manifeſta inductione: ratio cognoſcitiui non prædicatur vniuocé de cognitione, & cognoſcente, quia de cognitione prædicatur vt quo, de cognoſcente vt quod: eſſe productiuum effectus non prædicatur de cauſa, quæ agit vt quod, & de actione, quæ agit vt quo, non prædicatur inquam vniuocé & eodem modo.

9. Hinc colliges principale analogatum in conceptu entis eſſe ſubſtantiam; ſicuti in conceptu ſani eſt animal: ratio eſt, quia ſubſtantia eſt prima entitas, de qua prædicatur vt quod, & ſimpliciter ipſum eſſe: cætera veró prædicamenta, quæ pertinent ad rationem accidentis, dicuntur ens per ordinem ad ſubſtantiam, quantitas enim denominat ſubſtantiam prædicamentalem, & ſic de alijs. Indè eſt ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, eſſe analogum, ſicuti eſt analogum ſanum, quia ſignificat ordinem plurium rerum ad vnum.

10. Ad 1. nego antec: Ad eius probationem: concedo ma: & nego mi: id cui non repugnat exiſtere, non prædicatur eodem modo de ſubſtantia &

accidente, quia de ſubſtantia prædicatur vt quod, de accidente vt quo. Ratio á priori eſt, quia exiſtere formaliſſimé eſt habere intrinſecè aliquod prædicatum ſibi conueniens; ſed omnia prædicata, quæ conueniunt accidenti, conueniunt ſolum vt quo, ſiué in ordine ad ſubſtantiam, quia accidens eſt id, quod denominat ſubſtantiam, ergo exiſtere prædicatur analogicé de ſubſtantiá & accidente.

11. Ad 2. nego ma: diſparitas inter animal & ens eſt euidens, quia nullũ animal participat rationem animalis per ordinem ad aliud animal, in ordine ad quod definiatur, vt patet diſcurrendo per omnia animalia: oppoſitum contingit in accidente, quod participat rationem formalem entis per ordinem ad ſubſtantiam, qui ordo exprimitur in definitione accidentis vt demonſtratum eſt. Hoc nomen *ens* eſt commune ſubſtantiæ & accidenti, ſicuti hoc nomen *animal* eſt commune homini & equo, quia in hoc conueniunt analoga eum vniuocis, quód nomen vtrobique eſt commune, quia veró ratio ſinificata per nomen animalis eſt eadem in omnibus, ideo nulla eſt paritas.

12. Ad 3. diſt: ma: diuerſitas conſiſtit in differentia, á qua ens præſcindit: nego ma: in differentia, à qua non præſcindit: concedo ma: & diſtincta mi: nego conſeq: in æqualitas differentiarum, quæ contrahunt rationem generis, non tollit vniuocationem, vt probat argumentum, quando ratio ſuperior præſcindit perfectè á differentijs,quod tunc contingit, quando differentiæ ſunt extra rationem formalem generis, vt conſtat in rationalitate reſpectu animalitatis. Indé eſt, quód animal contractum ad ſpeciem equi per differentiam minus perfectam eodem modo prædicatur de equo, ac de homine, quia non prædicatur de equo in ordine ad homi-

hominem: idem non contingit in conceptu entis, qui contrahitur ad accidens per inaleitatem, quæ eſt in ordine ad ſubſtantiám.

13. Ad quartum: diſt: antec: Accidens habet ſimilitudinem perfectam cum ſubſtantia in ratione entis: nego antec: imperfectam: conc: antec: & nego conſequentiam: ſicuti medicina & animal habent ſimilitudinem imperfectam in ratione ſani; ita accidens, & ſubſtantia habent ſimilitudinem imperfectam in ratione entis, quæ eſt partim eadem, & partim diuerſa in ſubſtantia, & accidente, eo pacto, quo ratio ſani eſt partim eadem & partim diuerſa in medicina, & animali.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ens ſit analogum Deo, & creaturæ.

1. Videtur non eſſe primò: quia Deus, & creatura conueniunt in ratione entis: ergo à Deo, & creatura poteſt abſtrahi ratio entis communis vniuoce: antec: probatur, quia omnes res creatæ ſunt quædam imitationes entis increati, adeoque habent ſimilitudinem, & conuenientiam cum Deo in ratione exiſtendi.

2. Secundò: omnia, quæ dicuntur promiſcue de Deo, & rebus creatis, eaque ſignificant puram perfectionem, pręָdicantur verè de Deo, vt docet S. Thomas in prim. part. quęſt. 13. art. 4. videlicet conceptus viuentis, intelligentis, ſapientis, & ſimiles, qui ſignificant perfectionem pręciſam ab omni imperfectione: ſed non poſſunt vere pręǳicari de Deo, ſi huiuſmodi conceptus non ſunt vniuoci Deo, & creaturę: ergo dantur plurimi concep-

 tus

tus vniuoce prędicabiles de Deo, & creaturis.

3. Tertio: id quod eſt ſolum ens per attributionem ſiue per ordinem ad aliud, non eſt ſimpliciter ens: ſed omnis ſubſtantia creata eſt ſimpliciter ens, quia per ſe intrinſece exiſtit: ergo ſubſtantia creata non eſt ens per attributionem; ſiue per ordinem ad aliud: ergo ens non eſt analogum Deo & creaturę, ſicuti eſt ſubſtantię, & accidenti.

4. Quartó: Ratio entis abſtractiſſimè conſiderati præſcindit ab omni imperfectione: ergo præſcindit perfectè à Deo, & creatura; ergo prædicatur vniuocé de Deo, & creatura. Vtraque conſequentia eſt euidens: antec: prob; alioquin non daretur diſcrimen inter conceptum, qui præſcindit, & conceptum, qui non præſcindit ab imperfectione.

5. Reſpondetur: conceptum entis eſſe analogum Deo, & creaturæ; ità docet S. Thomas loco citato, Caietanus ibidem, Domicus Sotus in ante prædicamentis, Capreolus, Suarius, & Vaſquez contra Scotum, Arriagam, & alios recentiores.

6. Probatur primó: ratio ſignificata per nomen entis non eſt omninò eadem in Deo, & creatura: ergo ens eſt analogum Deo, & creaturæ. Antec: probatur, Illa ratio non eſt omnino eadem, quæ ita conuenit duobus, vt de vno prædicetur abſoluté, & ſimpliciter; ſiuè primario, atque principaliter, & de alio per ordinem, & dependentiam, adeoque ſecundario, & minus principaliter: ſed ratio entis prædicabilis de Deo & creatura eſt huiuſmodi: ergo &c. Min: probatur. Ratio entis eo modo conuenit creaturæ, quo ſignificatur ei conuenire in definitione creaturæ: ſed in definitione ſignificatur conuenire per dependentiam, & ordinem ad áliud ens, quod eſt ſimpliciter primum ens, quia creatura definitur ens ab alio: ergo ratio

tio entis prædicatur de creatura ſecundarió, & dependenter ab alio ente. E contrarió Deus definitur ens á ſe, ſiuè ens independens: idcirco ratio entis conuenit principaliter, & primarió Deo; est igitur Deus primum analogatum; quod ſignificatur nomine entis abſtractiſſimé accepti. Confirmatur: quia ſi eſſet aliquod animal, ad quod contraheretur ratio animalis per ordinem eſſentialem ad præſtantiſſimam animalium ſpeciem, nimirum hominem, vtique homo, & quodlibet animal non conuenirent vniuocé in conceptu animalis: ergo creatura, ad quam contrahitur ratio entis per dependentiam eſſentialem á primo, & præſtantiſſimo ente, non poteſt vniuoce conuenire cum Deo in conceptu entis.

7. Probatur ſecundó: ens creatum prædicatur analogicé de ſubſtantia, & accidente, vt conſtat ex qu. 4.: ergo ens vniuerſaliſſimè acceptum prædicatur analogicé de Deo & creatura. Conſequentia probatur. Maior proportio inuenitur in ratione entis creati inter ſubſtantiam, & accidens, quám inueniatur in ratione abſtractiſſima entis inter Deum & creaturam: ſed proportio inter ſubſtantiam & accidens non eſt tanta, vt excludat analogiam, & includat vniuocationem in conceptu entis communi ſubſtantiæ, & accidenti: ergo proportio inter Deum & creaturam in ratione entis non excludit analogiam á conceptu entis communi Deo & creaturæ; ergo ratio entis eſt analoga Deo & creaturæ. Maior probatur, quia licet accidens non perueniat ad illum modum perfectum exiſtendi, quem habet ſubſtantia, nihilominus diſtantia & conſequenter improportio eſt ſimpliciter finita: é contrarió creatura, quantumuis valde perfecta, diſtat infinité á Deo in ratione exiſtendi, adeoque

habet maiorem improportionem cum cum Deo in ratione entis: quam habeat accidens cùm ſubſtantia.

8. Huic diſcurſui,in quo fundatur analogia entis communis Deo, & creaturæ propter dependentiám eſſentialem entis creati ab increatovaldé conſonant ea,quæ vnanimi conſenſu docent SS. Patres: dum loquuntur de eſſe, quod habet creatura relatè ad illud ſummnm eſſe, quod habet Deus. Vnus inter cæteros audiatur Auguſtinus, qui comparando ingenioſé res omnes creatas cum Deo eas iuxta modum loquendi ſcripturæ ait potius non eſſe, quam eſſe, quia illud ſolum veré eſt, quod incommutabiliter eſt, hæc habet ingenioſiſſimè in lib. 7. ſuarum Confeſſ. c. 11. vbi Deum alloquens itá ait; *Inſpexi cætera infra te, & vidi nec omnino eſſe, nec omnino non eſſe, eſſe quidem quoniam à te ſunt: non eſſe verò quoniam id quod es non ſunt, id enim verè eſt, quod incommutabiliter manet*. Vbi ſunt diligenter notanda illa verba,in quibus præfatus Doctor rationem affert, cur creaturæ verè ſint, & véré non ſint ſiné vlla repugnantia, quæ ratio demonſtrat ánalogiam entis prædicabilis de creatura, & Deo. Idem Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei cap. 9. laudat Platonem, qui cætera omnia, quæ non ſunt Deus, appellauit non entia, quia ſunt quædam imperfecta imitamenta diuini eſſe, & deficientes propagationes illius infiniti entis, quod eſt ſimpliciter, & abſoluté ens. In eamdem rem loquitur profunde Dionyſius in ſeptimo de diuinis nominibus cum alijs innumeris P. P. quos nimius eſſem, ſi vellem referre ſingulos: eorum teſtimonia videri poſſunt apud Gabrielem Vaſquez, qui eadem eruditiſsimè exponit in cap. 5. diſp. 22. in prim. part. S. Thomæ vbi hanc noſtram

ſen-

ſententiam acerrimè defendit, vt pote magnopere conformem doctrinæ omnium Patrum.

9. Mon eſt animus ſingillatim perſequi cæteros conceptus communes Deo, & rebus creatis, qui ſunt conceptus vitæ, conceptus fælicitatis, ſapientiæ ſanctitatis, & ſimiles, quia eamdem ſententiam debemus ferre de vno quoque, ac de conceptu entis propter rationem vtrobique eamdem, ſi enim eſſentialis dependentia entis creati àb increato eſt cauſa, cur conceptus entis ſit analogus; quare eſſentialis dependentia ſapientiæ creatę ab increata non refundet analogiam in conceptum ſapientiæ? Hinc habes, quód omnes conceptus, qui ſignificant perfectionem ſeparatam ab imperfectione, ſunt conceptus analogi, quilibet enim conceptus huius generis eſt talis naturæ, vt prædicetur de vno in ordine ad aliud, quia differentia, quæ contrahit huiuſmodi conceptum ad vnum ex inferioribus, eſt ſola carentia perfectionis, quæ in alio reperitur. Id ſatis conſtat, (vt cæteros prætermittam) in conceptu bonitatis, qui contrahitur ad Deum, & creaturam, eo quód creatura eſt quidem bona, ſed ea bonitate bona, vt habeat defectum infinitæ bonitatis, qua eſt bonus Deus, qui eſt ſummum, & vniuerſale bonum: in hoc ſenſu ait Chriſtus neminem appellandum bonum niſi ſolum Deum, quia ſolus Deus eſt antonomaſticè bonus. Quidquid eſt commune Deo, & creaturæ, eſt prædicabile prius de Deo, quam de creatura, quæ habet vitam, ſapientiam, bonitatem, cæteraſque perfectiones per dependentiam, & ordinem ad primam vitam, ad primam ſapientiam, & primam bonitatem, ideam omnis vitæ, omnis ſapientiæ, & omnis bonitatis.

10. Ad primum: non omnis conuenientia ſatis eſt ad abſtrahendam vnam rationem prædicabi-

bilem vniuoce, alioquin analoga nullam haberent ſimilitudinem, adeoque non diſcreparent ab æquiuocis, quod eſt apertè falſum: ſimilitudo, quam habent cum Deo res creatæ in ratione exiſtendi, in eo præciſé conſiſtit, quód res creatę imitantur, quantum poſſunt, illud ſummum eſſe, quod habet Dius, huiuſmodi ſimilitudo eſt valde debilis, & imperfecta, vtpote coniuncta cum infinita diſſimilitudine in ratione exiſtendi, quiá illud eſſe, propter quod creatura Deum imitatur, eſt finitum, & limitatum: è contrariò non eſſe, propter quod eſt diſſimilis Deo, eſt infinitum. Eadem ſimilitudo eſt fundamentum alicuius conceptus prædicabilis de Deo, & creatura analogice non vniuoce; quod non contingit in conceptu animalis prædicabilis de omnibus animalibus prædicationevniuoca, quia diſſimilitudo vnius animalis ab alio conſiſtit in aliqua ratione, quæ non eſt formaliter ratio animalis.

11. Ad ſecundum: diſt: ma: verè prædicantur de Deo itá, vt priùs, & principaliter conueniant Deo & non creaturæ: conc. ma: itá vt eodem modo conueniant vtrique: nego ma: S. Thomas loco in argumento citato duo docet, quæ noſtram ſententiam probant, & confirmant. Primò docet huiuſmodi conceptus, de quibus ſermo eſt, verè tribui Deo, quia omnis perfectio creata non eſt formaliter, ſed ſolum eminēter hoc eſt ſecluſis imperfectionibus in Deo: ſecundó docet huiuſmodi conceptus, quantum ad rem ſignificatam, Deo magis proprie conuenire, quam creaturæ: quia prius debent tribui Deo quam creaturæ, cum res omnes creatæ eatenùs ſint bonæ, ſapientes, & intelligentes, quatenús participant diuinam bonitatem, ſapientiam, & intelligentiam. Ex hac doctrina ſequi-

quitur nullam eſſe neceſſitatem conceptus vniuoci, vt veré dicatur Deus, ſapiens, bonus, & ſanctus, ſicuti dicitur, ſapiens, bona, & ſancta creatura.

12. Ad tertium: conc: ma: & nego mi: Æquiuocatio conſiſtit in hac voce *ſimpliciter*: hæc enim ſi negat ſolum ens ſine addito diminuente, ſiue ſine ordine ad aliud ens; veriſſimum eſt, omne illud quod eſt ens per áttributionem, non eſſe ſimpliciter ens: quia licet intrinſece participet rationem entis, eam partipat per dependentiam á Deo, qui eſt principale analogum entis: ſufficit igitur ad analogum attributionis, vt illud, quod prædicatur ſimpliciter de vno analogo, prædicetur ſecendùm quid de alijs: hoc eſt per dependentiam ab alio primo ente, quidquid deinde ſit an ratio analoga ſit intrinſeca in omnibus analogatis, an in vno tantum: vt docui in tomo 1. diſp. 8. de Antep.

13. Ad vltimum: diſt: ma: ratio entis præſcindit perfectè ab imperfectione: nego ma; præſcindit imperfectè: conc: ma: & diſtincta min: nego conſequentiam. Débes diſcurrere eodem modo de ente communi creato, & increato, ac de ente communi ſubſtantiæ, & accidenti; vtrumque enim eſt analogum: quia veró docui conceptum entis communem ſubſtantiæ, & accidenti non eſſe perfectè præciſum à differentijs; ideó conceptus entis communis Deo & creaturæ non præſcindit perfectè ab imperfectione creaturæ, quià eam includit indeterminaté. Hinc patet diſparitas inter conceptum entis, qui eſt conceptus perfectionis puræ, & conceptum diſcurrentis, quod iſte includit determinatè imperfectionem, adeoq; non poteſt de Deo prædicari, ille veró non includit determinaté imperfectionem, ſed ſolum indeterminate, quòd non eſt ad rem.

DISPVTATIO TERTIA.

De ente abſoluto, & relatiuo.

ENs reale diuiditur in ens abſolutum, & relatiuum: ens relatiuum aliud tranſcendentale, quod eſt commune omnibus prædicamentis, aliud prędicamentale, quod conſtituit vnum ex decem prædicamentis: de vtroque agit Ariſt. in Metaphyſica.

QVAESTIO I.

An ſit, & quid ſit ens relatiuum.

1. RElatiua definiuntur ab Ariſtot. loco citato eſſe illa quorum eſſe eſt ad aliud ſe habere: hinc eſt, quòd relatio formaliſſime eſt ordo, ſiue reſpectus vnius ad aliud, (vt optime notat Suarius diſputatione 57. ſect.1.) eſt enim illa ratio formalis, per quam vnum reſpicit aliud, cum hoc diſcrimen ſit inter ens abſolutum, & relatiuum, quód abſolutum in ſuo conceptu non inuoluit ordinem ſiue reſpectum vnius ad aliud, quem ordinem formaliſſime inuoluit eſſe relatiuum; ideo illud vocatur abſolutum, quaſi ſolutum ab omni ordine & reſpectu: hoc relatiuum, quaſi aliud reſpiciens, eſt enim formaliſſime eſſe ad aliud, & non poteſt inue-

inueniri; niſi inter res diſtinctas, quia inter eas; quæ habent identitatem nullus datur ordo, nullus reſpectus, nulla ſimilitudo. Notanter igitur Ariſtoteles prædicamentum relationis vocat prædicamentum ad aliquid, quia eſſe relationis formaliſſime eſt eſſe ad aliud, reperitur enim inter duo quorum vnum reſpicit aliud.

2. Exiſtere in rerum natura hoc ens relatiuum, quod Auerroes in ſeptimo Metaphyſicæ ait eſſe debiliſſimum in genere entis, eſt euidens ex doctrina Philoſophi, quidquid contradicant aliqui Philoſophi vetuſtiſſimi, quos refert commentator in ſeptimo Metaphyſicæ; & ſequuntur ex Theologis q.3. Henricus de Gandauo in 1.q.2. & Aureolus apud Capreolum falsò opinantes relationem eſſe prædicatum ſecundò intentionale, ſicuti eſſe cognitum: ratio eſt manifeſta, quia nemo eſt, qui poſſit prudenter dubitare, an duo ligna palmaria ſint realiter æqualia, an duo parietes albi ſint realiter ſimiles, an Philippus vere fuerit Pater Alexandri; ſed eſſe æqualem, eſſe ſimilem, eſſe patrem eſt formaliſſime eſſe relatiuum: ergo eſſe relatiuum eſt aliquid reale. Præterquam quod apud Philoſophos Catholicos, (vt egregie obſeruat Ruuius in logica quæſtione ſecunda de relatione) non eſt licitum dubitare, an dentur aliquæ relationes reales, quia diſtinctio realis Perſonarum, quam vnà cum identitate eſſentiæ credimus in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, fundatur in relationis oppoſitione inter perſonam producentem, & perſonam productam.

3. Hinc originem traxit celebris diuiſio relationis in realem ſiue Phyſicam, & rationis, ſiue ſecundùm dici: relatio realis eſt, quæ datur nullo intellectu cogitante, qualis eſt relatio inter Pa-

trem, & filium, & ſimiles. Relatio rationis eſt, quæ non datur niſi per intellectum, qui cognoſcit vnum referri ad aliud, quod verè non refertur: huiuſmodi eſt relatio ſenſibilis ad ſenum, & ſcibilis ad ſcientiam, vt ait Ariſtoteles in 5. Metaph. licet enim relatio ſcientiæ ad ſcibile ſit realis, ſicuti relatio cognitionis ad obiectum, relatio tamen ſcibilis ad ſcientiam non eſt realis, quia nihil eſt in obiecto, per quod referatur ad ſcientiam, ſed eſt relatio rationis, quia intellectus concipit obiectum ſcibile relatè ad ſcientiam, perinde ac ſi haberet hunc ordinem. Ad hoc genus relationis, quæ vocatur relatio ſecundùm dici, eò quod dicitur, ſed vere non eſt relatio, ſpectant relationes, quas habent denominationes logicæ, nimirum *ſubiectum, prædicatum, genus, &c.* ita inter gradum genericum, & ſpecificum nimirum inter animal, & hominem, datur relatio rationis, quia animal non diſtinguitur ab homine niſi diſtinctione rationis. Hinc patet relationem realem, & rationis non eſſe duas ſpecies contrahentes idem genus, quia conceptus relationis non eſt vniuocus vtrique, vt optime probat Suarius loco citato.

3. Relatio realis, vt omittam alias relationes, quibus ſine fructu recenſendis ſolent multum temporis impendere Philoſophi moderni, alia eſt tranſcendentalis, alia prædicamentalis: iſta conſtituit peculiare prædicamentum à reliquis diſtinctum, illa tranſcendit per omnia prædicamenta, adeoque vocatur tranſcendentalis, quia nullum eſt ens creatum, quod non ſit eſſentialiter relatiuum propter illam relationem dependentiæ, quam habent res creatæ a Deo.

4. Nomine relationis prædicamentalis, de qua inſtituimus præſentem diſputationem, vulgò intelligi-

ligitur relatio accidentalis ſubiecto: in hoc relationum genere enumerãtur relationes ſimilitudinis,& diſsimilitudinis inter res informatas qualitate ſimili, vel diſsimili, vt ſimilitudo, quæ inuenitur inter duos parietes albos, & diſsimilitudo inter vnum album, & alium nigrum; ſimilitudo æqualitatis, & inæqualitatis, diſtantiæ, & indiſtantiæ, coexiſtentiæ inter ea, quæ ſunt eodem tempore, paternitatis, & filiationis, & aliæ ſimiles, quæ ſunt accidentales ſubiecto, eſt enim accidentale parieti eſſe ſimilem alteri parieti, quia vtrique eſt accidentale eſſe album.

5. In quacumque relatione tria ſunt obſeruanda: ſubiectum quod refertur, & denominatur relatiuum, idem vocatur fundamentum relationis, quia eſt id pro quo ſupponit denominatio relatiua: terminus, ad quem ſubiectum refertur, quia non poteſt intelligi ens relatiuum, niſi intelligantur duo, quorum vnum refertur ad aliud; prętereá requiritur ratio fundandi, quæ eſt illa ratio formalis, per quam fundamentum conſtituitur relatiuum, vt conſtat in relatione paternitatis, & filiationis; Philippus, qui eſt Pater Alexandri, eſt fundamentum huius relationis, quæ vocatur Paternitas; Alexander genitus á Philippo eſt terminus, actio generatiua, per quam Philippus genuit Alexandrum, eſt ratio, quæ fundat talem reſpectum. Prætereá paries *A* ſimilis parieti *B* eſt fundamentum ſimilitudinis, terminus eſt paries *B*: ratio fundandi eſt albedo exiſtens in vtroque pariete, iſta enim fundat ſimilitudinem, quia ſimilia, vt inquit Philoſophus, ea ſunt, quorum qualitas eſt vna: vſus tamen inualuit, vt requiſita ad relationem recenſeantur fundamentum, & terminus, quia nomine fundamenti intelligitur ſubiectum cum ratione fundandi, in

quo ſenſu vocatur fundamentum proximum, & fundamentum diſtinctum á ratione fundandi vocatur remotum: vtrumque promiſcue vſurpabo, quod monere debeo, ne quis opinetur a me excludi rationem fundandi, dum in ſequentibus quæſtionibus de fundamento, & termino mentionem faciam.

QVAESTIO II.

Vtrum ens relatiuum ſit realiter diſtinctum à duplici ente abſoluto.

1. NOn eſt dubium de formali diſtinctione, quia conceptus formalis entis relatiui non eſt conceptus formalis duplicis entis abſoluti. Dubium eſt de reali diſtinctione, an nimirum ens relatiuum quod eſt ipſa relatio prędicamentalis, quia de tranſcendentali non eſt in pręſenti ſermo, ſit aliquid re ipſa diſtinctum ab extremis, quæ viciſſim referuntur; quid enim eſt ille reſpectus, qui eſt inter patrem, & filium, inter res ſimul exiſtentes, & alia eiuſde generis? eſt ne aliquid re ipſa diſtinctum á Patre, & filio? an vero nihil aliud tandem eſt quam Pater, & filius? Sunt plurimi, qui opinantur huiuſmodi relationem eſſe realiter diſtinctam à fundamento, & termino, cenſent enim paternitatem eſſe aliquam rem diſtinctam à Patre, & filio, & relationem ſimilitudinis eſſe aliquam rem diſtinctam á rebus, quæ ſunt ſimiles, eamque plerique appellant modum eo pacto, quo illa forma, quæ conſtituit Petrum in loco eſt forma modalis, de qua in tomo 2. Eodem modo philoſopantur de om-

omni relatione prędicamentali, in qua proinde diſtinguunt relationem fundamentalem á formali, nimirum ſimilitudinem fundamentalem á ſimilitudine formali: dicunt enim duplicem parietem album eſſe ſimilitudinem fundamentalem, illud vero ens, quod reſultat ex duplici pariete albo, relationem formalem: qua in re; quantũ ego arbitror, ſibi contradicunt, quiá omnia argumẽta, quę probant relationem formalem realiter diſtinctam á duplici pariete albo, probant etiã relationem fundamentalem realiter diſtinctam ab extremis, quæ inuicem referuntur. Hanc ſententiam ſequuntur ferè omnes Thomiſtæ, qui videri poſſunt apud Suarium diſput. 47. ſect. 2. contrariam ſententiam docent omnes Nominales cum pluribus recentioribus Ochamus in 1. diſt. 3. Gregorius diſt. 28. qu. 2. Ægidius in 2. diſt. 28. qu. 4. & alij, qui docent relationem formalem non eſſe realiter diſtinctam á fundamento, & termino collectiuè acceptis.

2. Noſtra ſententia eſt, relationem prædicamentalem non diſtingui realiter á fundamento, & termino. Dubium mihi non eſt, quin docuerit expreſsé hanc ſententiam S. Thomas, qui licet fuerit alibi loquutus ambigue, nihilominus in opuſculo 48. cap. 2. hæc habet in rem noſtram. *Cum autem dico, quod ſimilitudo ſortis habet albedinem, vt fundamentum, non eſt intelligendum, quod ſimilitudo ſortis ſit res aliqua in ſorte; alia ab ipſa albedine, ſed ſolum eſt ipſa albedo, quæ ſe habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum.* Hactenus S. Doct: qui non poterat loqui clarius ad mentem ſuam nobis aperiendam circa relationem ſimilitudinis, quam dicit conſiſtere tantum in Sorte albo, & Platone ſimiliter albo: idem docet Ariſtoteles in quinto Phyſicorum, vbi ait: *relatio aduenit rei ipſa immutata*

manente: idem ſentit Auguſtinus in 5. de Ciuitate Dei cap. 26.

3. Probatur primó. Duæ magnitudines ſunt æquales eo ipſo, quód vtraque eſt vnius palmi: duo parietes ſunt ſimiles eo ipſo, quód vterque habet æquales gradus albedinis: duo homines ſibi coexiſtunt per hoc præciſe, quód vterque ſimul exiſtat; ergo relatio æqualitatis non eſt realiter diſtincta á rebus æqualibus, & relatio ſimilitudinis non eſt realiter diſtincta à rebus ſimilibus, ſed rés æquales ſunt fundamentum, & terminus relationis, ergo relatio prædicamentalis non diſtinguitur realiter á fundamento, & termino. Hoc argumentum demonſtrat nullam eſſe neceſſitatem ponendi aliquam formam modalem diſtinctam á fundamento, & termino, vt fundamentum, & terminus denominentur relatiua.

4. Probatur ſecundó: Relatio fundamentalis, quam, (vt inquiunt aduerſarij) neceſſarió ſequitur entitas diſtincta, quæ formaliter denominat fundamentum relatiuum, eſt ipſa formalis relatio, ergo formalis relatio non diſtinguitur realiter á fundamento, & termino. Antec: probatur. Illud quod eſt in Philippo, & Alexandro ratione cuius debet produci entitas diſtincta, ſiue relatio Paternitatis, eſt in ſententia Thomiſtica relatio fundamentalis: ſed huiuſmodi eſt formalis relatio paternitatis: ergo relatio formalis non diſtinguitur à fundamentali. Minor probatur, quia tunc intelligitur formalis relatio, quando intelligitur vnum habere ordinem ad aliud; ergo quotieſcumque aliquid intelligitur ità conſtitutùm, vt totum ipſius eſſe reſpiciat aliud, eo ipſo intelligitur formalis relatio, quia non poteſt dari effectus formalis ſine cauſa formali; ſed Philippus pater, quando habet

bet relationem fundamentalem, habet ordinem, & connexionem cum filio, ſi enim nullam habet connexionem, non exigit eſſentialiter produci entitatem diſtinctam, per quam referatur ad filium; ergo relatio, quam Thomiſtæ vocant fundamentalem, eſt formalis relatio: ſed relatio fundamentalis non diſtinguitur realiter à fundamento, & termino, ergo neque relatio formalis.

5. Hinc eſt parietem album, qui eſt indifferens ad habendam ſimilitudinem cum alio pariete, fieri relatiuum, & ſimilem, per hoc præciſe, quód adueniat alius paries albus, adeoque de non relatiuo tranſire in relatiuum per mutationem extrinſecam, quia denominatio relatiui non eſt adęquatè intrinſeca ſingulis rebus, quæ viciſſim referuntur. Contra hac doctrinam.

6. Obijc: primò datur aliqua relatio prædicamentalis, quæ perficit intrinſecè fundamentum relationis, ergo debet realiter diſtingui à fundamento, & termino. Antecedens probatur. Singulæ partes mundi per hoc præciſè, quód habent ordinem ad alias partes, cum quibus componunt totum mundum, acquirunt aliquam pulchritudinem & elegantiam ſibi intrinſecam, quæ vtiquè non inuenitur in rebus carentibus pulchritudine ordinis, ſed pulchritudo ordinis nihil eſt aliud, quàm relatio vnius partis ad aliam, ergo &c.

7. Reſpondetur: diſt: antec: datur relatio, quæ perficit intrinſecè fundamentum perfectione adæquatè intrinſeca: nego antec: perfectione partim intrinſeca, & partim extrinſeca: conc: antec: & nego conſequentiam: ad probationē antecedentis: diſt. ma: acquirunt pulchritudinem, quæ illas perficit perfectione adæquatè intrinſeca: nego ma: partim intrinſeca, & partim extrinſeca: conc: ma: &

nego conſequentiam. Perfectio ſiue pulchritudo ordinis non poteſt dari ſine congrua diſpoſitione alicuius multitudinis, quia vbi non datur multitudino, ibi non datur ordo; cum omnis ordo includat formaliter diſtinctionem, vt patet ex terminis. Hinc eſt, quód huiuſmodi perfectio in ſuo conceptu formali inuoluit ſaltem duo diſtincta, videlicet perfectionem intrinſecã vni parti, & perfectionem ſimiliter intrinſecam alteri parti, adeoque alterutra deficiente debet neceſſarió deficere perfectio ordinis; non eſt igitur bona conſequentia: *vna pars exiſtente alia parte acquirit pefectionem ordinis, ergo vna pars quatenus habet ad aliam partem ordinem, perficitur, & mutatur intrinſecè*: ratio á priori cur, non valeat iſta conſequentia, eſt, quia ordo formaliſſimé, qua talis, involuit exiſtentiam multarum rerum, quæ ſunt inuicem ordinatæ: ergo ſicuti coexiſtentia, quia eſt formaliſſimè duarum rerum exiſtentia, quarum altera eſt alteri extrinſeca, non eſt denominatio adæquate intrinſeca, itá perfectio ordinis, quæ formaliſſimé inuoluit duas partes, quarum vna eſt extrinſeca alteri, non eſt denominatio adæquatè intrinſeca vni parti: ſed in omnibus denominationibus, quæ non ſunt adæquatè intrinſecæ rei denominatæ, male arguitur á noua denominatione ad nouam perfectionem intrinſecam: ergo in denominatione ordinis, de qua ſermo eſt, male arguitur á noua denominatione vnius partis ad nouam perfectionem ſibi intrinſecam, quia vna pars accedente alia parte acquirit relationem ordinis.

8. Obijc. ſecundó: Vna pars exigit aliam partem, cum qua conſtituit ordinem, ergo perficitur intrinſece per coexiſtentiam cum alia parte.

9. Reſpondetur: conc: antec: & nego conſequentiam: quod ſi quæras cur vna pars exigat

aliam

aliam, niſi perficiatur intrinſece, dico plures eſſe cauſas ex quibus ſatis erit duas indicaſſe. Primò, quia mediante alia parte poterit melius conſeruari, vt conſtat in calore *A* qui diutius conſeruatur exiſtente calore *B*; cum quo conſtituit agens valentius ad repellendum frigus: ſecundò quia vna pars coniuncta alteri parti poteſt præſtare aliquem effectum ſibi extrinſecum ad quem naturaliter ordinatur, itá vnum album poteſt exigere coniunctionem cum alio albo, quia redditur ideoneum ad formandam viſionem ſui longè meliorem in oculo. Non debeo hic præterire huiuſmodi argumento, quod deſumptum ex relatione ordinis poteſt varijs modis formari, noſtram æqué ac contrariam ſententiam oppugnari, quia vna pars accedente alia parte acquirit relationem fundamentalem, & tamen intrinſecé non mutatur: ergo etiã poterit ſine mutatione intrinſeca acquirere relationẽ formalẽ.

10. Oijc. tertió: Relatio coexiſtentiæ in rebus, quæ habent perfectionem ordinis, ponit perfectionem diſtinctam à perfectione partium: ergo huiuſmodi relatio eſt diſtincta á fundamento, & termino. Antecedens probatur. Si non ponit perfectionem diſtinctam, creſcente perfectione abſoluta, creſcit pefectio relatiua, & ea decreſcente iſta etiã decreſcit: conſ: eſt euidenter falſum, ergo & ant: M i: prob: quia manus per hoc præcisé, quod acquirat ſextum digitum, qui vtique eſt aliqua perfectio, euadit imperfecta, & deformis. Præterea ſi alteri oculo addatur aliqua perfectio, quã non habet alius oculus, tota facies euadit deformis, & imperfecta ſed repugnat, vt pulchritudo totius, quæ nihil eſt aliud, quam coexiſtentia partium auferatur præcisè eo, quòd vna pars euadat pulchrior, & perfectior, ergo &c.

11. Reſp. primò per inſtantiam. Quæro ab arguente: quando augetur perfectio vnius partis creſcit ne an decreſcit relatio fundamentalis? ſi ais decreſcere, vt neceſſe eſt; infero: non eſt igitur vllum incoueniens, quod creſcente perfectione vnius partis totum amittat perfectionem, & pulchritudinem fundamentalem: quod ſi hoc non eſt inconueniens, quod erit inconueniens ſi creſcente perfectione abſoluta decreſcat relatio formalis? quam enim tu vocas relationem fundamentalem, ego voco formalem.

12. In forma igitur: & directé ad argumentum: nego antec: ad eius probationem; diſt: ma: creſcente ſimpliciter perfectione abſoluta creſcit relatiua: conc: ma: creſcente ſecundùm quid, & ſimpliciter decreſcente; nego ma: & diſtincta ſimiliter mi: nego conſ: Quando adiungitur manibus, digitus, & vni oculo tribuitur aliqua perfectio, quæ non eſt in alio, tunc creſcit ſecundùm quid perfectio manus, & corporis, & ſimpliciter decreſcit: inde eſt quód addita pulchritudine alicuius partis tollitur pulchritudo relatiua totius: ratio á priori, cur addendo manui ſextum digitum, & alteri oculo vnum gradum perfectionis creſcat ſecundùm quid, & decreſcat ſimpliciter perfectio manus, & corporis, ratio in quam eſt, quia perfectio, & pulchritudo tam manus, quam corporis duo prædicata formeliſſimè inuoluit, vnum poſitiuum, aliud negatiuum, quod conſiſtit in negatione perfectionis maioris in vna parte, quam in alia, vnde naſcitur illa conſonantia, & harmonia, quæ fundatur in proportione, & congrua partiũ diſpoſitione: hæc negatio maioris perfectionis præciſe tollitur, quãdo adiungitur ſextus digitus, vel adiungitur noua perfectio vni oculo, ideò tollitur ſimpli-

pliciter perfectio propria tam manus, quam corporis, licet eadem ſecundùm quid creſcat.

13. Obijc. 4. Poteſt creſcere ſimpliciter perfectio abſoluta, quin creſcat relatiua, ergo diſtinctio nulla. Antecedens probatur. Poteſt duplex albedo intenſa vt 4. creſcere vſque ad octauum gradum: in quo caſu relatio non creſcit, quia eſt tanta proportio albedinis intenſæ vt 8. cum albedine intenſa vt 8. quanta eſt albedinis vt 4. cum albedine vt 4.

14. Reſp. nego ant: Ad eius probationem dico pefectionem abſolutam creſcere materialiter, non verò formaliter: ratio eſt, quia perfectio abſoluta realiter indiſtincta á perfectione relatiua eſt duplex albedo tanta in vno pariete, quanta in alio; ſed albedo creſcit quatenús albedo: non creſcit, quatenus tanta in vno pariete, quanta in alio: quia ſecundùm hanc formalitatem non poteſt creſcere, ergo perfectio abſoluta creſcit materialiter, non verò formaliter.

14. Obijc. 5. Coexiſtentia non eſt exiſtentia duplicis rei in eodem tempore; ſed coexiſtentia eſt relatio duplicis rei exiſtentis in eodem tempore: ergo relatio diſtinguitur realiter á fundamento; & termino. Maior probatur, quià exiſtentia amoris, & non amoris in eodem inſtanti eſt poſſibilis, qui enim amat liberé Deum poteſt non amare: ſed coexiſtentia amoris, & non amoris eſt impoſſibilis: ergo, &c.

16. Reſp. nego ma: ad eius probationem diſt: ma: exiſtentia amoris, & non amoris in ſenſu compoſito eſt poſſibilis: nego ma: in ſenſu diuiſo conc: ma: & conceſſa min: diſt: conſ: ergo coexiſtentia amoris, & non amoris non eſt exiſtentia amoris, & non amoris in ſenſu compoſito: nego conſ: in ſen-

ſu

ſu diuiſo: concedo conſ: Quicumque liberé amat Deum, poteſt non amare; ſed non poteſt coniungere non amorem cum amore, habet enim ſimultatem potentiæ non potentiam ſimultatis: hinc eſt, non poſſe ſimul exiſtere ámorem, & non amorem, licet poſſit vterque in eodem inſtanti exiſtere, quia ita poteſt exiſtere amor, vt eo exiſtente ſimul non exiſtat negatio amoris.

17. Obijc: ſexto: Comparatio vnius albedinis cum alia non eſt realiter duplex cognitio, quæ vtramque albedinem cognoſcit, ergo comparabilitas vnius albedinis cum alia non eſt realiter duplex albedo, ſed relatio formalis eſt formalis comparabilitas, ergo &c.

18. Reſp: Omiſſo antecedenti nego conſequentiam. Ratio eſt, quia poteſt aliquis ita imperfectè cognoſcere vtramque albedinem, vt opus habeat alia cognitione ad conferendam vnam albedinem cum alia, id enim naſcitur ex defectu cognitionis: é contrarió non poteſt vna albedo habere tantum albedinis, quantum habet alia; quin eo ipſo detur formalis. ſimilitudo, adeoque formális comparabilitas vtriuſque albedinis: eſt igitur diſpar ratio adeoque árgumentum retorquetur.

19. Obijc: vlt: Relatio poteſt amari licet extrema amari non poſſint: ergo relatio diſtinguitur ab extremis. Antec: prob: primó: facta ſuppoſitione, quod Petrus ſit iuuenis male moratus, poſſum licitè amare relationem diſſimilitudinis inter mores Petri, & mores Pauli, & tamen non poſſum amare licité mores Petri: ſecundó Iudex, qui damnat furem ſuſpendio, amat mortem latronis proportionatam eius furto, & tamen non amat mortem, ſecundúm ſe, quæ eſt malum phyſicum, & culpam quæ eſt malum morale: idem argumentum vrgeri pó-

poteſt in homine, qui amat pœnitentiam, quæ ſupponit culpam, & in homine proijciente merces ad vitandum naufragium?

20. Reſp. diſt: ant: Relatio poteſt amari adæquatè, etiam ſi non amentur extrema: neg. ant: poteſt amari inadæquatè: conc. antec: & nego conſ: Omnes illi actus, qui amant aliquod bonum ex ſuppoſitione alicuius mali, non ſunt actus puri amoris, ſed habent ſecum admixtum aliquod odium, ſiue aliquam diſplicentiam mali, quod præſupponitur: hinc bonitas relatiua, quæ eſt ſolùm amabilis ex ſuppoſitione alicuius mali, non eſt amabilis amore, qui excludit omne odium, ſicuti bonum, quod non eſt ſimpliciter bonum, ſed ſolùm eſt bonũ ſuppoſito aliquo malo, adeoque vocatur bonum occaſionatum, non poteſt ita amari, vt ſimul odio non habeatur: ideò mirum non eſt ſi aliqua bonitas relatiua ſit amabilis, etiam ſi aliquod eius conſtitutiuum non ſit amabile.

21. Ex hac doctrina, quæ ſoluit omnia argumenta fundata in illis bonis, quæ intantum ſunt bona, in quantum ſupponunt aliquod malum patet ſolutio adhibenda ad probationem antec: diſſimilitudo, quæ eſt amabilis licitè inter mores Petri, & mores Pauli, non eſt adęquatè amabilis, ſed ſolum inadæquatè, ideò in tali caſu, qui amaret, & vellet Paulum eſſe diſſimilem Petro, amaret bonos mores Pauli, & ſimul odio haberet malos mores Petri. Similiter Iudex, qui amat mortem latronis proportionatam eius culpæ, non amat adæquatè relationem, quæ eſt in morte proportionata culpæ alioquin deberet amare ipſam culpam, ſed amat inadæquatè hanc relationem, quatenus odio habet culpam latronis, & ex tali odio mouetur ad amandam mortem, quæ ſuppoſita culpa eſt amabilis,

bilis: quia eſt cauſa, vt nullum malum remaneat impunitum, quod eſt maximum bonum. Eodem modo eſt philoſophandum de actu pœnitentiæ, qui ſupponit peccatum commiſſum, hoc enim nullo modo eſt amabile, licet ipſo ſuppoſito ſit amabilis pœnitentia, quia ſic uti abſolutè & ſimpliciter eſt amabilis carentia cuiuſcumque mali; ita ſuppoſito aliquo malo, quod non poteſt fieri ne fuerit, quia infectum factum reddere nemo poteſt, eſt bonum, & ámabile, quód loco duplicis mali vnum tantum ſit malum, ſicuti contingeret ſi ſuppoſito peccato commiſſo non amaretur malum pœnæ, quia in tali caſu eſſet malum culpæ, quod ſupponitur commiſſum, & aliud malum maius, videlicet culpa impunitá. Neque mirum debet eſſe, ſi totum hoc complexum ex malo pœnæ, & malo culpæ ſit amabile, licet pœna, & culpa ſeorſum acceptæ non ſint amabiles, quia malum pœnæ non eſt bonum ſimpliciter, ſed tantum ex ſuppoſitione: ideò non poteſt amari ſeorſum á malo culpæ, ſed ſolum ex ſuppoſitione culpæ reddentis amabilem pœnam per actū, qui eſt ſimul amor, & odium, amor pœnæ reordinantis culpam, & odium culpæ commiſſæ. Non poſſum hic non monere arguentem, ne nimirum confidat huic argumento, quod euidenter retorquetur contra ipſum, qui agnoſcit relationem fundamentalem inter pœnam, & culpam indiſtinctam ab vtraque.

QVAE-

QVAESTIO III.

Vtrum ens relatiuum ſit totum in fundamento.

1. DEmonſtratum eſt reſpectum vnius rei ad aliam non eſſe aliquam rem diſtinctam á rebus abſolutis: examinandum ſupereſt, an conſiſtat in ſolo fundamento, adeoque denominatio; qua denominatur vnus paries ſimilis alteri, conſtituatur intrinſecé per terminum, qui reſpicitur ab vno pariete; an potius idém terminus ſit connotatum extrinſecum huius ſimilitudinis, eo pacto quo vulgó dicitur Deum á quo dependet creatura, eſſé connotatum extrinſecum huius denominationis dependentiæ.

2. Ad huius quæſtionis euidentiam ſciendum non eſſe idem conſtitutiuum intrinſecum alicuius denominationis, & connotatum denominationis: licet non ſit adeó facilè explicare diſcrimem, quod eſt inter conſtitutiuum intrinſecum, & connotatum extrinſecum alicuius denominationis. Hęc duo non eſſe idem eſt apud omnes manifeſtum; quia albedo in denominatione albi, & cognitio in denominatione cogniti ſunt conſtitutiua intrinſeca; denominatio autem creaturæ inuoluit Deum tanquam connotátum extrinſecum, quia nimirum Deus non conſtituit intrinſecè creaturam, ſicuti albedo conſtituit intrinſecé album. Idem valet de omnibus relationibus tranſcendentalibus, quæ ſunt totæ in fundamento, & reſpiciunt terminum tanquam connotatum extrinſecum: ita cognitio non conſtituitur intrinſecè per obiectum, & cauſa ſecunda, quæ habet

bet ordinem ad effectum poſſibilem, non conſtituitur intrinſecé per effectum poſſibilem; ſed ipſum reſpicit tanquam connotatum extrinſecum.

3. Circa diſcrimen, quod inuenitur inter connotatum extrinſecum & conſtitutiuum intrinſecum alicuius denominationis, cenſeo prius ſtatuendum in quo conueniant. Conueniunt in eo, quód ſicut ablato conſtitutiuo alicuius rei aufertur illa res, ita ablato connotato alicuius denominationis aufertur etiam illa denominatio, vt paucis demonſtro. Certum eſt Animam eſſe conſtitutiuum intrinſecum hominis; certum præterea eſt Deum eſſe connotatum extrinſecum eiuſdem hominis, quia homo eſſentialiter eſt creatura, adeoque eſſentialiter dependet á Deo. Eſt inſuper certum, quód ſicuti aufertur homo Anima ablata, quæ conſtituit intrinſecé hominem, ita etiam debet auferri idem homo Deo ablato, eo modo, quo album non minus aufertur ablata albedine, quam ablato deálbante, qui eſt cauſa albedinis.

4. Aſſignata conuenientia debeo explicare diſcrimen, quod apparet in ipſa conuenientia, ſi enim quæratur, cur ablata Anima auferatur homo, reſpondetur, quia Anima conſtituit formaliter hominem: ita ea intellecta vna cum alijs partibus intelligitur formaliter homo. Quód ſi quæratur, cur Deo non exiſtente creatura non exiſtat, reſpondetur, quia ablato Deo aufertur Anima eſſentialiter dependens á Deo. Hinc deſumitur manifeſtum diſcrimen diligenter notandum ad innumeras æquiuocationes ſoluendas, quód nimirum intrinſecum conſtitutiuum alicuius rei præcisé requiritur, vt eadem res formaliter ſit, quare ipſo intellecto, & nulla alia re intellecta formaliſſimé intelligitur denominatio talis rei: é contrario connotatum non requiri-

quiritur præcisé, vt aliqua res formaliter ſit; ſed requiritur præcisé vt ſint omnia ea, quæ conſtituunt formaliter talem denominationem; quare ablato realiter, vel formaliter connotato alicuius denominationis non aufertur formaliter & immediaté talis denominatio; ſed ſolum mediaté, arguitiué, ſeu ſolum ratione alterius, hoc eſt ratione conſtitutiuſ intrinſeci deficientis.

5. Notandum prætereà eſt non omnia conſtitutiua alicuius rei ſignificari in recto; ſed ſatis eſſe ſi vnum in recto, & aliud in obliquo ſignificetur, vt conſtat in concretis accidentalibus, quorum intrinſecum conſtitutiuum eſt ſubiectum, quod ſignificatur in recto, & forma, quæ ſignificatur in obliquo. Hinc patet, quód aliud eſt conſtitutiuum intrinſecum totius denominationis, aliud eſt conſtitutiuum rei, quæ denominatur, ſiué illius pro quo ſupponit tota denominatio, ita albedo conſtituit intrinſecé denominationem albi, & cognitio denominationem cogniti, licet albedo non conſtituat intrinſecé obiectum, quod cognoſcit.

6. Noſtra ſententia eſt: relatio prædicamentalis non conſiſtit adæquaté in ſolo fundamento: hæc ſententia eſt communis contra Suarium diſput. 47. ſectione ſecunda.

7. Probatur primó: relatio prædicamentalis, ſi conſiſteret in ſolo fundamento, tandiú maneret relatio, quandiú manet fundamentum: conſeq. eſt falſum: ergo & antec: ma: patet: mi: prob: poteſt exiſtere paries *A*, albus, quin exiſtat relatio ſimilitudinis, quam habet ad parietem *B*. album; non exiſtente enim pariete *B*. albo, & exiſtente pariete *A*. albo non exiſtit relatio ſimilitudinis, vt eſt euidentiſſimum, ratio á priori eſt, quia ſi exiſteret eadem rela-

relatio, quæ non exiſtente pariete *B.* albo, poſſet paries *A.* denominari veré ſimilis, quia quicumque diceret parietem *A.* eſſe ſimilem parieti *B.* verum diceret, ſicuti verum dicebat quicumque hoc affirmabat exiſtente pariete *B.* rogo enim cur exiſtente pariete *B.* albo verum dicat quicumque dicit parietem *A.* eſſe ſimilem parieti *B.* niſi quia realiter datur inter vtrumque parietem ſimilitudo; ſed tota ſimilitudo realiter datur, etiam ſi paries *B.* non exiſtat, quia tota relatio, vt docent Aduerſarij, eſt in ſolo fundamento: ergo &c.

8. Neque dicas cum eodem Suario relationem eſſe totam entitatiué, non eſſe totam denominatiué, contrá enim eſt, quia repugnat in terminis relationem eſſe totam entitatiué, & non eſſe totam denominatiué: ergo dicere, quód relatio non exiſtente termino eſt tota entitatiué, non denominatiué, vel eſt nihil dicere, adeoque verbis ludere, vel eſt dicere, quód tota relatio entitatiué non remanet. Antecedens probatur, quia eſſe relationem totam denominatiué eſt formaliſſimé eſſe, adeoque dari verificatiuum propoſitionis affirmantis vnum extremum referri ad aliud, ſicuti hominem eſſe iuſtum denominatiué, nihil eſt aliud, quám dari verificatiuum propoſitionis affirmantis hominem eſſe iuſtum, ſed dari verificatiuum adæquatum propoſitionis affirmantis vnum parietem eſſe ſimilem alteri, eſt dari relationem adæquatam entitatiué: ergo &c.

9. Probatur ſecundó argumento ad hominem: relatio non conſiſtit in ſolo fundamento denominatiué: ergo neque conſiſtit entitatiué. Probo conſequentiam: ſi relatio conſiſteret in ſolo fundamento entitatiué, & non denominatiué, daretur noua denominatio ſiné noua entitate: conſequens eſt impoſ-

impoſſibile: ergo & antec: min: probatur, quia denominatio ita ſe habet ad entitatem, ſicuti effectus formalis ad cauſam formalem: ſed repugnat dari effectum formalem, ſine cauſa formali, quæ repugnantia fundatur in neceſſitate, quá impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe: ergo &c. Quod autem omnis denominatio ſit effectus formalis proueniens ab aliqua entitate, tanquam á cauſa formali oſtenſiué demonſtratur primó, inductione facta per omnem denominationem: denominatio albi eſt effectus formalis albedinis, quæ eſt forma realis: denominatio calidi, Iuſti, & Sancti ſunt effectus formales caloris, Iuſtitiæ, & Sanctitatis. Secundó á priori, quia omnis forma facit aliquem effectum formalem: ergo omnis effectus formalis neceſſarió naſcitur ab aliqua forma: quare ſicuti repugnat, vt aliquid ex ſuppoſitione quod eſt, veré non ſit, ita repugnat effectus formalis ſine cauſa formali. Quia veró effectus formalis ſemper conſequitur cauſam formalem, neceſſe eſt dari cauſam formalem realem, ſi datur effectus formalis realis: cauſa autem formalis realis eſt entitas realis, quia effectus realis non poteſt fieri niſi á forma reali: ergo vbi datur effectus formalis realis, debet dari entitas realis: quod erat demonſtrandum.

10. Obijcies primó: Relatio ex Philoſopho habet eſſe ad aliud: ergo eſt tota in fundamento. Conſequentia probatur, quia relatio formaliſſimé reſpicit terminum: ergo terminus non conſtituit relationem, alioquin idem reſpiceret ſeipſum. Confirmatur, quia relatio inter creaturam & Deum eſt tota in creatura; ergo etiam relatio inter patrem & filium eſt tota in patre.

11. Reſp: diſt: antec: relátio adæquata, ſiue ſecundum omne id, quod ſignificat, eſt ad aliud;

nego antec: relatio inadæquaté ſumpta, ſiué ſecundum id pro quo ſupponit, eſt ad aliud: conc:antec: & nego conſeq: Ariſtoteles dum definit ens relatiuum, ait eſſe illud, cuius eſſe eſt ad aliud ſe habere: ex hac definitione non ſequitur relationem adæquaté ſumptam eſſe ad aliud; ſed ſolúm ſequitur relationem inadæquaté ſumptam, hoc eſt fundamentum pro quo ſupponit relatio, eſſe ad terminum, quem reſpicit: hinc patet, quód fundamentum non habet in ſe relationem, niſi inadæquatam, adeoque termino nondum exiſtente non exiſtit tota, & adæquata relatio. Ad confirmationem dico paritatem eſſe nullam, quia relatio inter Deum & creaturam eſt tranſcendentalis, relatio veró inter patrem & filium prædicamentalis.

12. Obijcies ſecundò: fundamentum non poteſt conſtitui intrinſecé relatiuum per terminum: ergo terminus non conſtituit intrinſecé relationem. Conſequentia probatur, quia fundamentum conſtituitur intrinſecé relatiuum per relationem; ſed relatio conſtituitur intrinſecé per terminum: ergo fundamentum conſtituitur intrinſecé relatiuum per terminum, quod aperté repugnat.

13. Reſp: concedo antec: & nego conſeq: opus eſt in re præſenti ea diſtinguere,quę conſtituunt intrinſecé totam relationəm, ab illis quæ conſtituunt fundamentum relatiuum; hæc enim duo ſunt inter ſe valde diuerſa, quia poteſt aliquid eſſe intrinſecum relationi, & non eſſe intrinſecum fundamento: terminus relationis conſtituit intrinſecè relationem, vt dicetur in quæſtione ſequenti, & tamen fundamento idem terminus eſt extrinſecus. Hinc patet, quid dicendum ſit ad probationem conſequentiæ. In forma diſt: ma: fundamentum conſtituitur intrinſecé relatiuum per relationem, tanquam

quam per formam adæquaté intrinſecam fundamento: nego maior: tanquam per formam partim intrinſecam, & partim extrinſecam: concedo ma: & min: & nego conſeq:.

14. Obijcies tertiò: relatio ſi conſtituitur intrinſecé per fundamentum & terminum, eſt ens per accidens, conſequens eſt falſum: ergo & antecedens min: probatur, quia nullum prædicamentum eſt ens per accidens.

15. Reſp: diſt: ma: relatio eſt'ens per accidens ſi nomine entis per accidens ſignificatur ens fortuitum & caſuale: nego ma: ſi ſignificatur aliquod totum accidentale ex pluribus inuicem ordinatis: concedo ma: & diſtincta min: nego conſeq. ſi nomine entis per accidens ſignificatur ens accidentale, quod componitur ex multitudine plurium rerum, non poteſt eſſe dubium, quin relatio quæ conſtituitur intrinſecé ex fundamento & termino, ſit ens per accidens, id enim non repugnat rationi prędicamenti, quia plurima prædicamenta ſunt ens per accidens.

QVESTIO VLTIMA.

Vtrum terminus conſtituat intrinſecè ens relatiuum.

1. VIdetur non conſtituere primò: ſi terminus conſtituit intrinſecé relationem patris ad filium, eadem eſt relatio patris ad filium, & filij ad patrem: conſequens eſt falſum: ergo antecedens: ma: prob: quia conſtitutiua intrinſeca relationis, quam habet pater ad filium, ſunt entitas patris &

entitas filij, ſed eadem ſunt conſtitutiua relationis, quam habet filius ad patrem: ergo &c.

2. Secundò: repugnat, vt pater conſtituatur in eſſe patris per filium à ſe diſtinctum: ergo filius non conſtituit intrinſecè relationem paternitatis. Antecedens probatur, quia filius accipit eſſe à patre: ſed repugnat in terminis, vt pater conſtituatur in eſſe patris per illud ipſum, quod accipit eſſe à patre: ergo &c.

3. Tertiò: Paternitas ideo non eſt filiatio, quia ſignificat in recto entitatẽ patris, & in obliquo entitatem filij; ſed nullo intellectu cogitante non dantur rectum, & obliquum: ergo nullo intellectu cogitante paternitas, & filiatio non dantur, ſi terminus conſtituit relationem. Minor patet, quia rectum & obliquum ſunt denominationes extrinſecæ, quæ conueniunt rebus relatè ad noſtros conceptus, quibus cognoſcimus vnam rem in recto, & aliam in obliquo.

4. Reſp: terminum eſſe conſtitutiuum intrinſecum entis relatiui, adeoque relationem prædicamentalem conſtitui intrinſecè per fundamentum & terminum. Iſta ſententia expreſsè traditur à S.Thoma quæſt.7. de potentia art.8. eamque ſequuntur ferè omnes recentiores cum Hurtado & Arriaga diſp.12. log.ſect.6.

5. Probatur primò: relatio patris ad filium neque eſt aliqua res diſtincta à patre & filio, vt oſtenſum eſt in ſecunda quæſtione, neq; conſiſtit in ſolo patre, vt in 3. ergo conſtituitur intrinſecè per entitatem patris, & entitatem filij: ergo terminus conſtituit intrinſecè ens relatiuum.

6. Probatur ſecundò: illud intrinſecè conſtituit rem, quo præcisè intellecto intelligitur formaliter res, & quo præcisè non intellecto non intelligitur

gitur formaliter res; ſed intellecto præcisè fundamento & termino intelligitur formaliter relatio, & alterutro non intellecto non intelligitur formaliter relatio ergo fundamentum & terminus conſtituunt intrinſecè relationem. Min: probatur, quia duo parietes, per hoc præcisè, quod intelligantur albi, intelliguntur ſimiles: duæ quantitates, per hoc præcisè, quod intelligantur vnius palmi intelliguntur æquales: per hoc præcisè, quod intelligatur Philippus generans, & Alexander genitus, intelligitur Philippus pater Alexandri; ſed ſimilitudo, æqualitas, & paternitas ſunt relationes prædicamentales: ergo &c.

7. Confirmatur idem argumentum: conſtitutiua intrinſeca hominis ſunt Anima corpus & vnio, quia his omnibus exiſtentibus formaliter exiſtit homo, & aliquo õn exiſtente formaliter non exiſtit homo, ſed non minus exiſtit formaliter relatio exiſtente fundamento & termino, & altrutro non exiſtente non exiſtit formaliter relatio: ergo fundamentum, & terminus conſtituunt intrinſecè relationem.

8. Dubium eſt, an fundamentum & terminus ita conſtituant relationem, vt vtrumq; eam in recto conſtituat. Alij docent vtrumque in recto ſignificari; alij alterutrum: nos dicimus ſolum fundamentum ſignificari in recto.

9. Ratio eſt primò, quia relatio prædicamentalis non poteſt ſignificare in recto omnia ſui conſtitutiua: filius enim non eſt pater, ſicuti pater non eſt filius: ergo relatio patris ad filium non ſignificat in recto patrem, & filium, neque relatio filij ad patrem ſignificat in recto patrem & filium. Conſequentia eſt euidens, quia ſi vtraque relatio ſignificaret vtrumque in recto, daretur, identitas inter

rectum vnius relationis & rectum alterius, adeoque vna relatio eſſet realiter alià, & conſequenter pater realiter eſſet filius, quod apertè repugnat. Hinc eſt, quód relatio patris ad filium ſignificat in recto patrem, & in obliquo filium, è contrario relatio, quam habet filius ad patrem ſignificat in recto filium & patrem in obliquo.

10. Ratio eſt ſecundò, quia denominatio cogniti & denominatio albi non ſignificant in recto omnia conſtitutiua ſui, ſignificant enim in recto ſolum obiectum, quod cognoſcitur, & parietem qui recipit albedinem: ergo non omnia conſtitutiua intrinſeca relationis ſignificantur in recto; ſed ſolum fundamentũ in recto ſignificatur, terminus veró in obliquo. Conſequentia probatur, quia non poteſt dici omnia conſtitutiuà relationis ſignificari in recto præcisé, quia ſunt intrinſeca conſtitutiuà alicuius denominationis: demonſtratum enim eſt non repugnare, vt aliquid ſit intrinſecum conſtitutiuum & ſignificetur in obliquo, neque quatenus ſunt conſtitutiüa talis denominationis, quia ſi aliqua denominatio eſt tális, vt non omnia conſtitutiüa ſignificentur in recto, huiuſmodi debet eſſe denominatio relatiua, eſt enim talis, vt vnum habeat ordinem ad aliud: ergo &c.

11. Ex hec doctrina colliges primò, quód licet conſtitutiua illius rélationis quam habet Pater ad filium, & pariès *A.* ad parietem *B.* ſint eadem, ac conſtitutiua illius relationis, quam habet Pater ad filium & paries *A.* ad parietem *B.* nihilominus relationes ſunt diuerſæ, adeoque inuicem negabiles. Ratio à priori eſt, quia quoties rectum vnius relationis eſt diuerſum à recto alterius relationis, toties relationes ſunt diuerſæ, ſed rectum illius relationis, quam habet pater ad filium eſt réaliter di-

uer-

uerſum à recto illius relationis, quam habet filius ad patrem, quia in relatione patris ad filium ſolus pater eſt rectum, & in relatione filij ad patrem ſolus filius eſt rectum.

12. Colliges ſecundò, relationem prædicamentalem non eſſe aliquid realiter diſtinctum à rebus abſolutis: ratio eſt euidens, quia omnia conſtitutiua intrinſeca relationis ſunt res abſolutæ, conſtitutiua enim intrinſeca ſimilitudinis, quam habent duo parietes albi, ſunt duo parietes quorum alter eſt fundamentum, & alter terminus relationis.

13. Colliges tertiò, prædicamentum relationis non eſſe aliquid realiter diſtinctum à cæteris prædicamentis, ſed ſolum eſſe formaliter diſtinctum, quod ſatis eſt ad diſtinguendum vnum prædicamentum à cæteris.

14. Ad primum: nego ſequelam ma: ad eius probationem: concedo ma: & diſtinguo mi: eadem ſunt conſtitutiua vtriuſque relationis eodem modo ſignificata: nego mi: diuerſo modo ſignificata: concedo min: & nego conſeq. In omnibus denominationibus, quarum intrinſeca conſtitutiua non ſignificantur eodem modo; ſed vnum ſignificatur in recto, & aliud in obliquo, eſt longe diuerſum id, quod ſignificat talis denominatio, & id pro quo ſupponit: ratio eſt, quia ſignificat omnia, quæ intrinſecè illam conſtituunt, ſupponit tantum pro eo, quod in recto ſignificat, vt euidentiſſimè conſtat in denominationie albi & cogniti. Relatio paternitatis, quæ intrinſecè componitur ex entitate Patris, quæ eſt fundamentum relationis, & entitate filij, quæ eſt terminus relationis, ſignificat vtramque entitatem, ſed non ſupponit pro vtraque ſupponit enim pro ſolo Patre, qui ſignificatur in

recto: hinc eſt, quód relatio patris ad filium eſt diſtincta realiter à relatione filij ad patrem, quia licet ſint eadem omnia, quæ ſignificantur per vtramque relationem, non ſunt eadem illa, pro quibus vtráque ſupponit

15. Ad 2. diſt: antec: repugnat vt pater conſtituatur in eſſe patris per filium ſumendo eſſe patris pro omni eo, quod ſignificat denominatio patris: nego antec: ſumendo eſſe patris pro eo, pro quo ſupponit denominatio patris: concedo antec: & nego conſeq: Eſſet ſine dubio inconueniens, vt argumentum optimé probat, ſi pater intrinſecé conſtitueretur in eſſe patris per entitatem filij accipiendo hanc denominationem ſecundum id pro quo ſupponit. Ratio eſt, quia id pro quo ſupponit denominatio patris, eſt ſola entitas patris, ſed repugnat entitatem filij eſſe intrinſecam entitati patris: ergo repugnat, vt pater ſecundum id pro quo ſupponit denominatio patris intrinſece conſtituatur per filiũ. Quod ſi denominatio patris accipiatur ſecundum omnia, quæ ſignificat, nihil obſtat quominus pater conſtituatur intrinſecé per filium, quia ſenſus illius propoſitionis eſt huiuſmodi: pater denominatur intrinſecé pater per denominationem, quam conſtituit intrinſecé entitas filij: quare eo ipſo, quód filius accipit eſſe à patre, ſtatim pater acquirit vnam relationem ad ſuum filium, quæ inadæquaté conſti tuiturper ipſum filium, qua in re nullum video inconueniens.

16. Ad 3. concedo ma: & diſt: min: nullo intellectu cogitante non datur formaliter obliquum, & rectum: concedo ma: fundamentaliter: nego mi: & conſeq: licet nullo intellectu cogitante non detur obliquum, & rectum formaliter, quia huiuſmodi ſunt denominationes ſecundæ intentionis, non poteſt

teſt tamen negari, quin obliquum, & rectum dei cur fundamentaliter nullo cogitante intellectu, ſicuti datur vniuerſale fundamentaliter extra intellectum. Quid autem ſit dari á parte rei obliquum, & rectum fundamentaliter, non eſt adeó certum apud Philoſophos, ego exiſtimo nihil aliud eſſe, quám dari á parte rei aliquam denominationem obiectiuam realem ita ſignificantem plura, vt vnum principalius, aliud minus principaliter ſignificet, ideó in relatione patris ad filium datur á parte rei vera, & realis denominatio obiectiua, per quam Philippus denominatur pater Alexandri, in qua denominatione principalius ſignificatur Philippus, & minus principaliter Alexander. Hinc eſt, quód relatio, quæ formaliſſimé eſt nexus vnius cum alio, ſignificat plura, quorum vnum poteſt concipi in recto, & aliud in obliquo: quia veró quando aliqua duo ſunt inuicem æqualiter connexa, non eſt maior ratio cur vnum in recto, & aliud in obliquo concipiatur, ideó modo poteſt concipi vnum, & modo aliud in obliquo, vt accidit in relatione inter duos parietes. Cæterum dari á parte rei rectum & obliquum fundamentaliter eſt indubitatum, quia eſt verum á parte rei creaturam Dei peccare, & tamen non eſt verum Deum peccare: ergo in denominatione reali, & obiectiua creaturæ Dei peccantis ſignificatur in rectó creatura, & in obliquo Deus.

17. Ex hac doctrina conſtat, quód relatio prædicamentalis cõſtituitur per terminum relatiuum: ratio eſt, quia omnis relatio prædicamentalis eſt relatio mutua; ſed relatio mutua conſtituitur per terminum relatiuum, quia extrema relationis mutuæ habent mutuum reſpectum: ergo &c. Ma: prob: primó: quia de eſſentia relationis prædicamentalis eſt eſſe intrinſecam fundamento & termino, re-

latio

latio autem formaliſſimé eſt reſpectus vnius ad aliud: ergo de eſſentia relationis prædicamentalis eſt fundamentum referri ad terminum,& terminum referri ad prędicamentum.Secundó probatur inductione in qualibet relatione fundamentali, quæ fundatur in vnitate,vt ſunt relationes ſimilitudinis, vel in quantitate, vt relationes æqualitatis, vel inactione, & paſſione, vt relationes filiationis & paternitatis, quæ ſine dubio ſunt mutuæ.

18. Dubium eſt,an relatio prædicamentalis requirat neceſſarió terminum actu exiſtentem: ratio dubitandi eſt primó: quia relatio tranſcendentalis inter cognitionem & obiectum impoſſibile non requirit terminum actu exiſtentem: ergo neque prædicamentalis.

19. Secundó: poteſt dari relatio prædicamentalis ad terminum præteritum vel futurum: ergo non requirit terminum actu exiſtentem. Antiprob: In Petro, qui nunc exiſtit, datur relatio prioritatis ad Antichriſtum futurũ, quia Petrus nunc exiſtens eſt prior realiter Antichriſto futuro. Confirmatur, quia Franciſcus vocatur pater Ioannis etiam Ioanne mortuo.

20. Tertió: datur relatio ſimilitudinis ad terminum puré poſſibilem, quia paries albus,qui nunc exiſtit, non eſt minus ſimilis parieti albo poſſibili, quam parieti albo exiſtenti; ſed habet relationem ſimilitudinis ad parietem album exiſtentem: ergo etiam ad parietem album poſſibilem.

21. Noſtra ſententia eſt relationem prædicamentalem requirere eſſentialiter terminum actu exiſtentem. Ita docent omnes Philoſophi cum Ariſtotele in prędicamẽtis S. Thom.in 1.par. q.13.ar.7. Caietano,Ferrarienſi,& aliis recentioribus,Suarioq; contra Gregor. Arimienſem in prim.diſt.18.qu.29.

22. Rá-

22. Ratio eſt primó: quiá relatio prædicamentalis, vel eſt relatio exiſtentiæ vnius cum alio, vel fundatur in ipſa coexiſtentia vnius cum alio; ſed ſiue ſit ipſa coexiſtentia, ſiue fundetur in coexiſtentiá, non poteſt reſpicere terminum non exiſtentem: ergo &c. Minor eſt certa, quia implicat contradictionem intelligere coexiſtentiam, & non intelligere duarum rerum exiſtentiam, quando vna non exiſtit: ergo &c. Maior demonſtratur, quia omnis relatio, vel fundatur in qualitate, & ad hoc genus ſpectant relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, vel in quantitate ad quam pertinent relationes æqualitatis, & inæqualitatis, vel in actione & paſſione ſicuti paternitas & filiatio, ſed omnes iſtæ relationes, vel ſunt ipſa coexiſtentia, vel fundantur in coexiſtentia, & ratio á priori eſt, quia ſimilitudo in eo formaliſſimè conſiſtit, quód aliqua duo habent eándem qualitatem, æqualitas quantitatem habetur præcisè per exiſtentiam duarum quantitatum, quarum vna neq; ſit maior, neque minor altera: ergo huiuſmodi relationes, vel ſunt ipſa formalis coexiſtentia, vel fundantur in coexiſtentia.

23. Ratio eſt ſecundó: quia repugnat conſtitutum quando non exiſtunt omnia conſtitutiuá: ergo repugnat dari actu relationem prædicamentalem, ſi actu non datur terminus, qui conſtituit relationem. Confirmatur, tum quia id, quod actu non eſt, non poteſt conſtituere ordinem, & conſequenter relationem, túm quia ſi paries *A.* habet ſimilitudinem cum pariete poſſibili, ſequitur parietèm poſſibilem habere ſimilitudinem cum pariete exiſtente: ſed hoc eſt impoſsibile, quia id, quod non exiſtit, nullam habet ſimilitudinem.

24. Ad primam rationem dubitandi: concedo ant: & nego conſeq: diſparitas inter relationem

tran-

tranſcendentalem & prædicamentalem eſt manifeſta, quia relatio tranſcendentalis eſt tota in fundamento, adeoque ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat terminus, exiſtit relatio exiſtente fundamento. E contrarió relatio prædicamentalis non eſt tota in fundamento, quia intrinſecè conſtituitur etiam per terminum, adeoque non exiſtente termino non exiſtit relatio.

25. Ad ſecundam: nego ant: in Petro nunc exiſtente non datur relatio realis prioritatis reſpectu Antichriſti futuri, quia ſi datur aliqua relatio, eſt ſolum relatio ſecundùm dici, ex eo enim quód exiſtat Petrus, & non exiſtat Antichriſtus, non naſcitur realis reſpectus Petri ad Antichriſtum, alioquin in ipſo Antichriſto eſſet aliquis reſpectus realis ad Petrum, quod repugnat, ſed ſolum intellectus habet fundamentum concipiendi reſpectum vnius ad alium, adeoque comparandi Petrum cum Antichriſto eumque denominandi relatiuum. Petrus igitur realiter exiſtit, antequam exiſtat Antichriſtus, & in hoc ſenſu eſt realiter prior Antichriſto: non propterea habet relationem realem ad Antichriſtum, quia entis ad non ens non poteſt dari reſpectus realis prædicamentalis, vt ſæpiſſimé docet ex Ariſtotele S. Thomas. Ad confirmationem dico Franciſcum eſſe filium, vel patrem Ioannis mortui ly eſſe accipiendo ampliatiue quatenus ſignificatur Franciſc: tempore præterito fuiſſe patrē vel filium Ioannis, cæterum ſi ſumatur ſtrictè ſine ampliatione non poteſt id ſignificari; cuius euidentiſſimum ſignum eſt, quód mortuo Ioanne vulgo dicitur Franciſcus quondam filius Ioannis.

26. Ad tertiam: Paries albus eſt actu ſimilis parieti albo exiſtenti, datur enim actu ſimilitudo, quia dantur actu omnia cōſtitutiua ſimilitudins: é

con-

contrarió paries albus non eſt actu ſimilis parieti albo poſſibili, quia actu non datur relatio ſimilitudinis propter defectum vnius conſtitutiui nimirum termini: ita ſi nunc exiſtit anima corpus, & vnio, exiſtit homo: quód ſi non exiſtat vnio, etiamſi exiſtat anima, & corpus, non exiſtit homo.

27. Ex ijs, quæ huc vſque diſputata ſunt, colliges primó relationem tranſcendentalem differre à prædicamentali eo quód illa eſt tota in fundamento; iſta partim in fundamento partim in termino: ratio eſt, quia relatio tranſcendentalis conſtituitur præcisé per hoc, quód ordo ad terminum ſit adæquaté in fundamento, prædicamentalis veró conſtituitur per hoc, quód reſpectus vnius ad aliud ſit tam in fundamento, quam in termino: oſtendimus enim dari relationes reales, quæ ſunt totæ in fundamento, & dari alias relationes, quæ non ſunt totæ in fundamento.

28. Colliges ſecundó: relationem tranſcendentalem eſſe fundamento eſſentialem, cum quo habet identitatem; prædicamentalem veró eſſe accidentalem fundamento, à quo diſtinguitur inadæquaté. Conſtat hoc inductione: ordo cauſæ ad effectum, cognitionis ad obiectum, creaturæ ad Deum ſunt relationes tranſcendentales, & ſunt eſſentiales cauſæ, cognitioni, & omnibus rebus creatis: ex alia parte ſimilitudo inter duos parietes albos, æqualitas duarum quantitatum ſunt relationes prædicamentales, & ſunt accidentales fundamento, quia parieti albo eſt contingens habere ſimilitudinem.

29. Colliges tertió: relationem prædicamentalem non intendi per ſe à natura particulari, quando producitur aliquod ens particulare. Ratio eſt, quia natura dum producit vnum parietem album, non

non intendit per ſe producere ſimilitudinem inter hunc parietem, & alium exiſtentem. Hinc redditur ratio, propter quam Ariſtoteles doceat ad relationem non dari per ſe motum, quia nimirum relatio non intenditur per ſe á natura particulari. Cæterum non eſt dubium, quin relatio intendatur á natura vniuerſali, ſiuè à primò intellectu, quem demonſtrat Ariſtoteles eſſe cauſam mundi, adeoque principium vniuerſale omnium rerum. Ratio eſt euidens, quia perfectio ordinis procul dubio intenditur ab authore naturæ, qui vocatur natura vniuerſalis.

30. Colliges vltimó, relationes tranſcendentales non eſſe mutuas ſaltem ſecundùm reſpectum realem; quia de reſpectu rationis nòn eſt in præſenti ſermo: relationes veró prædicamentales eſſe mutuas, vt contingit in relatione patris ad filium, & alijs ſimilibus.

DISPVTATIO QVARTA.

De ente poſſibili, & impoſſibili.

NIhil eſt, quod potiori iure debeat Metaphyſica ſpeculari, quam poſſibile, & impoſſibile, quod in ratione abſtractiſſima entis inuenitur: hinc enim multa pendent circa poſſibilitatem neceſſariam omnium rerum; de qua debet Philoſophus diſputare.

QVAESTIO I.

Quid ſit poſſibile, & impoſſibile.

1. COntrouerſiam præſentem, quam ſuſcepimus diſputandam de ente poſſibili, & impoſſibili, non poſſumus tractare pro dignitate, niſi rem totam altius repetentes exploremus naturam vtriuſque entis. Ad hanc explorandam iuuat pluribus vti proprietatibus, quæ viam facilem inſternent ad intelligentiam totius doctrinæ, quæ erit fundamentum quæſtionum conſequentium.

2. Prima igitur propoſitio ſit: poſſibile con-

con-

conſtituitur per poſſibilitatem, & impoſſibile per impoſſibilitatem.

3. Hæc propoſitio eſt nota ex terminis; quia de poſſibili, & impoſſibili opus eſt diſcurrere perindé, vt de quolibet concreto: atqui nullum eſt concretum, quod non conſtituatur per aliquam formam, album enim conſtituitur per albedinem: ergo poſſibile conſtituitur per poſſibilitatem, & impoſsibile per impoſsibilitatem. Hinc habes, quòd in vtraque denominatione id, pro quo ſupponit vtraque denominatio, ſiue res denominata eſt id, quod denominatur poſsibile, vel impoſsibile: forma verò denominans ſiuè res tantum ſignificata eſt poſsibilitas, vel impoſsibilitas.

4. Secunda propoſitio: poſsibilitas formaliſsimé eſt potentia exiſtendi in rerum natura, & impoſsibilitas impotentia exiſtendi.

5. Ratio eſt manifeſta, quia eſſe poſsibile eſt formaliſsimé poſſe exercité exiſtere ſiuè in rerum natura, & eſſe impoſsibile eſt formaliſsimé non poſſe exiſtere; doctis enim perinde ac in doctis eſt notum illud intereſſe inter chimæram, & non chimæram, quód iſta poteſt, illa non poteſt eſſe in rerum natura: atqui poſse exiſtere eſt potentia exiſtendi, vt omnibus eſt perſpicuum, ergo poſsibilitas, quæ conſtituit poſsibile eſt potentia exiſtendi; & impoſſibilitas, quæ conſtituit impoſsibile, eſt impotentia exiſtendi.

6. Tertia propoſitio: huiuſmodi potentia non eſt phyſica, & ſubiectiua, ſed logica, & obiectiua.

7. Iſta propoſitio non minus conſtat, quam præcedentes, ſi termini explicentur. Nomine potentiæ phyſicæ, & obiectiuæ intelligunt Philoſophi potentiam, quæ diſtinguitur realiter à ſuo actu cumque in ſe recipit, vt potentia currendi, ſedendi,

di, & ſimiles, quæ procul dubio non ſunt realiter ipſi actus currendi, & ſedendi. Potentia logica ſiué obiectiua eſt illa, quæ non diſtinguitur realiter à ſuo actu: in hoc ſenſu dicitur potentia exiſtendi illa forma, quæ denominat rem poſſibilem: ratio eſt, quia potentia exiſtendi eſt ipſa non repugnantia exiſtendi: ſed non repugnantia exiſtendi non diſtinguitur realiter ab ipſo actu exiſtendi, cum nihil ſit, quod verius non repugnet exiſtere, quam ipſe actus exiſtendi: ergo potentia exiſtendi eſt potentia logica ſiue obiectiua.

8. Quarta propoſitio: exiſtentia infert conſequentia formali potentiam exiſtendi, ſiue poſſibilitatem, ſed poſſibilitas non infert conſequentia formali exiſtentiam.

9. Ratio primæ partis eſt, quia omne id quod eſt, poteſt eſſe, quis enim non videat conſequentiam manifeſtam ab actu logico ad potentiam logicam? quo fit huiuſmodi potentiam, quam voco non repugnantiam exiſtendi, habere locum in quacumque re actu exiſtente: adeoque non minus eſſe poſſibile, quod itá eſt vt contingenter ſit, quam quod itá ėſt, vt eſſentialiter ſit. Ratio ſecundæ partis eſt, quia plurima poſſunt eſſe, quæ tamen non ſunt: vt conſtat in rebus omnibus, quas Deus poteſt producere: quod ſi poſſibilitas inferret exiſtentiam conſequentia formali, nihil foret poſſibile, quod non eſſet; quod tamen eſt aperté falſum: quód ſi inuenitur aliquod ens ex cuius poſſibilitate infertur exiſtentia, id non ſequitur conſequentia formali, ſed ſolum materiali. Hinc ad probandam exiſtentiam poſſibilitas eſt mediumoptimum reſpectu entis neceſſarij, nimirum Dei: peſſimum reſpectu entis contingentis, nimirum creaturæ.

10. Quinta propoſitio. Conceptus entis poſſibilis quatenus poſsibilis, neque affirmat, neque negat exiſtentiam.

11. Ratio conſtat ex dictis, quia cõceptus poſſibilis eſt entis, cui non repugnat exiſtere; ſed cõceptus entis, cui non repugnat exiſtere præſcindit ab exiſtentia, & non exiſtentia, adeoq; neque affirmat neque negat exiſtentiam; ergo &c. Minor demonſtratur, quia conceptus rei cui non repugnat exiſtere, perinde conuenit exiſtenti ac non exiſtenti: ergo conceptus rei, cui non repugnat exiſtere, præſcindit ab exiſtere, & non exiſtere.

12 Sexta propoſitio. Ens puré poſsibile includit formaliſsimé negationem exiſtentiæ.

13 Ratio eſt, quia conceptus entis purè poſſibilis in tantum differt à conceptu entis poſsibilis, in quantum conceptus entis puré poſsibilis negat exiſtentiam, á qua præſcindit ens poſsibile quatenus poſsibile: ergo ens puré poſsibile includit in ſuo conceptu formali negationem exiſtendi. Antecedens probatur: quia præſcindere à negatione exiſtendi eſt præſcindere ab ente puré poſsibili, non enim poteſt intelligi formaliter alium mundum eſſe puré poſsibilem, niſi intelligatur alium mundum non eſſe, ergo conceptus formalis entis purè poſſibilis includit formaliter negationem exiſtendi. Indè eſt; de rebus exiſtentibus poſſe affirmari conceptum entis poſſibilis, non veró conceptum entis puré poſſibilis, quia de rebus exiſtentibus poteſt affirmari conceptus, qui præſcindit ab exiſtentia, adeoque neque affirmat, neque negat exiſtentiám: non poteſt affirmari conceptus, qui negat exiſtentiam: alioquin eadem res affirmaretur ſimul, & negaretur eſſe, quod apertè repugnat: ſed conceptus entis poſsibilis neque affirmat, neque negat exi-

exiſtentiam, & conceptus entis puré poſsibilis negat exiſtentiam, ergo &c. ex quo fit neque Deum, neque hunc mundum à Deo creatum eſſe puré poſſibilem.

17. Septima propopoſitio. Ens puré poſsibile duo formaliter includit, nimirum negationem exiſtentiæ, & non repugnantiam exiſtendi.

18. Ratio; cur includat non repugnantiam exiſtendi præter negationem exiſtendi, eſt iſta; ens puré poſſibile eſt formaliſsimé ens poſsibile, valet enim conſequentia à puré poſsibili ad poſsibile, quæ non valet à poſsibili ad puré poſsibile, ergo ens pure poſsibile includit formaliter quid quid includit formaliter ens poſsibile: ſed ens poſſibile includit formaliter non repugnantiam exiſtendi: ergo &c.

19. Octaua propoſitio: negatio exiſtentiæ eſt communis enti pure poſsibili, & impoſsibili. Ratio eſt euidens, quia pure poſsibile, & impoſsibile conueniunt in eo, quód neutrum exiſtit in rerum natura; in præſenti enim perinde eſt alius mundus, qui poteſt eſſe, ac chimæra, quæ non poteſt eſſe, vt conſtat ex terminis. Præterea ſicut impoſſibile quatenus impoſsibile non exiſtit, ità puré poſsibile quatenus purè poſsibile non exiſtit: qui enim dicit nunc eſſe hominem purè poſsibilē, non minus contradicit ſibi, quam qui dicit nunc eſſe hominem chimæricum, hoc eſt hominem, qui eſt homo ſimul, & equus. Conſtat igitur inter rem puré poſsibilē, & rem impoſsibilem nullum eſſe diſcrimen in conceptu abſtractiſsimo non exiſtendi.

20. Nona propoſitio: negatio exiſtendi conuenit neceſſarió enti impoſsibili, & contingenter puré poſſibili.

21. Ratio eſt, quia impoſſibile eſt eſſe rem im-

poſſibilē:adeoq;neceſſe eſt eam non eſſe,quod conuenit eſſentialiter enti impoſſibili: ergo negatio exiſtentiæ, quę denominat formaliter rem non exiſtentem, conuenit neceſſariò enti impoſſibili. E contrariò ens purè poſſibile itá non eſt, vt poſſit eſſe,non enim repugnat non eſſe purè poſſibile id, quod eſt purè poſſibile, quiàpoteſt non eſſe purè poſſibile,& conſequenter poteſt tranſire á non exiſtentia ad exiſtentiam: quod contingeret in eo caſu, in quo Deus vellet producere rem purè poſſibilem, nimirum alium mundum. Hinc eſt, negationem chimerę eſſe neceſſariam, & negationem alter ius mundi, ſeu cuiuſcumque rei purè poſſibilis eſſe contingentem, adeoq; chimæram eſſe eſſentialiter nihil: alium mundum eſſe contingenter nihil.

22. Decima propoſitio: Impoſſibilitas rei impoſſibilis eſt ipſa negatio rei impoſſibilis: poſſibilitas veró rei purè poſſibilis non eſt ipſa negatio rei poſſibilis.

23. Conſtát ex dictis, quiá repugnat aliquid eſſe impoſſibile, & ſimul exiſtere: ergo illa forma, quæ in genere cauſæ formalis denominat rem impoſſibilem, eam denominat non exiſtentem: ſed forma, quæ denominat rem impoſſibilem, eſt impoſſibilitas, & forma quæ denominat rem non exiſtentem, eſt negatio, ergo negatio rei impoſſibilis eſt eius impoſsibilitas. E contrariò poteſt eſſe illa res,quæ nunc non eſt,& eſt purè poſsibilis: ergo poſſunt ſeparari iſti duo effectus formales,nimirum alium mundū non eſſe,& eſſe poſsibilē: ergo illa forma, quæ denominat alium mundum non exiſtentem, eſt ſeparabilis, adeoq;realiter diſtincta á forma denominante mundum poſsibilem, ergo poſsibilitas alterius mundi non eſt eius negatio.

24. Vn-

24. Vndecima propoſitio. Impoſsibile eſt illud, quod non poteſt habere aliud eſſe, præter eſſe obiectiué in intellectu, & poſsibile eſt illud, quod poteſt habere aliud eſſe præter eſſeobiectiué in intellectu.

25. Patet explicatis terminis, quia eſſe obiectiué in intellectu eſt formaliſsimé eſſe cognitum: ſed impoſsibile non poteſt habere aliud eſſe, præter eſſe cognitum, & intentionale; poſsibile veró poteſt habere aliud eſſe, vt patet in chimæra, & alio mundo: ergo &c.

26. Vltima propoſitio: forma, quæ denominat rem puré poſsibilem, eſt duplex, nimirum illa, quæ denominat rem non exiſtentem, & illa quæ denominat rem non repugnantem exiſtere.

27. Ratio eſt, quia denominatio rei puré poſſibilis conſtat ex duplici denominatione diuerſa, uimirum ex denominatione rei non exiſtentis, & denominatione rei non repugnantis exiſtere: ergo duplex forma denominat rem pure poſsibilem, hoc eſt illa, quæ denominat rem non exiſtentem, & quæ denominat rem non repugnantē exiſtere: forma, quæ denominat alium mundum non exiſtentem eſt negatio alterius mundi: de qua ſermo erit in diſp. 6, forma quæ denominat alium mundum poſſibilem eſt poſsibilitas; ſiué non repugnantia. Huiuſmodi eſt duplex alia potentialis, quę nunc nō eſt, ſed eſſet in eo ſtatu, in quo alius mundus eſſet; alia actualis, quæ nunc eſt: an vtraque vel neutra, vel ſaltem alterútra ſit intrinſeca alteri mundo, qui non eſt, ſiuè rei puré poſsibili; eſt opus ſublimiori ſpeculatione, ideó locum faciet quæſtionibus ſequentibus.

Digitized by Google

QVAESTIO II.

Vtrum poſſibilitas potentialis ſit extrinſeca rei purè poſſibili.

1. Videtur non eſſe, quia nulla denominatio eſt intrinſeca rei, quæ nunc non eſt: ſed res purè poſsibilis nunc non eſt: ergo nulla denominatio eſt illi intrinſeca: ergo denominatio poſsibilis non eſt intrinſeca rei purè poſsibili. Minor eſt euidens: Maior probatur, quia habere prædicata intrinſeca eſt idem formaliſsimè, ac eſſe: ergo res, quæ nullum habet eſſe, nulla habet prædicata intrinſeca, adeoque nullam habet denominationem intrinſecam.

2. Reſp. poſsibilitatem potentialem eſſe intrinſecam rei purè poſsibili. Hæc ſententia eſt adeò manifeſta, vt intellectis terminis non poſsit in dubium vocari. Ratio eſt, quia poſſe habere poſsibilitatem intrinſecam eſt eſſe poſsibile poſsibilitate potentiali intrinſeca: ſed res purè poſsibilis poteſt habere poſsibilitatem ſibi intrinſecam: ergo eſt poſsibilis poſsibilitate potentiali intrinſeca; ſed quodlibet purè poſsibile poteſt habere poſsibilitatem intrinſecam: ergo poſsibilitas potentialis eſt eidē intrinſeca. Ma: eſt euidens, quia exiſtentia potentialis alterius mundi eſt illa exiſtentia, quam poteſt habere alius mundus: ergo poſsibilitas potentialis eſt illa poſsibilitas, quam poteſt habere alius mundus. Minor probatur: res purè poſsibilis poteſt habere non repugnantiam ſibi intrinſecam, quia poteſt: habere exiſtentiam, quæ eſt intrinſeca non repugnantia exiſtendi: ſed non

repu-

repugnantia intrinſeca eſt poſsibilitas intrinſeca; ergo res puré poſsibilis poteſt habere poſsibilitatẽ ſibi intrinſecam. Prætereá homo, qui exiſtit, eſt poſsibilis poſsibilitate intrinſeca, ergo homo puré poſsibilis poteſt habere poſsibilitatẽ ſibi intrinſecam: ergo res puré poſsibilis habet exiſtentiam potentialem: ergo habet poſsibilitatem intrinſecam potentialem.

3. Confirmatur, quia eſſe potentiale alterius mundi eſt illud, quod haberet alius mundus, ſi veré eſset, ſed haberet non repugnantiam exiſtendi intrinſecam: ergo huiuſmodi non repugnantia, adeoque poſsibilitas intrinſeca eſt potentialis alteri mũdo. Hanc poſsibilitatem eſſe eſsentialiter contingentem eſt indubitatum, quia huiuſmodi poſsibilitas eſt ipſa exiſtentia: ſed exiſtentia alterius mundi eſt eſsentialiter contingens: ergo etiam poſsibilitas intrinſeca alterius mundi, quæ eſt puré potentialis, eſt eſsentialiter contingens.

4. Eodem modo philoſophandum eſt de impoſsibilitate rei impoſsibilis; quemadmodum enim res puré poſsibilis habet poſsibilitatem potentialem intrinſecam, quatenùs eſt talis, vt ſi eſset haberet non repugnantiam ſibi intrinſecãm; itá res impoſsibilis habet impoſsibilitatem quaſi potentialem ſibi intrinſecám, quatenús, ſi eſset, haberet repugnantiam ſibi intrinſecam, hoc eſt prædicata contradictoria ſibi intrinſeca. Hoc autem eſt diſcrimen inter rem puré poſsibitem, & rem impoſsibilem, quód poſsibilitas intrinſeca rei puré poſsibili ſunt illa prædicata intrinſeca, quæ haberet in hypotheſi poſsibili, prædicata veró intrinſeca rei impoſsibilis ſunt prædicata intrinſeca in hypotheſi impoſsibili; adeoque ſunt prædicata quaſi potentialia. Hinc res puré poſsibilis habet

Digitized by Google

poſsibilitatem intrinſecam potentialem rés veró impoſsibilis habet impoſsibilitatem intrinſecam quaſi potentialem.

5. Ad argumentum partis contrariæ: diſt: ma: nulla denominatio actualis eſt intrinſeca rei, quæ non eſt: conc: ma: potentialis: nego ma: & conceſſa mi: diſt: eodem modo conſequens. Hoc argumentum demõſtrat oſtenſiué poſsibilitatem actualem alterius mundi non eſse intrinſecam alteri mundo, quia nihil, quod actu non eſt, poteſt ſuſtinere actu denominationem ſibi intrinſecam. Cæterum nihil obſtat, quominus rei non exiſtenti conueniat denominatio potentialis intrinſeca, eo enim pacto denominatur intrinſecè, quo eſt; ſed res puré poſsibilis, quæ modo non eſt, poteſt eſse, ergo poteſt denominari intrinſece: ergo eſt capax denominationis intrinſecæ non actualis, ſed potentialis.

QVAESTIO III.

Vtrum poſſibilitas actualis, & impoſſibilitas actualis ſit intrinſeca rei purè poſſibili, & impoſſibili.

1. POſſibilitas potentialis, de qua in quæſtione præcedenti; non eſt ſatis ad explicandam dfficultatem, quæ plurimos torquet de repugnantia chimæræ, & non repugnantia alterius mundi: nemo enim eſt, qui poſſit dubitare an chimæra actu repugnet, & an alius mundus actu non repugnet: quo fit eſſe in rerum natura actualem repugnantiam chimæræ,& actualem non repugnaotiam alte-

alterius mundi diſtinctam à non repugnántia potentiali, immò vtramque fuiſſe æternam ac neceſſariam, quia ſemper fuit verum chimæram repugnare, & alium, mundum non repugnare: quemadmodum enim iſte mundus modo eſt, ita modo non repugnat, quo minus alius mundus modo ſit, quod autem dico de alio mundo, dicendum eſt conſequenter de quacumque re poſſibili. Dubium eſt, an iſta denominátio ſit intrinſeca, vel extrinſeca rei purè poſsibili, & impoſsibili. Quicumq; opinantur extrinſecam, de iſta differunt, ſicuti de deminatione cogniti, eo enim pacto, quo forma, quæ denominat rem cognitam eſt cognitio extrinſeca rei cognitæ, forma, quæ denominat alium mundum actu poſſibilem, eſt poſſibilitas illi extrinſeca: ſicuti ergo poteſt aliqua res eſſe actu cognita, etiamſi actu non ſit, dummodo ſit cognitio, quæ in genere cauſæ formalis eam facit cognitam; ità poteſt alius mundus eſſe actu poſſibilis, etiamſi actu non ſit dummodo actu ſit eius poſsibilitas. Similiter chimæra modo non eſt; quid magis indubitatum? nihilominus denominatur actu impoſsibilis: quia modo eſt actualis impoſsibilitas, à qua denominatur logicè, & extrinſecé impoſsibilis. Qui è contrarió arbitrantur intrinſecam rei puré poſsibili actualem poſsibilitatē, & rei impoſsibili actualem impoſsibilitatem in eo videntur conuenire, quòd alium mundum non repugnare, & chimæram repugnare verificet aliquid vtrique intrinſecum, & ab vtroque indiſtinctum: quid hoc ſit non ſatis interſe conueniunt: alij enim exiſtimant nunc eſſe aliquid intrinſecum alteri mundo, quod verificat propoſitionem, quæ affirmat alium mundum actu poſsibilem: hoc eſſe vocat Scotus cum ſua ſchola quoddam eſſe diminutum medium inter

eſſe

eſſe reale, & intentionale, quod non poteſt explicari quid tandem re vera ſit, ignoro enim an illud intelligant, qui de illo loquuntur: plurimi Thomiſtæ vocant eſſe eſſentiæ: iuxta hanc ſententiam fuit ab æterno, hoc eſt infinito tempore, antequam Deus mundum fabricaret, innumerabilis quædam multitudo rerum omnium habentium aliquod eſſe intrinſecum minimum, & exiguum, quod Scotus vocat diminutum; ſchola Thomiſtica eſſe eſſentiæ ratione cuius verum erat hominem eſſe poſsibilem, non eſſe poſsibilem chimæram. Alij docent id, quod verificat alium mundum actu poſsibilem, eſſe ipſum mundū conditionatè futurum, quatenus verum eſt conditionatè dicere *alius mundus, fieſſet, non repugnaret*: ita plurimi recentiores cum Arriaga.

2. Argumenta, quæ mouent huiuſmodi authores ad opinandam intrinſecam rei purè poſsibili actualem poſsibilitatem, ſunt huiuſmodi. Primò poſsibile differt intrinſecè ab impoſsibili: ergo illud quod eſt actu poſſibile eſt intrinſecè poſsibile, & illud, quod eſt actu impoſsibile eſt intrinſecè impoſsibile. Antecedens eſt certum, quia poſsibile differt per ſeipſum ab impoſsibili: ergo differt intrinſece ab impoſsibili.

3. Secundò: poſsibile non eſt intrinſecè impoſsibile: ergo eſt intrinſecè poſsibile. Antecedens conſtat, alioquin poſsibile eſſet intrinſecè impoſsibile, quod eſt apertè impoſsibile. Conſeq: probatur, quod non eſt intrinſecè impoſsibile, eſt intrinſecè poſsibile: ſed poſsibile non eſt intrinſecè impoſsibile: ergo eſt intrinſece poſsibile.

4. Tertiò: poſsibile eſt eſſentialiter poſsibile; & impoſsibile eſſentialiter impoſsibile: ſed quod eſt eſſentialiter poſsibile, eſt intrinſecè poſsibile: ergo poſsibile eſt intrinſecè poſsibile. Ma: eſt cer-

ta,

tà, quia repugnat, vt poſsibile fiat impoſsibile; & impoſsibile fiat poſsibile, ergo illud neceſſariò, & eſſentialiter eſt poſsibile, hoc neceſſariò, & eſſentialiter impoſsibile.

5. Quartò. Per illud formaliter eſt aliquod poſsibile; per quod in ſuo conceptu inuoluit prædicata contradictoria: ſed alius mundus ſecluſa quacumque forma ſibi extrinſeca nulla inuoluit prædicata contradictoria in ſuo formali conceptu; eaque inuoluit chimæra: ergo alius mundus ſecluſa quacumque forma extrinſeca eſt actu poſsibilis, & chimæra impoſsibilis.

6. Vltimò: poſsibilitas actualis eſt intrinſeca mundo exiſtenti: ergo fuit eidem intrinſeca ab æterno: ſed mundus ab æterno non fuit: ergo poſsibilitas actualis eſt intrinſeca rei purè poſsibili. Prima conſequentia prob: mundus illa poſsibilitate, qua eſt modo poſsibilis, fuit ſemper poſsibilis, quia poſsibilitas eſt ſempiterna, & neceſſaria; ergo ſi poſsibilitas actualis huius mundi eſt intrinſeca mundo, ſemper & ab æterno fuit intrinſeca.

7. Noſtra ſententia, quam ſequitur S. Thomas pluribus in locis, eſt poſsibilitatem actualem; rei impoſsibilis; non eſſe intrinſecam, ſed tantum extrinſecam rei purè poſsibili; & impoſsibili.

8. Ratio, cur impoſsibilitas actualis non ſit intrinſeca rei impoſsibili, videtur ſatis manifeſta hoc argumento; quod eſt, quantum arbitror, efficaciſſimum. Impoſsibilitas actualis chimæræ non eſt ipſa chimæra: ergo non eſt intrinſeca chimeræ: ergo denominatur actu impoſsibilis per denominationem extrinſecam. Vtraque conſequentia eſt manifeſta. Antec: prob: Impoſsibilitas actualis chimæræ eſt negatio chimæræ: ſed negatio chimæræ non eſt chimæra; ergo impoſsibilitas actualis chimæræ

non

non eſt chimæra. Mai: eſt euidens, quia neceſsitas, vt chimæra non ſit, eſt negatio chimæræ; ſed impòſsibilitas chimæræ eſt neceſsitas, vt chimæra non ſit: ergo eſt ipſa negatio chimæræ. Mi:primi ſyllogiſmi eſt etiam manifeſta, tum quia repugnat, vt negatio formæ ſit illa forma cuius eſt negatio: quis enim dicat tenebras eſſe lucem? tùm quia ſi negatio chimæræ eſset ipſa chimæra, negatio chimæræ eſset res chimærica, chimæra enim ſiue hircoceruus eſt res chimærica, quod ſi negatio chimæræ eſt res chimærica, huiuſmodi negatio non eſt, quia res chimærica non eſt: adeoque eſt chimæra, quam negat iſta negatio: neceſse enim eſt vt quando non eſt negatio, ſit forma negata, cum ex duobus contradictoriè oppoſitis alterum ſit verum, & alterum falſum.

9. Neque mihi opponas id eſsè ſignificare chimæræ, vt inuoluat negationem ſui, debes enim diſtinguere negationem, quæ excludit chimæram à negatione, quam inuoluit chimæra: negatio, quæ modo excludit chimæram, non eſt illa negatio, quam chimæra inuolueret, ſi chimæra eſset; vt euidentiſsimè demonſtro. Negatio, quæ modo excludit hominem identificatum cum equo non eſt talis naturæ, vt excludat, & non excludat, alioqnin eſsent vera nunc duo contradictoria: ſed illa negatio,quam inuoluit homo identificatus cum equo excludit ſimul, & non excludit hominem indentificum cum equo, quia talis negatio ſi foret, eſset homo & non homo: equus & non equus, ergo, &c.

13 Præterea demonſtro actualem poſsibilitatem chimæræ non eſse intrinſecam chimæræ adeoque à chimæra eſse diſtinctam hoc ſyllogiſmo. Impoſſibilitas chimæræ non eſt impoſsibilis: ſed chimæra

ra eſt impoſsibilis, ergo impoſsibilitas chimęrę non eſt chimæra; ergo actualis impoſsibilitas chimæræ, & chimæra realiter diſtinguuntur, eo quod ſuſtinent prædicata contradictoria, nimirum eſse impoſsibile, & non eſse impoſsibile: quid veró fingi euidentius poteſt, quam eſse impoſsibilem chimęram, & non eſse impoſsibilem eius impoſsibilitatem? fac, eſse impoſsibilē impoſsibilitatē chimæræ: chimæra ſtatim eſt poſsibilis, quia id eſt poſsibile, cuius impoſsibilitas eſt impoſsibilis, ſed impoſsibilitas chimæræ, vt mihi concedis, eſt impoſsibilis; chimæra igitur eſt poſsibilis; quod eſt euidenter impoſsibile.

11 Deindé quid poteſt fingi deterius chimæra? quid melius eius actuali repugnantia? chimæra eſt deterrima, quia eſt tantum malum, vt ea exiſtente Deus non exiſtat, ideó eſt eſsentialiter nihil: è contrarió repugnantia chimæræ eſt optima, quia ratio cur neceſse eſt non eſse malum ſummum, eſt optima: ſed repugnantia chimæræ eſt ratio, cur neceſse ſit non eſse chimæram, quæ èſt ſummum malum: ergó huiuſmodi repugnantia eſt optima. Addo tantum eſse boni in repugnantia chimæræ, quantum mali eſt in chimæra, quia excludere malum eſt procul dubio bonum, immó tantum bonum, quantum eſt malum, quod excluditur: ergo excludere ſummum malum, quod eſt chimæra, eſt eſse ſummum bonum: ſed actualis impoſsibilitas chimęrę excludit chimæram: ergo non ſolum eſt bona; ſed eſt bona, immó eſt ſummè bona, adeoque eſsentialiter eſt aliquid. Quis veró eſt adeó cæcus, vt non videat non eſse idem optimum, & peſsimum? aliquid, & nihil? poterit igitur in mentem ſapientis cadere hæc ſtultitia, quod actualis repugnantia chimæræ ſit chimæra? Certè ſi hæc argu-

gumenta non demonſtrant, neſcio quid ſit demonſtrare: maneat igitur indubitatum, quod chimæra actu repugnat per aliquam denominationem extrinſecam ab aliqua forma: ſibi extrinſeca quid ſit hæc forma in quæſtione ſequenti dicemus.

12 Reſtat idem demonſtrandum de non repugnantia alterius mundi, ſiué de actuali poſsibilitate rei pu é poſsibilis. Argumentum in rem noſtram efficacisſimum deſumitur, ex ipſa repugnantia chimæræ, quia eodem modo philoſophari oportet de poſsibilitate poſsibilium, ac de impoſsibilitate impoſsibilium; vel enim vtraque, vel neutra eſt intrinſeca. Addo, quod actualis poſsibilitas alterius mundi non poteſt eſse ab ipſo mundo indiſtincta, vt breui oſtendo: neceſse eſt, alium mundum eſse poſsibilem, vt eſt certiſsimum, ergo forma, quæ denominaret alium mundum exiſtentem, ſi eſset, non eſt ea forma, quæ denominat alium mundum actu poſsibilem: ſed forma, quæ denominaret alium mundum exiſtentem, eſt ipſe mundus: quia omne id, quod eſt, per ſe ipſum eſt, vt conſtat ex tomo 2. diſp. 2. qu. 3. ergo forma, quæ denominat alium mundum poſsibilem, non eſt ipſe mundus. ergo poſsibilitas alterius mundi diſtinguitur realiter ab alio mundo: ergo alius mundus eſt actu poſsibilis per denominationē ſibi extrinſecam. Summa huius argumenti locum habentis in omnibus rebus poſsibilibus in eo conſiſtit, quod res omnes creatę ſunt contingentes, variabiles, & temporaneæ; earum autem poſsibilitas eſt inuariabilis, & æterna: vnde ſequitur earum poſsibilitatem eſse aliquid diſtinctum realiter ab ipſis. Præterea non fuit ab æterno vlla res creata, & tamen fuit ab æterno actualis poſsibilitás cuiuſcumque rei creatæ, neceſse eſt igitur hanc poſsibilitatem

non

non eſſe aliquid creatum, adeoque eſſe diſtinctam ab omni re poſſibiii, quæ procul dubio eſt creata; hoc argumentum ſatis eſt indicaſſe, quia erit ſermo in diſp. 5. dum agemus de illa neceſsitate, qua neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale etiam ſi homo non ſit. Poſſibilitas igitur actualis non eſt intrinſeca rei puré poſſibili, quod erat demonſtrandum vndè patet ad fundamenta ſetentiæ contrarię.

13 Ad primum: ant: eſt apertę falſum, loquendo de poſsibilitate actuali, quia de potentiali non eſt dubium: ſed hæc ad rem præſentem non facit. Quod denominatur puré poſs ibile, ſeú id, pro quo ſupponit purę poſsibile, vtique non eſt: quod autem non eſt, nihil habet ſibi intrinſecnm, quia quidquid habet prædicata intrinſeca, verè eſt, vt conſtat ex diſp. 2. qu. 1. num. 14. ergo puré poſſibile nullum habet prædicatum intrinſecum, adeoque non poteſt intrinſeçé differre ab impoſsibili; quia illud ſe ipſo differt, quod eſt; quod autem non eſt, ſi differt, non niſi extrinſecè differt; vnde argumentum retorquetur.

14, Ad ſecundum; ne: ant. poſsbile, quod eſt purè poſsibile, neque eſt intrinſecé poſsibile, neque intrinſecé impoſsibile, quia quod nihil eſt, nihil habet ſibi intrinſecum, ſed purè poſsibile nihil eſt; ergo puré poſsibile nihil habet ſibi intrinſec... ergo neque eſt intrinſecè poſsibile, neque intr... cé impoſsibile. Inter poſsibile, & impoſsibile ... lum datur medium, adeoque nihil eſt, quod neque ſit poſsibile, neque impoſsibile. Inter intrinſecé poſsibile, & intrinſecè impoſsibile, datur medium; nimirum extrinſecé poſsibile, vel extrinſece impoſsibile. Hinc alius mundus, neque eſt intrinſece poſsibilis; neque intrinſece impoſsibilis; ſed extrinſecè poſsibilis: chimæra neque eſt intrinſece

cè poſsibilis, neque intrinſece impoſsibilis; eſt enim extrinſecé impoſsibilis: album, & non album opponuntur contradictorié, ideó paries, vel eſt albus, vel non eſt albus: eſsentialiter album, & eſſentialiter non album non opponuntur contradictorié: ideó paries neque eſt eſſentialiter albus, neque eſſentialiter non albus: idem dic de re intrinſecè poſsibili, & intrinſecé impoſsibili.

15. Ad tertium: diſt. ma: eſt poſsibile poſſibilitate, quæ eſt eſſentialiter: conc: ma. poſsibilitate, quæ eſt eſſentia rei poſsibilis: nego ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam. Poſsibilitas rei poſsibilis eſſentialiter eſt, quia neceſſe eſt rem eſſe poſsibilem: idcirco poſsibile eſt eſſentialiter poſſibile, quia forma, quæ neceſſariò eſt, neceſsariò denominat rem, quam denominat: poſsibilitas non eſt eſsentia rei poſsibilis, quia diſtinguitur ab illa re, quæ denominatur poſsibilis, vt oſtenſum fuit: nihil autem eſt, quod ſit diſtinctum á ſua eſsentia, quia nihil diſtinguitur à ſeipſo. Cæterum eſt euidentiſsimum non eſſe idem rem poſsibilem eſſe eſsentialiter poſsibilem, & poſsibilitatem eſse eſsentiam rei poſsibilis: quia non eſt idem, aliquam rem eſſe per ſuam eſſentiam, & eſsentialiter eſse: quidquid eſt, per ſuam eſsentiam eſt, quia quidquid eſt, per ſuam exiſtentiam eſt, adeoque per ſuam eſsentiam ob identitatem realem eſsentiæ cum exiſtentia: é contrarió non quidquid eſt, eſsentialiter eſt, quia illud tantum eſſentialiter eſt, quod neceſsarió eſt, nimirum ens increatum; ſicuti ergo non eſt idem hunc mundum eſse per ſuam eſſentiam, & eſsentialiter eſſe, ita non eſt idem alium mundum eſſe poſsibilem eſsentialiter, & eſſe poſſibilem per ſuam eſsentiam.

16. Ad quartum conc: ma: & negó mi: quia

cum

cumque intelligit alium mundum non inuoluere contradictoria, intelligit illam poſsibilitatem potentialem, quam mundus haberet ſi eſset, & illam impoſsibilitatem potentialem, quam haberet chimæra, ſi eſset; quià ſi alius mundus eſset, haberet prædicata intrinſeca non contradictoria, chimæra verò ſi eſset, haberet prædicata intrinſeca contradictoria. Præterea, qui intelligit alium mundum poſsibilem, & chimæram impoſsibilem intelligit ſaltem in actu exercito actualem poſsibilitatem alterius mundi, & actualem impoſsibilitatem chimæræ, quia intelligit neceſsitatem, quam habet alius mundus, vt poſsit eſse, & neceſsitatem chimæræ, vt non poſsit eſse; ſed hæc neceſsitas eſt actualis poſsibilitas mundi, & actualis impoſsibilitas chimæræ, ergò &c. adeoque argumentum retorquetur.

17. Ad vltimum: diſt: antecedens: poſsibilitas actualis neceſsariá eſt intrinſeca mundo exiſtenti: nego ant: poſsibilitas contingens: con: ant. & nego conſ: Ad eius probationem diſt: ant: ea poſsibilitate neceſsaria, qua mundus eſt modo poſsibilis, fuit ſemper poſsibilis: conc: ant: poſsibilitate contingenti: nego ant. & conſ: mundus, qui modo eſt non ſemper fuit, vt eſt indubitatum; ergo illā poſsibilitatem indiſtinctam ab exiſtentia, quam modo habet, non ſemper habuit: ſed modo habet poſsibilitatem intrinſecam, & contingentem indiſtinctam ab exiſtentia; ergo ab æterno non habuit poſsibilitatem intrinſecam, & contingentem; ergo ſicuti mundus ab æterno fuit aliquid potentiale, non actuale: itá eius poſsibilitas intrinſeca, & contingéns fuit ab æterno potentialis non actualis; alia poſsibilitate eſt actu poſsibilis mundus nimirum neceſsariá, quæ oritur ex illa neceſ-

ſitate, qua neceſse eſt mundum eſse poſsibilem, eaque immutabilis permaneret, etiamſi mundus verteretur in nihilum; huiuſmodi poſsibilitas non eſt ipſe mundus, eſt enim à mundo diſtincta, & ſemper fuit, adeoque mundus ab æterno fuit poſsibilis ea poſsibilitate actuali, & neceſsaria, qua eſt modò poſsibilis.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ſola omnipotentia Dei ſit actualis poſſibilitas omnium poſsibilium, & actualis impoſſibilitas omnium impoſſibilium.

1. VIdetur non eſse primò, quia illa forma, quæ denominat poſsibilem alium mundum, non denominat impoſsibilem chimæram: ergo omnipotentia Dei non eſt actualis poſſibilitas mundi, & impoſsibilitas chimæræ. Antec: prob: repugnat diuerſas denominationes procedere ab eadem forma; ſed denominatio mundi poſsibilis, & chimæræ impoſsibilis ſunt denominationes diuerſæ: ergo non poſsunt procedere ab eadem forma.

2. Secundò. Præciſa omnipotentia Dei alius mundus eſt actu poſsibilis, & chimæra impoſsibilis: ergo alius mundus non eſt actu poſsibilis, & chimęra actu impoſsibilis per ſolā omnipotentiam Dei. Ant: prob: quia conceptus formalis mundi poſsibilis non eſt conceptus formalis Dei habentis potentiam producendi mundum: ergo poteſt intel.

telligi mundus actu poſsibilis, quin intelligatur Deus potens producere mundum.

3. Tertiò: alius mundus eſt terminus Diuinæ Omnipotentiæ: ergo non poteſt conſtitui actu poſſibilis per ipſam omnipotentiam. Conſequentia probatur: repugnat terminum conſtitui in eſse termini per illud ipſum, quod terminat: ſed alius mundus eſt terminus diuinæ omnipotentiæ: ergo non poteſt conſtitui poſsibilis per omnipotentiam.

4. Quartò: terminus omnipotentiæ diſtinguitur ab omnipotentia: ſed poſsibile quatenùs poſsibile eſt terminus omnipotentiæ: ergo poſsibile quatenùs poſsibile diſtinguitur ab omnipotentia: ſed poſsibile quatenùs poſsibile ſignificat poſſibilitatem: ergo poſsibilitas non eſt ſola omnipotentia. Ma: eſt euidens, quia ſine dubio non poteſt omnipotentia ſeipſam producere: Mi: etiam eſt manifeſta, quia obiectum diuinæ omnipotentiæ ſunt creaturæ poſsibiles quatenùs poſsibiles.

5. Quintò: Deus poteſt producere alium mundum, eò quod alius mundus eſt poſsibilis; non poteſt chimæram; eo quód chimæra eſt impoſsibilis: ergo omnipotentia Dei non conſtituit, ſed ſupponit alium mundum poſsibilem, & chimæram impoſsibilem. Ant: prob: quia nobis aliunde non conſtat Deum poſse hoc, & non illud; niſi ex poſſibilitate vnius, & impoſsibilitate alterius. Hinc omnis controuerſia, quæ naſcitur inter Philoſoph: an Deus poſsit facere infinitum, & alia id genus, deciditur ex repugnantia, vel non repugnantia infiniti: vnde ſequitur prius eſse alium mundum eſſe poſsibilem, quam poſse à Deo produci.

6. Sexto: Deus non poteſt facere chimæram ex defectu, qui non eſt in Deo, ſed eſt in chimæra,

ergo Dei omnipotentia non eſt impoſsibilitas chimæræ: Conſequentia probatur, quia ſi ſola omnipotentia eſſet impoſsibilitas chimæræ, redundaret in defectum Diuinæ omnipotentiæ non poſse facere chimæram, quod eſt euidenter falſum.

7. Septimo: datur aliqua ratio, cur Deus poſſit producere alium mudum, & non poſsit producere chimæram, ſed iſta ratio eſt poſsibilitas alterius mundi, & impoſsibilitas chimæræ: ergo actualis poſsibilitas mundi, & impoſsibilitas chimæræ non eſt ſola omnipotentia Dei. Ant: patet, quia ſicuti datur ratio, quare homo poſsit producere hominem, non poſsit producere equum, ita datur ratio, cur poſsit Deus producere mundum, non chimæram. Confirmatur; quia Deus non poteſt eſse actualis poſsibilitas peccati: ergo aliquid eſt actu poſsibile, cuius poſsibilitas non eſt Deus.

8. Vltimò: qui intelligit hominem poſsibilem non intelligit poſsibilem leonem: ergo poſsibilitas hominis non eſt poſsibilitas leonis: ergo omnipotentia Dei non eſt poſsibilitas omnium poſsibilium. Antecedens eſt certum, tùm quia poteſt intelligi homo poſsibilis non intellecto leone poſsibili: tùm quia ſi homo fieret impoſsibis, adhuc Leo eſset poſsibilis; ſicuti moriente homine non moritur Leo.

9. Reſpond: Omnipotentiam Dei eſse actualem poſsibilitatem omnium poſsibilium, & actualem impoſsibilitatem omnium impoſsibilium.

10. Ratio eſt manifeſta ex quæſtione præcedenti, quia forma, quæ denominat alium mundum poſsibilem àctu, & chimæram actu impoſsibilem, eſt forma extrinſeca tam chimæræ, quam mundo ſempiterna, & neceſsaria; ſed forma extrinſeca alte-

alteri mundo eſt ſola Dei omnipotentia, cum nihil æternum neceſſarium, & indefectibile ſit diſtinctum à Deo, ergo ſola omnipotentia eſt illa forma, quæ denominat mundum actu poſsibilem, & chimęrã actu impoſsibilem, ergo eſt actualis poſsibilitas omnium poſsibilium, & actualis impoſsibilitas omnium impoſsibilium.

11. Præterea: illud idem denominat poſsibilem alium mundum, quod denominat alium mundum fieri poſſe à Deo, ſed ſola omnipotentia denominat mundum poſſe fieri á Deo: ergo ſola omnipotentia denominat mundum poſsibilem. Maior eſt manifeſta, quia mundum eſſe poſsibilem, & poſſe fieri ſunt termini conuertibiles. Minor probatur, quia ſola omnipotentia denominat Deum poſſe facere mundum: quid hac veritate certius? quis dubitare poteſt, an ſolus Deus ſit cauſa mundi in omni genere adæquata? propter adæquatam mundi perfectionem, quam in ſe eminenter continet: cauſa autem in omni genere adæquata ſe ſola poteſt producere effectum; neque indiget alia ad producendum effectum. Hinc eſt, ſolam omnipotentiam eſſe actualem poſsibilitatem alterius mundi, quia ſi non eſſet actualis poſſibilitas alterius mundi, haberet neceſſitatem alicuius rei á ſe diſtinctæ ad producendum mundum, nimirum actualis poſsibilitatis mundi: adeoque non eſset cauſa adequata mundi. Fingamus poſsibilitatem alterius mundi non eſse omnipotentiam Dei: deinde ſic argumentor: huiſmodi poſsibilitas ſine dubio requiritur ad producendum mundum, quia Deus nihil poteſt producere, quod non ſit actu poſſibile: ergo aliquid à Deo diſtinctum requiritur vt Deus poſſit producere mundum: ſed hoc repugnat perfectioni diuinæ, quæ eſt tanta, vt abſque

neceſſitate alterius rei poſsit producere mundum: ergo actualis poſsibilitas alterius mundi non eſt diſtincta ab omnipotentia Dei.

12. Deindé quid magis repugnat diuinæ perfectioni, quam eſse aliquid in creatura, quod non ſit á Deo? Atqui hoc euidenter ſequitur, ſi ſola omnipotentia non eſt actualis poſsibilitas alterius mundi, vt euidenter oſtendo. Melius eſt actu eſse poſsibile, quam non eſse actu poſsibile: quid certius? eſse actu poſsibile habet alius mundus, quod non habet chimæra: quid magis indubitatum? Atqui alius mundus non habet à Deo eſse actu poſsibile, ſi ſola omnipotentia Dei non eſt actualis eius poſsibilitas: vt eſt manifeſtum: ergo vel actualis poſsibilitas eſt ſolá Dei omnipotentia, vel alius mūdus habet aliquid, quod á Deo non habet, quod manifeſtè repugnat túm rationi, túm etiam Apoſt. in aliam rem hoc idem inculcanti his verbis. *Quid habes, quod non acceſiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* non cadit in ſententiam noſtram iuſtiſsima hæc Pauli Apoſtoli expoſtulatio, quia mundus, quem Deus condidit, nihil habet, quod à Deo non habeat. Preterea nihil habuit antequam eſset; quòd á Deo non habuerit tamquam à cauſa formali, eò quod ipſe mundus, antequam eſset, denominaretur poſsibilis á ſola omnipotentia, quæ eſt ipſe Deus.

13. Huc adde, nihil perfectionis eſse in rebus omnibus poſsibilibus, quod non contineatur eminenter in Diuina omnipotentia; quià tota perfectio, quæ foret in alio mundo, ſi alius mundus nunc eſset; modo reperitur in Deo: quo fit, ſolam omnipotentiam eſse adæquatam cauſam, cur Deus poſsit alium mundum cæteráſque res producere:

at-

atque adeò cur alius mundus cæteræque res ſint actu poſſibiles. Eſt igitur apertum diſcrimen inter cauſam primam & ſecundam, quod iſta non conſtituit, ſed ſupponit poſsibilem effectum, quem producit: illa veró non ſupponit, ſed conſtituit poſſibilem effectum, quem producit prima. In cauſa ſecunda non eſt tota perfectio effectus, ſicuti eſt in cauſa prima: vndè cenſeo inferri poſſe virtutem creandi propriam cauſæ primæ non poſſe donari cauſæ ſecundæ vt docui in tom.3. diſp.3. qu.4. n.13. Iiſdem argumentis conſtat actualem impoſsibilitatem chimæræ eſſe ſolam Dei omnipotentiam; quæ eſt tantæ perfectionis, vt non poſsit producere chimæram: quemadmodum enim infinita Sanctitas eſt adæquata ratio, cur peccare non poſsit; vita infinita eſt adæquata ratio, cur non poſsit mori, ità infinita potentia eſt ratio, çur Deus non poſsit facere chimæram hoc eſt illam rem, quæ ſi eſſet, nullam haberet perfectionem, quia eſſet & non eſſet.

14. Conſtat igitur ex huc vſque dictis, actualem impoſsibilitatem omnium impoſsibilium eſſe ſolam omnipotentiam Dei, adeoque eſſe poſsibile mundi, & impoſsibile chimæræ, quod ſemper fuit & ſemper erit, non eſſe niſi denominationem logicam, & extrinſecam rei, quæ denominatur poſſibilis & impoſsibilis: diſcurrendum enim eſt de poſsibili & impoſsibili perindè, ac de ente cognito; ſicuti ergo cognitio denominat rem logicè cognitam, & intellectum phyſicè cognoſcentem: ita poſsibilitas mundi denominat logicé mundum poſsibilem, & denominat phyſicé Deum potentem producere mundum. Quare denominatio mundi poſsibilis ſecundúm rem denominatam eſt diuerſa á denominatione chimæræ impoſsibilis: ſecundúm for-

formam denominantem non eſt diuerſa, quia forma, quæ denominat mundum poſsibilem, & chimęram impoſsibilem, eſt eadem in ſenſu reali; licet non ſit eadem in ſenſu formali, quia conceptus formalis potentiæ denominantis mundum poſsibilem eſt diuerſus á conceptu formali potentiæ denominantis chimæram impoſsibilem: Deus enim, quatenús poteſt producere mundum, non eſt Deus quatenús non poteſt producere chimæram, vnde patet ad argumenta partis contrarię.

15. Ad 1. nego antec: vel potius diſt: Illa forma, quæ denominat mundum poſsibilem, non eſt eadem in ſenſu reali, ac illa, quæ denominat chimęram impoſsibilem: nego antec: non eſt eadem in ſenſu formali: omitto antec: & nego conſeq: forma denominans mundum poſsibilem, & chimæram impoſsibilem eſt vna & eadem in ſenſu reali, quidquid ſit de ſenſu formali, qui non eſt ad rem. Neque obſtat identitati in ſenſu reali diuerſitas denominationum, quiá vna forma entitatiue vna, & æquiualenter multiplex poteſt tribuere denominationes diuerſas, vt alibi oſtenſum eſt. Hinc eadem potentia ſicuti poteſt producere effectus diuerſos, itá poteſt diuerſimodè denominare res diuerſas.

16. Ad 2. diſt: antec: præſcindendo ſignate ab omnipotentia Dei alius mundus eſt actu poſsibilis: conc: antec: præſcindendo exercitè: nego antec: & conſeq: non eſt neceſſe, vt qui concipit mundum actu póſsibilem, concipiat omnipotentiam ſub hoc conceptu ſignato omnipotentiæ; ſatis enim eſt, vt illam concipiat ſub aliquo concéptu realiter conuertibili, nimirúm ſub conceptu actualis poſſibilitatis: huiuſmodi actualis poſsibilitas, quæ realiter eſt virtus productiua mundi, duas habet formalitates, quia duos habet effectus formales, nimirúm

mirúm mundum poſsibilem, & Deum potentem producere mundum; eo modo, quo cognitio duplicem habet formalitatem, quarum vna facit rem cognitam, & alia intellectum cognoſcentem. Hinc eſt, quòd licet conceptus formalis rei cognitæ, & conceptus formalis intellectus cognoſcentis ſint diuerſi, nihilominus eadem cognitio facit rem cognitam, & intellectum cognoſcentem: eodem pacto licet conceptus mundi poſſibilis, & Dei potentis producere mundum ſint diuerſi, nihilominus forma, quæ denominat mundum poſsibilem & Deum potentem producere mundum, eſt eadem *in* ſenſu reali.

17. A 3. diſt. antec: Alius mundus eſt terminus Diuinæ omnipotentiæ ſecundúm eſſe actuale: nego ſuppoſitum: ſecundùm eſſe potentiale: concedo antec: & nego conſeq: ad eius probationem: concedo mai: & diſt: min: mundus poſsibilis poſsibilitate actuali eſt terminus Diuinæ omnipotentiæ: nego min: poſſibilis poſſibilitate potentiali: concedo min: & diſt: conſeq: ergo non poteſt conſtitui poſſibilis poſsibilitate actuali per omnipotentiam Dei: nego conſeq: poſsibilitate potentiali: concedo conſeq: Alius mundus præter eſſe poſsibile actuali poſsibilitate, habet eſſe poſsibile poſsibilitate potentiali. Huiuſmodi poſsibilitas eſt illa, quæ modo non eſt, ſed eſſet, ſi mundus à Deo fieret, eſt enim poſsibilitas indiſtincta ab exiſtentia mundi, adeoque eſt poſsibilitas contingens, & intrinſeca, vt demonſtratum fuit in quæſtione ſecunda. Iſta poſsibilitas non ſatis eſt ad denominandum mundum actu poſsibilem, vt oſtenſum eſt in quæſtione tertia. Hinc eſt, mundum eſſe actu poſſibilem actuali poſsibilitate, quæ eſt omnipotentiam Dei. Quid eſt igitur, quòd terminat omnipotentia

Dei?

Digitized by Google

Dei ? poſsibilitas actualis an potentialis ? Poſsibilitas potentialis eſt illa, quæ terminat. Ratio eſt manifeſta, quia terminus omnipotentiæ eſt aliquid potentiale, non actuale, ille enim eſt terminus, qui poteſt virtute omnipotentiæ Diuinæ tranſire á ſtatu potentiali ad actualem. Hoc eſſe potentiale, quod voco poſsibilitatem potentialem, ab ipſa actuali poſsibilitate, quam terminat, denominatur actu poſsibile, eo modo quo Antichriſtus, qui nihil eſt, denominatur, cognitus à mea cognitione quam terminat.

18. Ad quartum: concedo ma: & diſt: mi: poſsibile quatenùs poſſibile actuali poſſibilitate, eſt terminus omnipotentię: nego min: poſſibilitate potentiali: concedo mi: & diſt: conſeq: ergo poſſibile quatenús poſſibile poſſibilitate actuali diſtinguitur ab omnipotentia; nego conſeq: poſſibilitate potentiali: concedo conſequentiam. Æquiuocatió argumenti conſiſtit in tranſitu á poſſibilitate actuali ad potentialem. Id, quód términat omnipotentiam, eſt poſſibile quátenùs poſſibile poſſibilitate potentiali. Hoc poſſibile quatenús poſſibile poſſibilitate potentiali, conſtituitur actu poſſibile per omnipotentiam, quam terminat: quod ex nullo capite repugnat; poſſibile ergo quatenús poſſibile poſſibilitate potentiali diſtinguitur ab omnipotentia, quám terminat, ea diſtinctione, qua diſtinguitur ens potentiale, quod non eſt, ab ente actuali, quod eſt, quia poſſibilitas potentialis non eſt, omnipotentia veró eſt; immó ideó eſt terminus omnipotentiæ, quia nullum habet eſſe: ſpectat enim ad virtutem infinitám, qualis eſt omnipotentia, nihil ſupponere illius rei, quam poteſt producere.

19. Ad quintum: diſt: antec: Deus poteſt producę-

ducere mundum, quia mundus eſt poſſibilis: ly quia appellante rationem á priori: nego antecedens, rationem á poſteriori: concedo antecedens, & nego conſequentiam, duplex datur medium ad aliquid demonſtrandum, vnum á priori, & aliud á poſteriori: medium á priori eſt illud, quo demonſtratur effectus per cauſam; medium veró á poſteriori demonſtrat cauſam per effectum; ita qui demonſtrat cognitum per cognitionem demonſtrat á priori, qui veró demonſtrat cognitionem per ipſum cognitum, demonſtrat á poſteriori, quia cognitum eſt effectus formalis, cognitio veró cauſa formalis: mundus actu poſſibilis eſt effectus formalis actualis poſsibilitatis, adeóque Diuinæ Omnipotentiæ. Hinc demonſtrare Deum poſſe producere mundum ex ipſo mundo poſsibili, eſt demõſtrare cauſam formalem per effectum formalem; adeóque eſt demonſtrare demonſtrationé á poſteriori. At quid eſt magis notum? Deum poſſe producere alium mundum, an alium mundum eſſe poſsibilem? eſt magis notum ſecundùm ſe Deum poſſe producere mundum, quám mundum eſſe poſsibilem, quia omnis cauſa ſecundúm ſe eſt notior ſuo effectu; nihilominus quoad nos, qui cognoſcimus Deum per creaturas, eſt magis notum alium mundum eſſe poſsibilem, quám Deum poſſe alium mundum producere. Hinc naſcitur, á nobis qui nullam habemus diuinitatis experientiam, non poſſe definiri controuerſiam circá virtutem, quam habet Deus de hac vel illa re producenda, niſi exploratis illis prædicatis potentialibus & intrinſecis, quæ haberet res controuerſa, ſi veré eſſet; ex eorum enim mutua repugnantia, vel non repugnantia, definimus poſſe vel non poſſe á Deo produci: ex hoc veró capite non ſolum non

Dei?

poteſt argui aliqua prioritas mundi poſsibilis reſpectu omnipotentiæ, quæ poteſt producere mundum; ſed potiús debet argui oppoſitum, quia actus quatenús actus eſt prior potentia, adeoque omnipotentia Dei, quæ eſt actus, & conſtituit mundum actu poſsibilem, antecedit potentialem poſsibilitatem mundi. Huc ſpectat doctrina Philoſophi docentis, ea quæ ſunt mágis nota in natura, eſſe nobis minús nota, quod naſcitur ex imbecillitate mentis humanæ, ſicuti naſcitur ex imbecillitate facultatis viſiuæ, quam habet oculus talpæ, vt ſummum viſibile, quod eſt Sol, ſit illi minus viſibile, quám lumen exiguum.

20. Ad ſextum: oſtenſum eſt rédundare in ſummam perfectionem Dei non poſſe facere chimæram; eſt ſumma perfectio Sanctitatis & vitæ non poſſe peccare, nec poſſe mori: aliqua enim ſunt, quæ non poſſunt fieri, niſi ſit defectuoſa cauſa, á qua fiunt: huiuſmodi ſunt peccatum, chimæra, & alia id genus.

21. Ad ſeptimum: diſt: min: datur ratio á poſteriori, cur Deus poſsit producere mundum, & non chimæram: concedo ma: datur ratio á priori: iterum diſtinguo: datur ratio diſtincta á Deo: nego ma: indiſtincta á Deo: concedo ma: Ratio á priori, vel quaſi á priori, cur Deus poſsit producere mundum, & non chimæram, non poteſt aliunde ſumi, niſi ex natura Dei, qui cum ſit, vt optimé philoſophatur in rem noſtram S. Thomas, omne & ſummum eſſe, in ſua virtute non continet niſi id, quod eo ipſo quód eſt, habet aliquod eſſe, adeoque continet in ſua virtute alium mundum, quia mundus eo ipſo quod eſt, habet aliquod eſſe: non continet in ſua virtute chimæram, quia eo ipſo, quod eſt, non eſt, adeoque nullum habet eſſe. Addo ratio-

rationem cur Deus poteſt producere mundum, & non poteſt chimæram eſſe illam rationem propter quam Deus eſt, quæ ſine dubio eſt ipſe Deus, túm quia Deus eſt á ſe, túm quia Deus eſt prima ratio rerum omnium: prima autem ratio non habet ante ſe aliam rationem, quare ſicuti eſt ſtultum quærere rationem primæ rationis, ita eſt ſtultum quærere rationem, cur Deus poſsit hoc, & non illud: poſſunt in hanc rem videri, quę diximus in diſp. 1. qu. 2 num. 8,

22. Ad confirmationem dico, Deum eſſe poſſibilitatem peccati, quatenùs eſt poſsibilitas creaturæ, quæ poteſt peccare: non proptereá Deus poteſt peccare, quia aliud eſt poſſe permittere peccatum, aliud poſſe peccare, poſſe permittere eſt bonum, poſſe peccare eſt malum, illud conuenit Deo, qui eſt ſummé bonus; hoc creaturæ, quæ non eſt ſummé bona.

23. Ad vltimum: actualis poſsibilitas hominis eſt eadem in ſenſu reali, ac poſsibilitas actualis leonis: non eſt eadem in ſenſu formali, quia ſunt diuerſæ formalitates eiuſdem omnipotentiæ poſſe producere hominem, & poſſe producere leonem. Hinc eſt, quód qui intelligit formaliter hominem poſsibilem, non intelligit formaliter leonem poſſibilem. Quare ſi homo euaderet impoſsibilis, etiam leo euaderet impoſsibilis in ſenſu reali; quiá omnia fierent impoſsibilia ſi Deus non eſſet, qui vtique non eſſet, ſi homo fieret impoſsibilis: quia facto impoſsibili homine, deſinit eſſe actualis poſſibilitas hominis, quæ eſt ipſe Deus.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACUM-

DI-

DISPVTATIO QVINTA.

De veritatibus obiectiuis neceſſarijs.

DE veritatibus obiectiuis æternis, & neceſſarijs agendum eſt poſt diſputationem de poſsibilitate omnium poſsibilium, & impoſsibilitate omnium impoſsibilium; quia huiuſmodi controuerſiæ ſunt ita connexæ, vt vna ſine alia decidi non poſsit.

QVAESTIO I.

An ſit, & quid ſit id, quod verificat propoſitiones æternæ veritatis.

1. PRopoſitiones æternæ veritatis, vt conſtat ex ſummulis, ſunt neceſſarió veræ propter eſſentialem connexionem prædicati cum ſubiecto. Huiuſmodi ſunt, quæ affirmant hominem rationalem, equum hinnibilem, & alia id genus, quæ vt omnibqs liquet ſunt infinita, nihil enim poteſt in mentem cadere, de quo non poſſit aliquid enunciari neceſſarió verum. Cæteræ propoſitiones, quibus contingit veritas vel falſitas, non ſunt neceſſarió veræ. Hinc propoſitiones æternæ veritatis ſunt in materia neceſſaria, & propoſitiones contingenter

ter veræ in materia contingenti, omnes conſtant ex verbo ſubſtantiuo; quód eſt cauſa cur prædicatum enuncietur de ſubiecto vt patet in hac propoſitione, quæ eſt in materia neceſſaria *homo eſt animal*, & in iſtâ in materia contingenti *homo eſt*; multum tamen intereſt inter munera, quibus in vtraque propoſitione idem verbum fungitur; vt acutè notat S. Thomas, quia in hac propoſitione, cæteriſque veritatis ſempiternæ verbum habet rationem copulæ, non rationem verbi; quia nihil ſignificat præter connexionem eſſentialem vnius termini cum alio; quám connexionem explicat propoſitio hypothetica *ſi homo eſt, animal eſt*. E contrarió verbum in hac propoſitione *homo eſt* habet rationem verbi, quia ſignificat hominem verè eſſe, cum enim verbum eſt vt oſtenſum eſt in ſummulis ſignificet tempus; neceſſe eſt, vt verbum non habeat rationem verbi in propoſitione, quæ abſtrahit ab omni tempore, qualis eſt propoſitio æternæ veritatis; in propoſitione veró, quæ ſignificat tempus præſens, præteritum vel futurum habeat rationem verbi; ideó debet attendi illud tempus, quod ſignificat propoſitio in materia contingenti ad ferendum iudicium de eius veritate vel falſitatê.

2. Prætereá id habent commune propoſitiones æternæ veritatis cum cæteris, quód omnes ſunt veræ per aliquid ab ipſis diſtinctum: nulla enim eſt propoſitio, quæ per ſe ipſam ſit vera; ſicuti nulla eſt propoſitio, quæ nihil aliud niſi ſe ipſam enunciet. Hinc illud, quod facit veram propoſitionem, quæ eſt vera, dicitur veritas obiectiua: adeoque homo, qui verè exiſtit, dicitur veritas obiectiua propoſitionis affirmantis hominem exiſtere. Hæc ſunt apud omnes certa: dubium eſt, an veritas obiectiua, quæ verificat hanc propoſitionem: *homo eſt*

eſt animal rationale . ſit diſtincta à veritate iſtius propoſitionis *homo eſt* : quód ſi eſt diſtincta , quod ſatis conſtat,quia vna eſt ſemper vera,alia non ſemper vera , quid eſt , quòd facit ſemper veram iſtam propoſitionem, *homo eſt animal rationale*? an homo? at iſte non ſemper eſt , nec ſemper fuit An connexio neceſſaria hominis cum animali rationali? at iſta connexio præter hominem , qui non ſemper eſt , quid eſt? An aliquid ab homine diſtinctum? Sed quid eſt ab homine diſtinctum , propter quod fuit ſemper verum hominem eſſe animal rationale.

3. Ad hunc nodum implicatiſſimum explicandum varij varia , iuxta varias de poſſibilitate opiniones . Conueniunt Scotiſtæ cum Thomiſtis in aliquo ſtatu medio inter eſſe reale , ſiué phyſicum , & intentionale , ſiué logicum ; quod Scotiſtæ vocant eſſe diminutum, Thomiſtæ verò eſſe eſſentiæ, & omnibus rebus promiſcué tribuunt æternum, ac neceſſarium ad faciendas veras propoſitiones æternæ veritatis.

4. Falſitas huius ſententiæ ſatis ex ſe conſtat , videtur enim indigna Poetis omnia licet ex permiſſo audentibus ,nedum Philoſophis, quibus non eſt poteſtas , quidlibet audendi : quid enim eſt magis commentitium,quàm opinari ſtatum medium inter eſſe , & non eſſe? inter rem habentem prædicata intrinſeca, & non habentem prædicata intrinſeca? inter rem exiſtentem phyſicé , & exiſtentem logicé? quód enim verificat hanc propoſitionem , *homo eſt rationalis*, quando eam verificat , vel habet prædicata intrinſeca , vel non habet : ſi habet ; eſt phyſicé , ſicuti modo eſt phyſicè mundus : ſi non habet , eſt logicè , ſicuti eſt logicè Antichriſtus cognitus: hanc ſententiam cenſerem , vt cumque ferendam , ſi cum fide non pugnaret : quia tamen arbitror

bitror repugnantem fidei, cenſeo intolerabilem; vt hoc argumento demonſtro: id quod verificat hanc propoſitionem *homo eſt animal rationale*, vel eſt aliquid á Deo productum, vel non: ſi negas productum: ergo aliquid exiſtit non productum à Deo, quod pugnat cum fide, & ratione: ſi concedis productum: ergo Deus aliquid produxit ab æterno & neceſſario. vtrumque eſt impium, & contra fidem; ſecundum euidenter falſum, quia Deus ſi habet neceſſitatem alicuius á ſe diſtincti, non eſt Deus, nimirum ens infinité perfectum, vt argumentatur acutiſſimé Auguſt. in qu. 22. his verbis: *vbi nulla indigentia, nulla eſt neceſſitas: vbi nullus defectus, nulla eſt indigentia: ergo vbi nullus defectus, ibi nulla eſt neceſſitas: nullus autem in Deo defectus: ergo nulla neceſsitas.*

5. Plurimi recentiores, qui volunt euadere hũc ſcopulum, offendunt in alium; aiunt enim, nihil fuiſſe ab æterno phyſice, per quod eſſet vera propoſitio æternæ veritatis; ſatis enim eſt, vt ipſi philoſophantur, illud eſſe conditionatum, quod cognoſcit, qui affirmat hominem eſſe animal rationale; quia nimirum homo ſi eſſet in rerum natura, verè eſſet animal rationale.

6. Huiuſmodi ſententiam, quám fateor probabiliorem prima, eſt aperte falſa; quia non ſoluit difficultatem propoſitam: non enim explicat illud eſſe abſolutum, in quo fundatur in re præſenti eſſe conditionatum, vt paucis oſtendo. Idem eſt formaliſſimé dicere; *Homo ſi eſſet, neceſſario eſſet animal rationale*: ac dicere *neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale*: ſed hoc dicere, eſt affirmare aliquod eſſe abſolutum actu exiſtens diſtinctum ab homine, quia affirmatur neceſſitas non repugnan-

tiæ; quam habet homo vt ſit animal rationale: ergo eſſe conditionatum, quod affirmatur per hanc propoſitionem *homo eſt animal rationale*.

7. Secundo omnis propoſitio conditionata in materia neceſſaria reſoluitur in propoſitionem abſolutam, & modalem de modo neceſſario: ergo eſſe cōditionatum, quod affirmatur per propoſitionem conditionalem in materia neceſſaria, ſupponit aliquod eſſe abſolutum actu exiſtens. Antecedens patet inductione: hæc propoſitio conditionalis in materia neceſſaria, *equus ſi eſset, foret animal hinnibile* reſoluitur in hanc modalem. *Neceſse eſt equum eſse animal hinnibile*.

8. Tertió: exiſtit in rerum natura aliqua neceſſitas, né verificentur contradictoria: iſta neceſſitas ſine dubio eſt diſtincta ab homine, quia etiamſi homo non ſit, datur neceſſitas, vt homo ſi eſt, non ſit homo ſimul, & non homo: ergo eſſe conditionatum propoſitionis hypotheticæ in materia neceſſaria ſupponit eſſe abſolutum.

9. Conſtat igitur, eſſe in mundo aliquam neceſſitatem, eamque ſemper fuiſſe, cur homo ſit animal rationale, & equus animal hinnibile: quid ſit iſta neceſsitas, quæ verificat omnem propoſitionem æternæ veritatis, nondum conſtat ex ijs, quæ huc vſque diximus. Noſtra igitur ſententia eſt, huiuſmodi neceſsitatem eſſe diſtinctam ab homine, cæteriſque rebus creatis, & eſſe realiter indiſtinctam á Deo.

10. Hanc ſententiam docet in terminis S. Thomas, qui in prima parte quæſ. 16. art. 5. ait, nullam veritatem creatam eſſe æternam, vnde infert omnia, de quibus formantur propoſitiones æternæ veritatis, habuiſſe ab æterno veritatem ſolum in diuino intellectu, & quia veritas intellectus diuini

non

non eſt niſi Deus,qui eſt intellectus habens vniuerſaliſsimum intelligendi modum, ideó ab æterno non fuit alia veritas præter diuinam, in quam debet reſolui omnis propoſitio æternæ veritatis. Ratio eſt ſatis manifeſta, quia neceſsitas,cur homo ſit animal rationale, eſt actualis poſsibilitas hominis; ſed actualis poſsibilitas hominis eſt diſtincta realiter ab homine, & indiſtincta realiter á Deo: ergo &c.Addo,nihil eſſe æternum,& neceſſarium á Deo diſtinctum: ſed huiuſmodi neceſsitas eſſe neceſſaria, & æterna: ergo non eſt á Deo diſtincta. Præterea ratio, cur homo ſit animal ratione, eſt realiter indiſtincta á Deo: ſed huiuſmodi ratio eſt neceſsitas, cur homo ſit animal rationale: ergo &c. Maior probatur: ratio, cur homo ſit animal rationale, eſt ratio cur idem non poſsit ſimul eſſe, & non eſſe, ſiné neceſsitas ne duo contradictoria ſint ſimul vera;homo enim ſi poſset non eſse animal rationale, eſset homo ſimul,& non homo: ſed ratio, cur idem non poſsit eſse ſimul, & non eſſe, non poteſt eſse niſi Deus; túm quia huiuſmodi ratio eſt impoſſibitas chimæræ, túm quia huiuſmodi ratio eſt ratio, cur Deus ſit, quia ſi poſſet idem eſſe, & non eſſe, nulla eſſet ratio, cur Deus ſit; quia in tantùm demonſtratur Deum eſſe, in quantùm cogitur, qui negat Deum eſſe, concedere duo contradictoria,adeoque contradicere huic veritati notæ lumine naturæ: *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*, vt patet ex omnibus argumentis, quibus demonſtratur Deum eſse. Quod ſi ratio, cur idem non poteſt ſimul eſse & non eſse, eſt ratio, cur Deus ſit, manifeſtum eſt,eam non diſtingui á Deo, quia ratio propter quam Deus eſt, nihil eſt aliud, quám ipſe Deus: alioquin Deus non eſset ens á ſe: ergo &c. Hinc eſt, quód iſta neceſſitas, qua neceſ-

ſe eſt quodlibet eſſe vel non eſſe, & in quá fundatur quodlibet verum æternum, ac neceſſarium, infert neceſſitate conſequentiæ ens increatum determinaté exiſtere vel non exiſtere: ergo &c.

11. Deindé nullum eſt certiùs argumentum veritatis, quám mirabilis conſonantia cum rebus omnibus, quæ eſt maxima in hac ſententia, quã defendimus, vt paucis oſtendo. Primó iuxta hanc ſententiam optimè explicatur illud veriſſimum principium *omnia in natura reducuntur ad vnum*, quo vtitur Ariſtoteles in fine ſuæ metaphyſicæ ad demonſtrandum exiſtere verum Deum, tanquam primum principium omnium rerum, & S. Thomas vtitur ad probandum Deum eſse in mundo, ſicuti centrum in circulo, vbi reperiuntur vnitæ omnes perfectiones multiplicatæ in creaturis. Omne verum reducitur ad vnum verum, quod eſt primum & infinitum bonum. Ratio á priori eſt, quia omne verum vel eſt contigens, vel neceſsarium; ſed verum contingens reducitur ad primum verum, tanquam ad cauſam efficientem cuiuſcumque veri: omne verum neceſsarium reducitur ad primum verum, tanquam ad cauſam formalem, quia in noſtris principijs, ideo verum eſt hominem eſſe animal rationale, quia datur neceſsitas, vt homo ſit animal rationale, quæ neceſsitas eſt primum verum, hoc eſt Deus; verum eſt alium mundum eſse poſsibilem, quia datur poſsibilitas alterius mundi, quæ eſt Deus: id totum eſt falſum, ſi veritates obiectiuæ æternæ & neceſsariæ ſunt realiter diſtinctæ á Deo.

12. Secundó: iuxta hanc ſententiam optimè explicatur Deum eſſe primam veritatem nullius veritatis á ſe diſtinctæ indigentem, eo modo, quo eſt primum ens nullius rei habens indigentiam;

Deus

Deus enim ſicuti poteſt facere, vt nihil ſit in rerum natura á ſe diſtinctum, omnia quæ ſunt in mundo in nihilum redigendo, ita poteſt facere, vt nulla ſit veritas á ſe diſtincta, quia poteſt facere, vt nulla alia ſit veritas niſi illa, per quam ſunt veræ propoſitiones æternæ veritatis: ſed huiuſmodi veritas eſt á Deo indiſtincta: ergo &c. In ſententia oppoſita non poteſt ſuſtineri, quomodo Deus in ratione ſummi veri non indigeat aliquo vero á ſe diſtincto, quia indiget hoc vero, per quod eſt verum hominem eſſe animal rationale. Prætereà Deus habet neceſſitatem faciendi hominem animal rationale, equum animal hinnibile, & alia id genus; quæro nunc, an iſta neceſſitas ſit á Deo diſtincta, vel non: ſi concedis diſtinctam: ergo concedis aliquam neceſſitatem in Deo diſtinctam á Deo. Si negas diſtinctam: ergo neceſſitas, qua neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale, eſt ipſe Deus.

13. Tertió: ſicuti duplex datur entis genus; vnum neceſſarium, aliud contingens; ita duplex eſt verum: neceſſarium, & contingens, quia verum & ens reciprocantur: hinc omnes propoſitiones neceſsarió veræ ſunt veræ per veritatem neceſsariam, quæ eſt Deus; & propoſitiones contingentes ſunt veræ per veritatem contingentem, quæ eſt ens creatum: omitto in præſenti propoſitiones veras de actibus liberis Dei á quibus præſcindimus; Deus igitur, qui eſt prima ratio cuiuſcumque rationis, duplicem impreſſit in natura rationali veritatem, nimirum idem non poſse ſimul eſse & non eſse, & peccandum non eſse, quæ duæ veritates non poſsunt vlterius probari, & ſunt omnibus notiſſimæ. Vtraque veritas eſt quoddam lumen profectum á diuino vultu, vna enim eſt principium totius honeſtatis, quæ ſunt duæ perfectiones propriæ

 natu-

naturæ rationalis factæ ad imaginem Dei: prima veritas repræſentat Deum, tanquam primam & ſummam veritatem: ſecunda repræſentat eumdem tanquam primam & ſupremam bonitatem.

14. Hinc habes, quomodo prædicata neceſsaria ſint æterna & neceſsaria, non phyſicé ſed logicé, vt docui in tom.1. diſp.3. quia nimirùm mortuo Petro viuit immortalis quædam neceſsitas, vt Petrus ſit animal rationale, quæ neceſsitas eſt Deus, & affirmâtur in obliquo ab intellectu affirmâte Petrum eſse animal rationale, ſicuti affirmatur in obliquo cognitio ab intellectu affirmante Antichriſtum eſse cognitum.

15. Plurima ſunt, quæ poſsunt opponi huic doctrinæ partim ſoluta, partim ſoluenda: primò non repugnat aliquam propoſitionem eſse nunc veram per aliquid, quod nunc non eſt, vt conſtat in hac propoſitione *Antichriſtus erit* vel *Antichriſtus fuit*: ergo propoſitio æternæ veritatis poteſt eſse nunc vera per aliquid, quod non eſt nunc.

16. Secundò: iſta propoſitio *ſi peterem ab amico librum daret*, eſt vera nunc per donationem libri conditionaté futuram: ergo iſta propoſitio *homo eſt animal rationale*, quæ æquiualet huic, *ſi eſset homo, eſset animal rationale*, eſt vera nunc per exiſtentiam hominis conditionate futuram. Conſequentia eſt euidens, quia vtraque eſt hypothetica, adeoque eſt par ratio.

17. Tertiò: hæc propoſitio *homo eſt animal rationale* præſcindit ab omni tempore, quia verbum ſumitur in vi copulæ, & non in vi verbi vt dictum eſt, num.2. ergo non eſt propoſitio in præſenti, & de præſenti: ergo &c.

18. Quartò: neceſſitas, quam affirmat hæc propoſitio eſt indiſtincta ab ipſo homine: ergo eſt

vera

vera per ipſum hominem, qui potius eſset homo, quàm non homo, ſi veré eſset. Antecedens probatur, quia huiuſmodi neceſſitas eſt neceſſitas ex ſuppoſitione, quæ non opponitur contingentiæ, quia paries eò quòd ſit albus, neceſsarió eſt albus, vt dicit Philoſophus.

19. Quintó: obiectum propoſitionis verificat propoſitionem: ſed *homo* eſt obiectum huius propoſitionis, *homo eſt animal rationale*: ergo *homo* verificat hanc propoſitionem. Maior eſt euidens, quia obiectum propoſitionis eſt veritas obiectiuá.

20. Sextó: qui ait hominem eſse animal rationale, cognoſcit ſe dicere verum: ſed non cognoſcit aliquid ab homine diſtinctum: ergo non dicit verum per aliquid ab homine diſtinctum: ergo &c. Confirmatur, quiá eſt notum ex terminis, totum eſse maius ſua parte, non eſt notum ex terminis Deum eſse: ergo Deus non verificat propoſitionem affirmantem totum eſse maius parte.

21. Septimò: non omnis ſcientia habet pro obiecto Deum: ſed omnis ſcientia habet pro obiecto aliquam propoſitionem æternæ veritatis: ergo omnis propoſitio æternæ veritatis non habet pro obiecto Deum.

22. Octauo: illud, quod verificat hominem eſse animal rationale, eſt eſsentiale homini: ergo eſt intrinſecum homini. Antecedens probatur, tùm quia homo eſt eſsentialiter animal rationale, tùm quia non poteſt aliunde cognoſci, an homo ſit animal rationale, quàm ex ipſa eſsentia hominis, quam explicat eius definitio.

23. Vltimò: propoſitio, quæ affirmat hominem eſse animal rationale, quando homo eſt, non eſt vera per aliquid diſtinctum ab homine: ergo neque, quando homo non eſt. Conſequentia pro-

futurum; ſed omnia præſentia: ſpropoſitiones in materia contingenti ſunt de pręſenti pręſentia temporis, quia ſignificant verum contingens, cuius menſura eſt tempus: propoſitiones autem in materia neceſſaria ſunt de præſenti præſentia æternitatis, quia ſignificant verum neceſſarium, hoc eſt Deum, cuius menſura eſt æternitas. Hinc iſta propoſitio *homo eſt animal rationale*, in qua verbum ſumitur in vi copulæ, non in vi verbi, præſcindit á præſentia temporis, non veró à præſentia æternitatis.

27. Ad quartum: nego antec: Quód eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, non eſt ſimpliciter neceſſarium, ideó curſus Petri, qui eſt neceſſarius ex ſuppoſitione Petri currentis, non eſt ſimpliciter neceſſarius: nihilominus forma, quæ denominat curſum Petri ex ſuppoſitione neceſſarium, eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria: ratio eſt, quia neceſſitas currendi, quam habet Petrus, poſito quód currat, eſt repugnantia componendi curſum cum non curſu; quæ repugnantia eſt formaliſsimé illa neceſsitas, quæ datur ne idem ſimul ſit & non ſit. Hæc neceſſitas eſt ſimpliciter neceſſaria, quia neceſſe eſt hanc neceſsitatem eſſe: huiuſmodi neceſsitas excludit contingentiam á ſe ipſa, non excludit à curſu Petri, quem denominat logicé neceſſarium ex ſuppoſitione, quód exiſtat: adeoque argumentum retorquetur.

28. Ad quintum: diſt: ma: obiectum verificatiuum verificat propoſitionem: conc: ma: terminatiuum: nego ma: & diſt: min: *homo* eſt obiectum verificatiuum: nego min: terminatiuum: concedo min: & nego conſeq: Obiectum verificatiuum eſt neceſsitas, quam habet homo vt ſit animal rationale, eaque affirmatur in obliquo, dum affirmatur hominem eſſe animal rationale, obiectum termina-

tiuum

tiuum eſt homo, qui affirmatur in recto, ſicuti cognitio. quæ affirmatur in obliquo dum affirmatur Antichriſtus cognitus, verificat propoſitionem, quám non verificat Antichriſtus, qui eſt obiectum terminatiuum, & affirmatur in recto.

29. Ad ſextum: diſt: antec: non cognoſcit exercitè aliquid diſtinctum ab homine: nego antec: non cognoſcit ſignate:concedo antec: & nego conſeq: qui cognoſcit ſe dicere verum, dum ait hominem eſſe animal rationale, cognoſcit exercitè neceſsitatem, vt homo ſit animal rationale, quæ neceſsitas eſt Deus, adeoque cognoſcit aliquid ab homine diſtinctum: eſt igitur per ſe notum Deum eſſe ſub aliquo conceptu realiter conuertibili cum Deo, licet non ſit per ſe notum ſub conceptu expreſso Dei.

30. Ad ſeptimum: diſt:ma: non omnis ſcientia habet pro obiecto terminatiuo Deum: conc: mái: pro obiecto verificatiuo: nego ma: vel iterum diſtinguo:ſub conceptu ſignato Dei:concedo ma:ſub conceptu exercito Dei: nego ma: Omnis ſcientia habet pro obiecto terminatiuo neceſſariam connexionem prædicati cum ſubiecto in propria materia, quæ connexio non eſt Deus, ſed habet pro obiecto verificatiuo neceſsitatem huius connexionis, quæ ſine dubio eſt Deus: quod non debet eſſe mirum, quia non datur aliud ens neceſſarium præter Deum: hinc eſt, quód omnis ſcientia conducit ad cognitionem Dei.

31. Ad octauum: nego antec: quia animal rationale eſt quidem intrinſecum homini, ſed neceſſitas, vt homo ſit animal rationale, non eſt intrinſeca homini, neque ipſius eſſentia: huiuſmodi neceſsitas verificat hominem eſſe animal rationale. Illud igitur, per quod eſt verum hominem eſſe animal

mal rationale, non eſt eſſentia hominis, adeoque non eſt eſſentiale homini. Erit ne igitur accidentale? dico eſſe accidentale logicè, non phyſicè: quia nimirùm non conſtituit intrinſecè hominem. Intellectus ergo, qui definit hominem eſſe animal rationale, cognoſcit illa prædicata potentialia, quæ homo haberet, ſi eſſet; & in obliquo cognoſcit illam neceſsitatem, qua neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale.

32. Ad vltimum: hominem eſſe animal rationale eſt dupliciter verum, quando homo eſt; eſt enim verum in vi verbi, & in vi copulę per neceſsitatem diſtinctam ab homine. Ratio à priori eſt, quia iſta propoſitio *homo eſt animal rationale*, ſi verbum habet vim verbi, eſt in materia contingenti; facit enim hunc ſenſum *homo eſt, & eſt animal rationale*, quæ ſine dubio eſt contingenter vera, quia homine exiſtente eſt vera, non exiſtente falſa. Quód ſi verbum habet vim copulæ, eſt ſemper vera, & eſt in materia neceſſaria; verificatur enim per neceſsitatem ſemper exiſtentem.

QVAESTIO II.

Vtrum omnis propoſitio æternæ veritatis verificetur per aliquid à Deo realiter indiſtinctum.

1. VIdetur non verificari primó, quia illud idém quod verificat hanc propoſitionem *homo eſt animal rationale*, non verificat iſtam *equus eſt animal hinnibile*; ergo omnes propoſitiones æternæ veritatis non verificantur per aliquod præ-

dica-

dicatum realiter indiſtinctum á Deo. Antec:probi quia iſtæ propoſitiones ſunt diuerſæ, adeoque habent diuerſum verificatiuum.

2. Secundó:iſtæ propoſitiones æquiualent iſtis: *homo ſi eſſet,eſſet animal rationale :equus ſi eſſet,eſſet animal hinnibile* : ſed huiuſmodi propoſitiones non habent idem verificatiuum : ergo neque illæ. Min: prob: quia iſtæ duæ propoſitiones ; *Si peterem ab amico librum , daret* : *ſi Petrus vocabitur à Deo conuertetur*, non habent idem verificatiuum: ergo neque habent idem verificatiuum hæ propoſitiones, *homo ſi eſſet , eſſet animal rationale* : *equus ſi eſſet, eſſet animal hinnibile*, eſt enim eadem de omnibus ratio.

3. Tertió : illa neceſsitas, quæ verificat vnam propoſitionem, non eſt illa eadem neceſsitas, quæ verificat aliam propoſitionem : ergo illud idem, quód verificat vnam propoſitionem, non verificat aliam. Antec:prob: quia ille qui cognoſcit vnam propoſitionem eſſe veram,non cognoſcit eſſe veras cæteras propoſitiones, quæ ſunt æternæ veritatis, & ſibi non apparent æternæ veritatis, aliter quicumque intellectus cognoſceret omnes propoſitiones æternæ veritatis,illa ergo neceſsitas,quæ vnam verificat, non verificat omnes.

4. Vltimó : tot ſunt neceſsitates, quæ verificant propoſitiones æternæ veritatis : quot ſunt obiecta, quæ per illas affirmantur : ſed obiecta, quæ affirmantur per huiuſmodi propoſitiones, ſunt diuerſa & infinita: ergo etiam diuerſæ & infinitæ ſunt neceſsitates, quæ verificant iſtas propoſitiones.

5. Reſpondetur: Vel nulla propoſitio æternæ veritatis verificatur per aliquid indiſtinctum á Deo; vel omnis propoſitio verificatur per aliquid à Deo indiſtinctū:ſed aliqua propoſitio verificatur per aliquid

quid indiſtinctum á Deo, vt patet ex qu. 1. ergo omnis propoſitio æternæ veritatis eſt vera per aliquid indiſtinctum á Deo: Ma:prob: quia vel Deus eſt neceſsitas, vt omnis propoſitio æternæ veritatis ſit vera, vel Deus non eſt neceſsitas, vt nulla propoſitio æternæ veritatis ſit vera: ſi ergo Deus eſt neceſsitas, vt aliqua ſit vera, idem Deus erit neceſsitas, vt omnis ſit vera: non minus enim repugnat, vt detur neceſsitas diſtincta à Deo, propter quam verum dicat, qui dicit hominem eſſe ánimal rationale, quàm repugnat dari neceſsitatem á Deo indiſtinctam, vt equus ſit animal hinnibile. Ratio à priori eſt, quia nihil exiſtit neceſſarium á Deo indiſtinctum, quidquid enim eſt á Deo diſtinctum eſt cõtingens & defectibile. Addo quód omnis propoſitio æternæ veritatis ideó eſt vera, quia idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: ergo illud idem, quod verificat vnam propoſitionem æternæ veritatis, verificat omnes. Conſeq: prob: quia illud idem verificat omnes propoſitiones æternæ veritatis, quod verificat iſtam: *idem non poteſt ſimul eſse & non eſſe*: ſed vna eſt res, quæ verificat hanc propoſitionem: ergo vna & eadem res verificat omnem propoſitionem æternæ veritatis. Opus eſt igitur ad ſoluenda partis contrariæ argumenta in hac re diſtinguere rem denominatam á forma denominante in omnibus denominationibus æternæ veritatis: res denominata in vna denominatione eſt procul dubio diuerſa á re denominata in alia propoſitione; tot enim ſunt res denominatæ diuerſæ, quot ſunt obiecta de quibus formantur huiuſmodi propoſitiones: ſed obiecta ſunt infinita: ergo etiam res denominatæ ſunt infinitæ. E contrarió forma denominans non eſt diuerſa in ſenſu reali, de quo in præſenti eſt ſermo, quidquid ſit de diuerſitate in

in ſenſu formali, quæ in præſenti non attenditur; Ratio eſt, quia vna & eadem forma res diuerſas poteſt denominare, vt conſtat inductione in pluribus formis, quæ ſunt omnibus notiſſimæ: poteſt igitur vna & eadem forma denominare res diuerſas in ijs denominationibus, quæ ſpectant ad propoſitiones æternæ veritatis. Præterea non ſolùm poteſt, ſed etiam debet vna & eadem forma diuerſas res denominare; quia denominationes æternæ veritatis non poſſunt prouenire niſi à forma denominante æterna & neceſſaria, quæ ſine dubio eſt tantùm vna, ergo forma, quæ denominat vnam rem, debet eſſe eadem in ſenſu reali, ac forma, quæ denominat aliam. Exemplum habes in hac re ſatis vſitatum de omnipotentia diuina, quæ cum ſit vna & eadem, denominat infinitas creaturas poſſibiles, licet enim Angelus, qui denominatur poſſibilis, ſit diuerſus ab homine, qui denominatur poſſibilis: forma tamen denominans vtrumque poſsibilem eſt vna tantum.

6. Confirmatur, quia philoſophandum eſt de neceſsitate, qua neceſſe eſt, vt ſit vera hæc duplex propoſitio æternæ veritatis, *homo eſt animal rationale: equus eſt animal hinnibile*, ac philoſophamur de illa neceſsitate, vt ſit inhoneſtum mendacium, & ſacrilegium ſiue parricidium: ſed illa eadem neceſsitate, quà neceſſe eſt mendacium eſſe inhoneſtum, neceſſe eſt etiam eſſe inhoneſtum ſacrilegium vel parricidium; eadem enim regula, quę prohibet mendacium & dictat non eſſe mentiendum, prohibet ſacrilegium & dictat ſacrilegium non eſſe committendum: ergo illa eadem neceſsitas, qua neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale, eſt neceſsitas, qua neceſſe eſt, equum eſſe animal hinnibile: ſed illa neceſsitas, qua neceſſe eſt malè operari quicum-

que

que mentitur & eſt ſacrilegus, eſt neceſsitas realiter indiſtincta ab ipſo Deo, nimirum à prima regula, quæ præſcribit, quid ſit honeſtum, quid inhoneſtum: ergo illa neceſsitas, qua neceſſe eſt hominem eſse animal rationale, & equum eſse animal hinnibile eſt aliquod prædicatum realiter Indiſtinctum à Deo. Quod hucuſque dictum fuit, de hac duplici propoſitione æternæ veritatis conſequenter eſt dicendum de omnibus, quia eadem eſt omnium ratio: adeoque nulla eſt propoſitio æternę veritatis, quæ non verificetur per aliquam neceſsitatem à Deo realiter indiſtinctam.

7. Ad primum: nego antec: ad eius probationem dico obiectum verificatiuum eſse diuerſum ab obiecto terminatiuo in iſtis propoſitionibus, ſicuti eſt diuerſum in omnibus propoſitionibus, quæ affirmant aliquod concretum logicum de ſubiecto: poteſt enim contingere, vt vna & eadem forma, quæ verificat aliquam propoſitionem, denominet logicé res diuerſas: vt patet in cognitione, quæ cum ſit vna & eadem, poteſt denominare me & te cognitum: adeoque poteſt verificare duas propoſitiones diuerſas, quarum vna affirmat me eſſe cognitum, alia affirmat te eſſe cognitum; cur ergo non poterit eadem forma denominare hominem habentem neceſsitatem, vt ſit animal rationale, & ſimul denominare equum habentem neceſsitatem, vt ſit animal hinnibile? licet denominatio animalis rationalis, quæ tribuitur homini ſit diuerſa à denominatione animalis hinnibilis, quæ tribuitur equo.

8. Ad ſecundum: concedo ma: & nego mi: Ad eius probationem: concedo antec: & nego conſeq: Ratio diſparitatis inter propoſitiones cõditionatas in materia contingenti, quæ non habent idem veri-

tifi-

rificatiuum, & propoſitiones conditionatas in materia neceſſaria, quæ habent idem verificatiuum, eſt ſatis manifeſta: quia vna propoſitio in materia contingenti poteſt eſſe vera, & alia falſa; at numquam propoſitio in materia neceſſaria poteſt eſſe falſa, adeoque id, quod verificat vnam, poteſt in ſenſu reali verificare omnes.

9. Ad tertium: nego antec: quia neceſsitas non poteſt eſse niſi vna, ſicuti non eſt niſi vnum ens neceſsarium, quod exiſtit. Ad probationem antecedentis dico, non cognoſci á quocumque intellectu omnes propoſitiones æternæ veritatis, quia non omnis intellectus comprehenhit illam neceſsitatem, quæ verificat omnem prppoſitionem æternę veritatis; ratio huius eſt, quia inter neceſsitatem, quæ verificat vnam propoſitionem,& neceſsitatem, quæ verificat aliã, datur formalis diſtinctio:ſed formalis diſtinctio ſatis eſt, vt nõ cognoſcatur neceſsitas,quæ verificat omnes,adeoque non cognoſcatur omnium veritas, ſicuti diſtinctio formalis inter vnam formalitatem diuinam, & aliam, ſatis eſt, vt vna cognoſcatur, & alia non cognoſcatur, vt eſt apud omnes certum.

10. Ad vltimum:diſt:ma:tot ſunt phyſicę neceſſitates, quæ verificant propoſitiones æternæ veritatis, quot ſunt obiécta: nego ma: tot ſunt logicé & denominatiuè: concedo ma: & conceſſa min: diſt: eodem modo conſequens: forma, quæ denominat vnam rem in denominationibus æternæ veritatis, eſt phyſicé vna, & eadem quæ denominat omnes, vt dictum eſt, licet denominatiué ſint plures, quia in vna & eadem forma poſſunt conſiderari infinitæ formalitates logicè diuerſæ, vt omnibus conſtat.

QVÆ-

QVAESTIO III.

Vtrum neceſſitas, qua neceſſe eſt eſſe veram omnem propoſitionem æternæ veritatis exiſtat phyſicè.

1. EX quæſtionibus præteritis eſt ſatis certum eſſe aliquam neceſſitatem, vt propoſitio æternæ veritatis ſit vera, qua in re conuenit inter nos & Aduerſarios. Dubium, quod naſcitur, eſt, vtrum hæc neceſſitas phyſicè exiſtat; qui enim nobis aduerſantur, vt omnia noſtra argumenta eludant, inuenere diſtinctionem inter id, quód exiſtit phyſicè, & id quòd exiſtit logicé, qua diſtinctione poſita, aiunt, neceſſitatem qua neceſſe eſt, veram eſse omnem propoſitionem æternę veritatis, nunc eſse & ſemper fuiſse logicè non phyſicè. Quód ſi rogantur, quodnam ſit hoc eſse, quod vocant eſse logicum contradiſtinctum ab eſse phyſico, aiunt illud eſse logicè, ſiue in ſtatu logico, quod eſt in eſse veri, & non in eſse rei: illud è contrarió eſse phyſicé, ſiue in ſtatu phyſico, quod eſt in eſse rei: eſse autem in eſse veri, & eſse in eſse rei non ſunt vlteriùs explicanda, vt inquiunt iſti philoſophi, ſunt enim omnibus ex ipſa notione terminorũ optimè perſpecta. Hinc opinantur, non eſse conſequens, vt exiſtat in eſse rei, quod exiſtit in eſse veri, quia licet nihil poſsit exiſtere in eſse rei, quòd ſimul non exiſtat in eſse veri, ſunt tamen multa, quæ exiſtunt in eſse veri, quæ non exiſtunt in eſse rei; ita chimæra, quæ non poteſt exiſtere in eſse rei, exiſtit in eſse veri, quia verificat hanc propoſitionem, qua nunc dico chimæram eſſe impoſſi-

bilem. Præterea peccatum Antichriſti, quod modo non eſt in eſſe rei, modo eſt in eſſe veri; eſt enim nunc verum peccatum Antichriſti aliquando exſtiturum.

2. Hæc docent huiuſmodi Philoſophi de illa neceſſitate, qua neceſſe eſt omnem propoſitionem æternæ veritatis eſſe veram. Antequam iudicium feram de hac ſententia opus habeo aliqua breuiſſimè attingere circa hanc diſtinctionem inter rem exiſtentem phyſicé, & rem exiſtentem logicè; an nimirum hęc diſtinctio habeat aliquod fundamentum in ipſa natura entis abſtractiſſimè accepti: hinc enim pendet huius controuerſiæ deciſio de illa re, quæ verificat omnem propoſitionem æternæ veritatis.

3 Vt autem rem totám á ſuis principijs repetam, debeo paucis oſtendere errorem, in quo, vt arbitror, verſantur, qui dicunt hanc neceſſitatem, qua neceſſe eſt, vt homo ſit animal rationale, non eſſe phyſicé in rerum natura, eo modo, quo eſt phyſicè, quidquid exiſtit, & habet omnia prædicata transſcendentalia. Eſſe abſtractiſſimé acceptum prout præſcindit á transſcendentali, & ſupertransſcendentali, nihil eſt aliud, quam ſuſtinere aliquam denominationem, ſiuè eſſe ſubiectum alicuius denominationis; quidquid enim denominatur, & ſuſtinet aliquam denominationem, aliquo modo exiſtit, cum denominari & eſse, denominatio, & entitas ſint termini apud philoſophos conuertibiles. Hinc omnis diuiſio exiſtentiæ, & modi exiſtendi debet deſumi ex diuerſis denominationibus, quas poteſt vnaquæque res ſuſtinere. Huiuſmodi denominationes; aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ extrinſecæ, nulla enim, eſt denominatio, quæ non ſit intrinſeca, vel extrinſeca rei denominatæ. Denominatio in-

intrinſeca denominat phyſicé, & intrinſecé; denominatio veró extrinſeca denominat logicè, & extrinſecé; hoc enim eſt diſcrimen inter denominationem intrinſecam, & extrinſecam, quòd per illam res denominata denominatur intrinſecè; per iſtam res denominata denominatur extrinſecé, adeoque denominatio intrinſeca appellatur phyſica, denominatio extrinſeca appellatur logica, illa enim ponit aliquid intrinſecum rei quam denominat, iſta nihil. Quia veró eſt idem eſse, & ſuſtinere aliquam denominationem, ſiué eſse ſubiectum alicuius denominationis, ideò denominari intrinſecé ſiué ſuſtinere denominationem intrinſecam, eſt eſse phyſicè, ſiué habere exiſtentiam in ſtatu phyſico: ſuſtinere autem denominationem tantum extrinſecam, ſiué denominari tantum extrinſecè eſt exiſtere logicè, ſiuè in ſtatu quodam logico, qui eſt talis ſtatus, vt non inferát exiſtentiam phyſicam. Ratio á priori eſt, quia ad ſuſtinendam denominationem phyſicam & intrinſecam neceſse eſt phyſicé eſse, adeoque eſse aliquid à nihilo diſtinctum: ad ſuſtinendam autem denominationem logicam & extrinſecam non eſt neceſse phyſice exiſtere, ſiue eſse aliquid á nihilo diſtinctum; quot enim ſunt, quæ nihil ſunt, & tamen denominantur extrinſecé cognita?

4. Hinc habes, non eſſe locum medium inter denominationem intrinſecam, & denominationem phyſicè exiſtentem, adeoque nihil poſſe nunc ſuſtinere denominationem intrinſecam, quod nunc non exiſtit phyſicé: licet enim aliquid poſſit exiſtere logieé, quod non exiſtit phyſice, nihil tamen poteſt exiſtere tantum logicè, quod nunc denominatur intrinſecè, & phyſicé. Illa igitur diſtinctio, qua ſolent diſtinguere, dum ſermo eſt de aliqua

denominatione intrinſeca, huiuſmodi philoſophi, inter rem phyſicè exiſtentem, & rem logicè exiſtentem, eſt inepta diſtinctio, ſi rectè intelligatur, quid ſit eſſe logicum ſiué denominatio logica, quid eſſe phyſicum, ſiué denominatio phyſica: quia implicat in terminis, vt ſit capax huius diſtinctionis iſta propoſitio. *Alius mundus eſt intrinſecè poſſibilis: ſiuè homo habet intrinſecè neceſſitatem vt ſit animal rationale*, mundus enim, hoc ipſo, quod habet intrinſecè poſſibilitatem, non poteſt illam habere, vt inquiunt, logicé, ſiué in ſtatu logico; ſed debet illam habere phyſicè, ſiué in ſtatu phyſico: homo eo ipſo, quod habet intrinſecam neceſſitatem, vt ſit animal rationale, non poteſt eam habere logicè, ſiuè in ſtatu logico, ſed debet eam habere phyſicé, ſiuè in ſtatu phyſico: quia eſſe phyſicè, & denominari intrinſecè, eſſe logicé, & denominari extrinſecè, ſunt termini conuertibiles, adeoque niſi velimus abuti vocibus inſtitutis ad aliquid ſignificandum, eiſque vti ad nihil ſignificandum; nec poſſumus, nec debemus diſtinguere inter ſtatum phyſicum, & ſtatum logicum in illa re, quæ modo ſuſtinet aliquam denominationem intrinſecam. An non ridendus, qui aſſerens parietem eſſe intrinſecé album, & rogatus, quomodo albus ſit reſponderet eſſe logicè non phyſicé album? Quaſi fieri poſſit vt paries intrinſecé albus ſit albus in ſtatu aliquo logico, qui nihil eſt aliud, quam ſtatus denominatiuus á forma denominante ſubiecto extrinſeca. Mutato nomine de te narratur fabula, qui ais hominem intrinſecé denominari habentem neceſſitatem, vt ſit animal rationale, & rogatus, quomodo habeat hanc neceſsitatem, ſtatim dicis eam habere logicé, non phyſicé, adeoque hunc hominem eſse in ſtatu logico, non eſſe in ſtatu phyſico.

5. Con-

5. Conſtat igitur ex hac doctrina diligenter attendenda, nullum alium eſſe poſſibilem ſtatum niſi intrinſecum rei denominatæ, qui vocatur phyſicus, vel extrinſecum eidem rei denominatæ, qui vocatur logicus; diuiſio enim denominationis in extrinſecam, & intrinſecam eſt diuiſio adæquata, adeoque nulla poteſt fingi denominatio media inter intrinſecam, & extrinſecam, ſicuti non poteſt fingi aliquod [animal medium] inter rationale, & irrationale, eo quod diuiſio animalis in rationale & irrationale eſt adæquata. Omnis denominatio, vt eſt ſatis certum, oritur ab aliqua forma denominante; repugnat enim denominatio ſine forma denominante: hinc denominatio intrinſeca prouenit à forma intrinſeca rei denominatæ, denominatio extrinſeca prouenit à forma extrinſeca rei denominatæ. Forma intrinſeca rei denominátæ alia eſt intrinſeca per identitatem, alia intrinſeca per vnionem phyſicam & realem: forma intrinſeca per identitatem non diſtinguitur realiter à re denominata, habet enim cum ipſa identitatem realem: forma intrinſeca per vnionem diſtinguitur realiter à re denominata, eſt enim forma phyſicé diſtincta, & phyſicé inhærens rei denominatæ. Denominatio igitur intrinſeca denominat rem per aliquam formam, vel indiſtinctam ab ipſa re, vel exiſtentem in eadem re; adeoque non eſt neceſse ad intelligendam hanc denominationem intelligere aliquid præter ipſam rem denominatam: indé eſt, quód etiamſi nihil intelligatur diſtinctum ab exiſtentia hominis nunc exiſtentis, optimé intelligitur tota denominatio hominis exiſtentis, qui proptereá denominatur exiſtens per denominationem ſibi intrinſecam. Hoc idem non contingit in qualibet denominatione logica ſiué extrinſeca rei

denominatæ, quia cum hæc denominatio oriatur ex forma extrinſeca rei, quæ denominatur, neceſſe eſt ad eam intelligendam intelligere aliquid non ſolum diſtinctum à re denominata, ſed etiam eidem extrinſecum; quo fit, vt res quę denominatur hoc genere denominationis, dicatur exiſtere logicè; quia eſt logicè quàtenus denominatur denominatione logica.

6. Huiuſmodi forma, quæ denominat extrinſecè; & logicè rem denominatam; non debet eſſe eo modo, quo denominat illam rem, quam extrinſecè denominat: quia rem quam denominat, itá denominat, vt eam denominet logicé, adeoque eſt cauſa cur eadem res exiſtat in ſtatu logico: contrà verò eadem forma debet phyſicé exiſtere, vel in ſe, ſi hæc forma eſt forma ſubſiſtens, vel in illo ſubiecto, cui inhæret; ſi eſt forma non ſubſiſtens; adeoque debet habere prædicata intrinſeca. Ratio á priori, quæ intellectis terminis non poteſt in dubium verti, eſt, quia omnis denominatio extrinſeca ſiué logica debet fundari in aliqua denominatione intrinſeca, ſiué phyſica: nulla igitur forma poteſt denominare extrinſecé, & logicé rem denominatam, ſi eadem forma non habeat intrinſecé aliquod prædicatum, quod denominet extrinſecé rem à ſé diſtinctam: ideó forma, quæ denominat extrinſecè rem denominatam, eſt phyſicè, licet res denominata, quatenus denominata, exiſtat logicè. Exemplum huius rei habes manifeſtum in omni cognitione, quæ facit, vt res quam denominat, ſit logicè, adeoque ſit in eſſe obiecti, ſiué habeat eſſe obiectiuum; ipſa tamen cognitio exiſtit phyſicè, & in eſſe rei eo modo quo exiſtit phyſicé quidquid eſt à nihilo diſtinctum. Vnde ſequitur eſſe omnino chimæricam illam formam, quæ ex

vna

vna parte denominat logicé ſiué extrinſecé, ádeoque facit, vt res quam denominat ſit logicé; ex alia veró parte huiuſmodi forma non éxiſtit phyſicé: quare nihil poteſt denominari exiſtens logice, niſi aliquid ſit quod exiſtat phyſicè.

7. Huc etiam ſpectat illa ſatis trita diſtinctio apud hos Authores inter rem in eſſe veri, & rem in eſſe rei: huiuſmodi diſtinctio originem habet ex falſa intelligentia ipſius veri, & ipſius rei, ſiue cæterarum formalitatum, quæ conueniunt enti abſtractiſſimé accepto, vt breui oſtendo ex doctrina huc vſque tradita. In primis eodem modo debemus diſcurrere de re in eſſe rei, ac de re in eſſe veri; eſſe enim verum, & eſſe in eſſe rei ſunt idem formaliſsimé, quod enim eſt verum in eſſe veri, eſt res vera in eſſe rei veræ; quia ratio veri appellat rationem rei, vt ex terminis patet. Deinde datur duplex verum in eſſe veri, ſicuti datur duplex denominatio in eſse denominationis: quemadmodum enim in eſse denominationis alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca, itá in eſse veri, aliud eſt verum, quod veré conuenit rei, de qua prædicatur per denominatiodem eidem intrinſecam; aliud eſt verũ in eſse véri, quod veré conuenit rei, de qua prædicatur per denominationem extrinſecam; vt patet in ea denominatione, quá denominatur homo verè cognitus, & in ea denominatione, qua idem homo denominatur veré exiſtens: illud verum, quo veré denominatur homo cognitus, conuenit veré homini per aliquam formam, ſiue veritatem eidem extrinſecam; illud è contrarió verum, quod prædicatur de homine exiſtente, eſt verum, quod eidem conuenit per formam ſiuè per veritatem intrinſecam eidem homini. Eodem modo quo datur verum in eſse veri per denominationem intrin-

ſecam, vel extrinſecam rei denominatæ, itá datur res in eſse rei per denominationem intrinſecã, ſiué extrinſecám rei denominatæ. Prætereá illa rés quæ denominatur logicè á forma extrinſeca, habet eſſe in eſse rei denominatiuè, ſicuti habet eſse in eſsé veri ab aliqua forma ſibi extrinſeca; itá habet eſse in eſse rei, quod eſt eſse purè extrinſecum & denominatiuum à forma extrinſeca. Ex quibus efficitur eodem modo philoſophandum eſse de hoc termino *res*, ac de hoc termino *verum*: ſicuti enim eſt verum per denominationem intrinſecam, vel extrinſecam rei denominatæ, itá eſt res per denominationem intrinſecam, ſiuè extrinſecam rei denominatæ: adeoque diſtinguere rem in eſse rei, & rem in eſse veri, quaſi vnum ſit ab alio ſeparabile, non eſt ſatis intelligere ſignificationem rei, & ſignificationem veri. Iuxta noſtram doctrinam de duplici ſtatu logico, & phyſico, optimè explicatur, quid ſit verum in eſse veri per denominationem logicam, & quid ſit rem eſse in eſse rei per denominationem logicam: quia rem eſse in eſse rei, & in eſse veri per denominationem logicam eſt eſse rem veré denominatã ab aliqua forma extrinſeca ſiué eſse terminum alicuius formæ extrinſecę. Quia veró non poteſt eſse denominatio extrinſeca ſine denominatione aliqua intrinſeca non rei denominatæ, ſed formæ denominanti; ideo nihil poteſt eſſe verum in eſse veri, & eſse res in eſse rei per denominationem extrinſecã, ſi nihil eſt formaliſsimè verè & proprié ens reale. Quare optimé infertur ex illa re, quæ habet eſse logicè ſiue in eſse rei, ſiué in eſse veri, hæc enim duo reciprocantur, eſse phyſicè tam in eſse rei, quam in eſse veri aliquod ens, quod voco formam denominantem ſiuè extrinſecam rei denominatæ.

8. Cæ-

8. Cæterum imaginari, quód forma denominans debeat eſse logicé ſiue in eſse rei, ſiue in eſse veri, ſicuti eſt logicé tam in eſse veri, quam in eſſe rei illa res, quæ denominatur, eſt confundere prædicatum, quod in omni denominatione extrinſeca conuenit rei denominatæ: & illud, qnod conuenit formæ denominanti.

9. Quibus poſitis conſtat, illam neceſsitatem, qua neceſse eſt vt homo ſit animal rationale, eſse phyſicé, quiá nulla forma poteſt denominare logicé rem denominatam, niſi phyſice exiſtat; ſed neceſsitas, qua neceſse eſt, vt homo ſit animal rationale, denominat logicé hominem habere hanc neceſsitatem, ergo iſta neceſsitas phyſicé exiſtit: ſicuti cognitio, quæ denominat logice Antichriſtum cognitum, phyſicé exiſtit. Addo, quód vel homo, qui denominatur ab æterno, & neceſsarió animal rationale, non eſt logicé ab æterno, & neceſsarió; vel eſt phyſicé ab æterno & neceſsarió illa neceſſitas, á qua homo denominatur ab æterno, & neceſsarió animal rationale: atqui ab æterno & neceſsarió eſt logicé homo, vt ipſi Aduerſarij confitentur, ergo ab æterno & neceſsarió exiſtit phyſicè iſta neceſsitas. Mihi certé non apparet, quomodo vnum poſsit admitti, & aliud negari; ſi optimé intelligatur, quid ſit eſse in ſtatu phyſico, & quid ſit eſse in ſtatu logico.

10. Deinde alio argumento demonſtratur hãc neceſsitatem exiſtere phyſicè, quia non minús exiſtit neceſsitas, qua neceſse eſt, vt homo ſit animal rationale, quam exiſtat quælibet res, quæ in præſenti exiſtit, & denominat ſe vel aliquid á ſe diſtinctvm; ſed huiuſmodi res exiſtit phyſicé, vt apud omnes eſt in confeſso; ergo etiam illa neceſsitas exiſtit phyſicé. Major eſt certa, quia non minus

deno-

denominat hominem neceſſarió animal rationale neceſsitas, vt homo ſit animal rationale, quam denominet me nunc à te cognitum, illa cognitio, qua tu me cognoſcis: ſi ergo iſta cognitio phyſicè exiſtit, cur non exiſtet phyſicè neceſsitas, quæ denominat hominem neceſſarió animal rationale? Addo, quód iſta neceſsitas, vt homo ſit animal rationale, non eſt chimæra, adeoque debet habere aliud eſse præter eſse logicum, hoc enim conuenit chimæræ.

11. Præterea omnis propoſitio æternæ veritatis fundatur in hac neceſsitate: illud autem in quo fundatur quælibet propoſitio æternæ veritatis, quæ eſt vera in præſenti, & de præſenti, debet exiſtere phyſicé, multò magis quam debeat exiſtere phyſicé illud, in quo fundatur propoſitio vera in materia contingenti, quæ eſt in præſenti, & de præſenti: ſi ergo illud, quod efficit veram huiuſmodi propoſitionem, eſt aliquid phyſicé exiſtens, quod poteſt mouere intellectum ad ſui cognitionem; multò magis exiſtet phyſicè id, quod efficit veram propoſitionem æternæ veritatis, & multò magis poteſt hoc ipſum mouere intellectum ad cognitionem ſui, quia eſt longé maior appetitus intellectus ad ſciendum verum neceſſarium, quam ad ſciendum verum contingens.

12. Huic ſententiæ duo; poſſunt opponi. Primò, quia nos videmur laborare vitio inconſequentiæ, & incidere in eumdem ſcopulum, quem volumus declinare: in materia enim de propoſitione vera circa futurum contingens ſiue abſolutum, ſiue conditionatum, illas eaſdem voces adhibemus quibus vtuntur in re præſenti aduerſarij: rogati enim quare ſit vera nunc illa propoſitio, quæ affirmat nunc Petrum anno ſequenti peccaturum,

rum, dicimus peccatum Petri eſse nunc logicè in eſſe obiecti, & in eſſe veri, quæ omnia ſunt familiaria huiuſmodi authoribus, cum loquuntur de neceſſitate, qua neceſſe eſt veram eſse propoſitionem neceſsariò veram. Adde, quód nos etiam dicimus in re præſenti hominem, qui ab æterno denominatur animal rationale, eſse logicé, licet non ſit phyſicè; quid igitur mirum, quód iſta neceſsitas exiſtat logicé non phyſicè?

13. Secundò quia eſse in eſse obiecti non eſt idē, ac eſse phyſicè; ſed iſta neceſsitas, de qua in pręſenti eſt ſermo, eſt in eſse obiecti; ergo huiuſmodi neceſſitas non eſt phyſicé. Maior eſt certa, quia chimæra, quæ non eſt phyſicé, eſt in eſse obiecti. Minor probatur, quia ex propoſitione æternæ veritatis nihil aliud poteſt inferri, niſi eſse obiectiuum ſiue eſse in eſse obiecti eius neceſsitatis, qua neceſse eſt huiuſmodi propoſitionem eſse veram; adeoque eſt peſsimum argumentum ex veritate ſimilium propoſitionum arguere neceſsitatem aliquam phyſicé exiſtentem.

14. Ad primam difficultatem dico eam nullam eſse ſi nobis non imponatur error, in quem incidunt aliqui, dum hanc de futuris contingentibus tuentur ſententiam; aiunt enim eſse nunc logicè illud peccatum, quod verificat propoſitionem affirmantem Petrum impoſterum peccaturum. Nos ſumus in contrariâ opinione, dicimus enim peccatum, quod nunc verificat hanc propoſitionem, nunc nec eſse phyſicè, nec eſse logicé, quatenus eādam verificat; quidquid ſit an ſit logicé quatenus denominatur á me cognitum, qua de re non poteſt eſse dubium, quia nunc exiſtit obiectiuè in mea mente, ſicuti cætera, quæ á me cognoſcuntur: hoc tamen eſse, quod habet nunc logicé peccatum futu-

turum, non ſatis eſt ad tribuendam meæ cognitioni rationem formalem cognitionis veræ, quia non ideo eſt vera hæc cognitio, quiá peccatum Petri eſt nunc logicé in méa mente, ſiué, quod eodem reuoluitur, nunc á me cognoſcitur; quid ergo eſt id, quod verificat meam cognitionem de peccato Petri futuro? Eſt illud eſſe phyſicum, quod peccatum Petri habebit phyſicé eo tempore, quo Petrus peccabit, vt notanter docui in tomo 1. diſp.12. quæſt. 2. num.8. Ratio huius doctrinæ eſt, quia propoſitio vera alia eſt in præſenti de præſenti, alia in præſenti de futuro: vtramque verificat aliquid phyſicum phyſicé exiſtens, repugnat enim in terminis vt obiectum, quod phyſicé non exiſtit, conſtituat veram propoſitionem: hoc tamen eſt diſcrimen inter vnam & aliam propoſitionem, quód illam, quæ eſt in præſenti, & de præſenti verificat res phyſicé exiſtens in præſenti, hoc eſt phyſicé exiſtens, quando phyſicé exiſtit propoſitio; adeoque phyſicé coexiſtens propoſitioni: é contrariò propoſitionem, quæ eſt in præſenti de futuro, verificat res phyſicé exiſtens tempore non præſenti ſed futuro; ratio à priori eſt, quia denominatio veri, vt docui ibidem diſp.11. quæſt.2.num.3. eſt denominatio extrinſeca actui veró, adeoque denominatio logica: inde eſt, quód propoſitio poteſt denominari vera, etiamſi nihil habeat in ſe intrinſecé, vndé ſit vera: poteſt igitur denominari vera per illam rem, quæ nunc phyſicé non eſt.

15. At inquies: denominatio veri eſt denominatio logica: omnis autem denominatio logica, vt dictum eſt num.7. oritur ex forma phyſicé exiſtente, adeoque licet res denominata exiſtat logicè, forma denominans debet phyſicè exiſtere: illa

igi-

igitur forma, quæ denominat veram ipſam propoſitionem, debet nunc phyſicè exiſtere: veritas igitur obiectiua, quæ veram efficit propoſitionem, phyſicè exiſtit.

16. Reſpondeo denominationem logicam aliam eſſe in præſenti, & de præſenti, aliam in præſenti, & de futuro, ſicuti alia eſt propoſitio, quæ affirmat in præſenti rem præſentem; & alia quæ affirmat in præſenti rem futuram. Hoc eſt commune omni denominationi logicæ, ſiue ea ſit de præſenti, ſiue de futuro, vt vna ex rebus, quæ conſtituunt hanc denominationem, exiſtat logicè, quatenùs conſtituit talem denominationem. Diſcrimen, quod intercedit inter vnam & aliam denominationem, in hoc conſiſtit, quòd in denominatione, quæ eſt in præſenti de præſenti, res denominata exiſtit logicè; & forma denominans phyſicè; in denominatione verò, quæ eſt in præſenti de futuro, res denominata in præſenti exiſtit phyſicè, forma verò denominans non exiſtit phyſicè: exemplum habes in hac gemina denominatione vtraque logica & extrinſeca, ſed vna in præſenti de præſenti, alia in præſenti de futuro; *Antichriſtus nunc à me cognitus: Actus qui affirmat Antichriſtum peccaturum nunc eſt verus*: Prima denominatio eſt in præſēti de præſenti, quia nunc dico me nunc cognoſcere Antichriſtum; adeoque forma denominans eſt nunc phyſicè; Antichriſtus non eſt nunc phyſicè. Denominatio propoſitionis veræ nunc de peccato futuro Antichriſti eſt denominatio in præſenti de futuro, quia res denominata eſt phyſicè in præſenti, forma denominans non eſt phyſicè in præſenti. Ratio à priori, cur denominatio, cuius forma eſt phyſicè in præſenti, ſit in præſenti de præſenti, licet in præſenti non exiſt[illegible] phyſicè res denomina-

ta:

ta: denominatio veró, cuius forma non eſt phyſicé in præſenti, dicatur in præſenti de futuro, licet res denominata exiſtat phyſicè in præſenti. Ratio inquam eſt, quia forma potiorem partem habet in denominatione relaté ad ſubiectum denominandum, non eſt igitur mirum, quód illa denominatio ſit de præſenti, cuius forma eſt præſens, illa veró non ſit de præſenti, cuius forma non eſt præſens.

17. Addo ad hæc omnia, mihi ſummé placere doctrinam, quam ibi tradidi de propoſitionibus in materia contingenti ſiue abſolutis, ſiue conditionatis, quia mirificé conſentit cum hac doctrina de illa re, quæ verificat propoſitiones æternæ veritatis: ſicuti enim res, quæ verificat propoſitionem in præſenti de futuro, debet phyſicé eſſe in tempore futuro, ita res quæ verificat propoſitionem in præſenti de præſenti, debet eſſe phyſicé in tempore præſenti: eá veró propoſitio, quæ eſt æternæ veritatis, eſt in præſenti de præſenti, vt oſtenſum fuit quæſt. 1. num 7. debet igitur eſſe phyſicé in præſenti id quod eam denominat veram, adeoque neceſſitas, qua neceſſe eſt, vt prædicatum ſit in ſubiecto, debet in præſenti eſſe phyſicé.

18. Ad alteram difficultatem: concedo ma: & nego min: Ratio eſt, quia eſſe in eſſe obiecti eſt formaliſſime eſſe cognitum, ſiué eſſe ſupertranſcendentale, ſed huiuſmodi neceſſitas habet aliud eſſe præter eſſe cognitum & logicum, quia etiamſi nullus intellectus cognoſceret hanc neceſsitatem, adhuc iſta neceſsitas veré eſſet, vt eſt indubitatum: hæc igitur neceſsitas eſt phyſicé, & non tantum obiectiué, ſicuti eſt obiectiué chimæra, quæ ab intellectu cognoſcitur. Cauenda eſt æquiuocatio

inter

inter rem denominatam ab hac neceſsitate, & neceſsitatem denominantem, quia res denominata non eſt nunc niſi obiectiué; adeoque non ſuſtinet niſi denominationem obiecti, quæ eſt extrinſeca; neceſsitas veró exiſtit phyſicé, & ſuſtinet nunc aliud eſſe, præter eſſe logicum & obiectiuum.

QVAESTIO VI.

Quænam fuerit veterum philoſophorum ſententia de veritatibus æternis.

1. NOn poſſum in hac ſuprema huius diſſertationis controuerſia non mirari plurimos ex philoſophis recentioribus, qui modum philoſophandi aſpernantes ex tota antiquitate hauſtum hanc doctrinam refellunt, quam huc vſque tradidi de omnibus propoſitionibus æternæ veritatis, quaſi ab omni æternitate nihil re verá fuerit, quod eas propoſitiones veras redderet, quæ ſunt ex neceſsitate veræ, & ſunt cauſa, cur intellectus qui naturaliter ſcire deſiderat, finem ſuum aſſequatur poſitum in ipſa contemplatione veritatis indefectibilis, & ſempiternæ: quid enim eſt quod vehementiùs animum rapiat in amorem ſui, præter ipſam veritatẽ? quid igitur minùs probabile, quàm nihil re vera eſſe ipſum verum neceſſarium, quod omnis ſcientia ſpeculatur? an forte verum mutabile & contingens, quod vſurpatur ſenſibus, non eſt nihil? & nihil erit verum ſempiternum, atque immutabile, quod animo intelligenti natura præbuit ſpeculandum? quaſi ſenſus, quos habemus communes cum brutis animantibus, hoc ipſo de-

beant illis viribus longe antecellere, quæ ſunt factæ ad omne verum intelligendum, quod circa rem aliquam re vera exiſtentem occupentur, eiſdem circa nihil occupatis. Quid poteſt cogitando incredibiliùs fingi, quám nihil extitiſse, nihil eſse, nihil extiturum, id, quod auidiſsime conſectatur intellectus ſummopere incenſus ſtudio ſciendi? cum neceſſe ſit aliquid eſse id, cuius extimam imaginem habent ſenſus in ſe ipſis elaboratam. Inter omnes doctos perinde, vt indoctos conuenit, intellectum á ſenſu differre, quód iſte verum mutabile, illè é contrarió verum percipit immutabile: hinc neceſse eſt verum immutabile, cuius notionem intellectus venatur, iuxta locutionem apud Philoſophum valde tritam, via memoriæ & experientiæ, eſse aliquid, quod in rerum natura exiſtat, multo magis quam omne id, quod cadit ſub ſenſus.

2. Hánc fuiſse ſententiam omnium veterum philoſophorum haud dubié crediderim ex varijs opinionibus, quas circá ſcientiam & modum eiuſdem conſequendæ natas nouimus in Lyceo, vbi pro veritate ab ijs, qui veritatem adamarunt, fuit ſemper ingenti animorum contentione diſputatum. Miſsos in præſenti facio, qui depoſita ſciendi ſpe in eam ſententiam abierunt, quód nihil ſciri poſsit: inter quos fuere Academici optimo iure redarguti ab Ariſtotele in Metaphyſica argumentis adeò cogentibus, vt ſatis conſtet ſecum ipſis pugnare, qui cúm ſcientia pugnant, eamque ſtudent oppugnare. Ex ijs, qui longé perſpicaciùs de natura ſcientiæ diſputarunt, & de inuentione veri ſcientiam ferentes ſimillimam vero extiterunt geminæ ſectæ, vtraque celeberrima, & magno partium ſtudio valde ſpectabilis, Peripatetica nimirum,

rum,

rum, & Platonica, illa enim ab Ariſtotele, hæc à Platone nata ſui nominis fama vniuerſam poſteritatem impleuit. De iſtis geminis ſectis debemus aliqua in rem noſtram paucis expedire: iam diú enim eſt, quód perſuaſum nobis habemus ab iſtis vetuſtiſsimis philoſophis nihil aliud olim opinatum de huiuſmodi veritatibus æternis atque neceſsarijs, quam quód in præſenti nos ipſi opinamur.

3. Conueniebat inter Platonem & Ariſtotelem non eſse ab humana mente ſcientiam ablegandam vnicum & præſtantiſsimum demonſtrationis fructum: hinc eſse aliquod verum æternum, immutabile, ac neceſſarium, quod ſpeculatur facultas intelligendi longé ſublimior ſenſu, apud vtrumque fuit indubitatum ex ipſa notione ſcientiæ. De Platone nemo eſt, qui poſsit in dubium vertere, an nimirùm hic Philoſophus agnouerit aliquod verum ſempiternum, indefectibile, & ſegregatum ab omni labe materiæ, quod animo vſurpámus, cum ad ſcientiam peruenimus; quia ſi quid á Platone fuit peccatum in illo modo nobis reuelando, quo paratur ſcientia, ex hoc fonte habuit originem, ratus enim nullum eſſe verum ab intellectu aſſequendum, quod non ſit æternum, idemque neceſſarium, in eo verſabatur errore, ſi tamen re vera in hanc ſententiam ſe induit, quód tot eſſent veritates æternæ ac neceſſariæ, quot ſunt res ſubiectę perpetuæ mutationi, de quibus certam cognitionem longo ſtudio, & aſſidua exercitatione adipiſcimur.

4. Quod igitur ad Ariſtotelem ſpectat, de quo naſci poteſt aliqua leuis dubitatio, mihi pluribus conſtat hunc philoſophum ſuo præceptori tametſi contrarium cum eodem ſuo præceptore de hac re

minimé contendiſſe. In primis non erat contentio inter Platonem & Ariſtotelem de vero æterno & immutabili, quod menti obijcitur in vſu & exercitio alicuius ſcientiæ, nihilne, an aliquid foret in hac rerum vniuerſitate; de hoc enim nulla erat, nec poterat eſſe diſceptatio; quantum licet ex eorum monumentis, & ipſa ratione intelligere. Cardo totius controuerſiæ vertebatur in modo; quo noſter intellectus corpori copulatus vtitur ad cognoſcendum illud verum æternum & immutabile, quod repræſentatur in hac multitudine infinita rerum mutabilium. Deinde Ariſtoteles demonſtrat paſſim in tribus libris, quos de anima ſcripſit, inter ſenſum & intellectum illud intereſſe, quód imagines á ſenſu fabricatæ repræſentant res mutationi obnexias: é contrarió imagines, quæ ab intellectu elaborantur, circa res tametſi mutabiles, exprimunt aliquod verum immutabile.

5. Non eſt hic animus ire per ſingula, quæ tantus philoſophus in hanc rem ibidem producit argumenta, eſſet enim labor pené infinitus: nolo tamen præterire diſertiſſimum eiuſdem teſtimonium, quod reperio in ſeptimo capite decimi libri ex ijs, quæ diſputauit de philoſophia morali; vbi demonſtrat intellectum, quem opinatur eſſe ſupremam hominis facultatem, atque adeo in eius operatione poſitam eſſe vitam feliciſſimam; demonſtrat inquam eſſe aliquid diuinum, & ſegregatum á corporis contagione, eó quód ſpeculatur res diuinas, & veritates á mutatione immunes. Hæc ſunt Ariſtotelis verba. *Si veró felicitas eſt ex virtute operatio, conſentaneum eſt eam ex illa eſſe, quæ præſtantiſſima eſt; hæc autem eius erit, quod eſt optimum: cum igitur id intellectus ſit, ſiue aliud quidpiam, quod ſane ſecundum naturam videtur principatum*

obti-

obtinere, & præſidere, notionemque habere de rebus honeſtis, & diuinis rebus; ſiue diuinum quoddam etiam ipſum ſit; ſiue ex ijs; quæ in nobis ſunt diuiniſſimum. Præterea idem philoſophus demonſtrat é re nata in varijs locis promiſcuè, & præſertim in decem & quatuor libris, quos de metaphyſica exarauit, vnum eſſe pulchrum & bonum; ſummé pulchrum, & ſummé bonum: hoc cognoſci pro viribus ab vnaquáque ſcientia; quatenùs nulla eſt ſcientia, quæ ob tenorem nunquam variabilem illius obiecti, quod ſpeculatur, non repræſentet ipſam rationẽ illius boni & pulchri, quod in oculos incurrit; omni pulchritudine & bonitate pulchriorem. Id opinatur omnibus quantum ſatis eſt, exploratum; ideó in hac re diutiús non immoratur. Quia veró poteſt ſuboriri aliquod dubium de ſola Mathematica, quæ poſita eſt in ſpeculandis dimenſionibus; an nimirum ſpeculetur illud bonum & pulchrum, quod eſt cauſa cuiuſcumque boni; & cuiuſcumque pulchri: ideó notanter Ariſtoteles omnem tollit rationem dubitandi de hac re in lib. 13. Metaphyſicæ cap. 3. vbi hæc habet. *Cum autem bonum & pulchrum differant (ſiquidem illud ſemper in operatione, pulchrum verò etiam in immobilibus eſt) qui dicunt mathematicas ſcientias nihil de bono vel pulchro dicere, falſum dicunt, dicunt enim & minimè oſtendunt, cum tamen opera, & rationes oſtendunt nonne dicunt de eis? pulchri namque maximæ ſpecies ſunt ordo commenſuratio, & definitio, quæ maximè oſtendunt mathematicæ ſcientiæ & cum hæc multorum cauſæ eſſe appareant, patet quod etiam ſimilem cauſam, quæ vt bonum cauſa eſt, quodammodo dicant.* Huc vſque Ariſtoteles, qui mentem ſuam nobis explicauit ſatis apertè de illo pul-

chro & bono, quod ſpeculatur Mathematica vnâ ex quatuor præcipuis ſcientijs, quæ ſunt occupatæ in veritatibus æternis contemplandis.

5. Inter Platonem & Ariſtotelem hac in re conſentientes vnicum fuit certamen de modo, quo vtitur intellectus humanus in ſcientia paranda, & illo vero inueſtigando, quod ſolúm eſt idoneum ad explendum appetitum ſcientiæ omnibus hominibus naturaliter ingeneratum. Hoc verum non poſſe inueſtigari contendebat Plato, ſi tamen re verâ in hac ſententia fuit, qua de re nihil in præſenti decido, vt ex ijs conſtat, quæ docui in tomo 1. diſp. 3. quæſt. 3. num. 4. vbi conatus ſum ideas Platonicas argumentis acerrimis refellere: hoc inquam verum non poſſe inueſtigari contendebat tantus Philoſophus, niſi tot eſſent formæ á materia ſeparatæ, quot ſunt res materiales cognitione & ſcientia humana vſurpandæ. Hinc opinabatur Plato fuiſſe ante curſum cuiuſcumque temporis aliquam ſubſtantiam æternam & neceſſariam nulli ſubiectam mutationi, quæ hominis eſſet idolum & ab eadem humanam de homine ſcientiam in ipſo homine creari: quod autem de homine ab homine ſcito dicebat Plato, conſequenter erat de leone dicendum, cæteriſque rebus ſub experientiam cadentibus, de quibus certam habemus intelligentiam. Humanus intellectus, ita philoſophatur huiuſmodi Philoſophus, in tantum demonſtrat hominem eſſe animantem rationis participem, in quantum eſt in rerum natura homo æternus, qui ſemper fuit, & ſemper erit animal prædìtum ratione, ipſumque cæteri homines, quantum poſſunt, imitantur, qui oriuntur & occidunt: idem intellectus eatenùs oſtendit ignem eſſe corpus elementare natura ſua calidum & ſiccum, quatenùs in hac rerum

vni-

vniuerſitate eſt ignis à materia ſeparatus ad cuius imitationem gignitur ignis, cum lignum, vel ſtipula incenditur. Non eſt dubium, quin turpiſſimè errauerit in exploranda humana ſcientia hic philoſophus, ſi verum eſt, quod de ipſius doctrina vulgauit fama: ſplendidam tamen originem habuit huiuſmodi error, quia nimirùm duce natura ſibi perſuaſum habuit, quod eſt veriſſimum, & nullo pacto dubitandum; omnem ſcientiam cadere & funditus euerti, ſi ſemel conſtet nullam eſſe præter res, quæ in oculos & ſenſus incurrunt, neceſſariam, ac ſempiternam veritatem in hac rerum mortalium vmbra ſpeculandam.

6. De modo, quo ſcientiam nobis paramus, longè mèlius diſputauit Ariſtoteles, qui nouit non eſſe otioſum ſenſuum famulatum intellectui ancillantium, quia eo conſilio facultates ſentientes intelligentibus adiunxit natura, vt illæ iſtis inſeruirent in cognitione veri æterni ac neceſſarij, quod ſolum eſt illud verum, in quo intellectus quieſcit; indè eſt, quòd illum intellectum, qui vtpotè naturæ ad intelligendum præſtantioris non indiget ſenſuum ſeruitio, vt hoc verum aſſequatur, vna cum corpore non copulauit, vt ſatis conſtat in ſubſtantijs angelicis, quæ carent omni neceſſitate & poteſtate ſpeculandi phantaſmata; quidquid enim intelligunt, per formas intelligunt animo inſculptas à mundi Conditore in ipſa eiuſdem mundi origine. Non eſt igitur, quòd earum rerum, quæ cadunt ſub humanam ſcientiam, recognoſcere debeamus in natura extrà intellectum à naturæ opificē formas à materia ſeparatas æternas ac neceſſarias, quæ ſint cauſa cur in rebus mutationi ſubiectis, intellectus veritatē ſpeculetur ab omni mutatione alienam. Hinc Philoſophū ſviam nobis

in ſuaMetaphyſica,& in libris de anima aperit,quą facilè cognoſcimus, quomodo á cognitione ſenſuum fluxa & caduca gradum ſibi paret animus inclusus corpore ad certam & immobilem veritatis nunquam defecturæ intelligentiam: recognoſcit Ariſtoteles, quod omnes ſatis nouimus, ſi quod in nobis experimur intentiús ſpeculemur, in humano intellectu ampliſſimam poteſtatem, quàm meritovocat diuinam,vtpoté argumentum illius imaginis, quæ diuinitatem repræſentat, poteſtatem, inquam, in rebus ſingularibus venandi communes rerum notiones, & conceptus vniuerſales. Eſt autem in earum venatu artificium naturæ ſané mirabilé, quia ſenſibus renunciantibus certam & definitam rem certo loco& tempore circumſcriptam, eaque propter ætatis dente lacerandam confeſtim intellectus quærit ſcire, quid ea tandem ſit, etiam ſi ibi non ſit, vbi eam nouit eſſe ſenſuum miniſterio, atque ádeo inueſtigat id, quod de ipſa veré prædicatur, tametſi in nullo certo loco, nulloque certo tempore exiſtat, quod eſt idem, ac quærere cognitionem rei poſsibilis, ſecluſa quacumque eiuſdem exiſtentia, quæ eſt variabilis & peritura. Quia vero cognoſcendo id, quod veré de eadem re prædicatur, nullo licet in loco, ac tempore exiſtentem eam non diſcernit à cæteris ſubſtantijs,quę ſuſtinent eamdem denominationem, etiamſi in nullo certo loco & tempore intelligantur exiſtere, ideò hoc totum cognoſcendo, venatur prædicata vniuerſalia, quę ſunt æterna & incorruptibilia, quia vt dictum eſt in tomo 1. diſp.4. qu.2. num.7. exiſtit neceſsitas indefectibilis & ſempiterna, vt verum ſit hominem eſſe animal rationale. Hac de cauſa ſæpiſsimé monet Ariſtoteles cognitionem ſingularium ſpectare ad ſenſus, cognitionem veró

vni-

vniuerſalium ad intellectum, quia in cognitione ſingularium nulla cognoſcitur neceſsitas æterna & indefectibilis, quæ cognoſcitur in cognitione vniuerſalium.

7. Cognitionem huius neceſsitatis ingenti ſtudio quærit humanus intellectus, qui eſt cupidiſſimus ſciendi, cum venatur iuxta phraſim philoſophi vniuerſalia in ſingularibus, quæ cognoſcit via memoriæ & experientiæ. Hinc omnis ſcientia ex ijs, quæ ab homine comparantur, eſt de vniuerſalibus, vt ibidem ex doctrina philoſophi á nobis demonſtratum eſt, quia intellectus humanus non poteſt aſſequi cognitionem illius primę rationis ac neceſsitatis, ad quam referuntur omnes ſcientiæ, niſi ſeparet á rebus ſingularibus prædicata communia, adeoq; niſi formet quamdam imaginem confuſam, & ænigmaticam eiuſdem neceſsitatis; qui modus cognoſcendi eſt valdé imperfectus, & proindè conſentaneus imperfectioni, quam debet habere intellectus, qui eſt forma corporis. Huius doctrinæ, quam paſsim tradit Philoſophus, ratio á priori eſt, quia ille intellectus, qui eſt forma corporis, eodem modo poteſt intelligere hanc neceſſitatem, vt homo ſit animal rationale, quo poteſt Deum intelligere, ſed non poteſt Deum intelligere, niſi per cognitionem confuſam abſtractiuam, & ænigmaticam, vt demonſtrat S. Thomas in prima parte quæſt. 12. art. 4. ergo non poteſt intelligére illam neceſsitatem, qua neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale, ſiué illam veritatem obiectiuam æternam ac neceſſariam, quæ verificat quamcumque propoſitionem veritatis ſempiternæ, niſi habeat cognitionem huius neceſsitatis abſtractiuam & ænigmaticam. Hanc autem cognitionem habet, cum ſeparat á ſingularibus prædicata vniuerſalia,

quia licet clare cognoſcat actus ſentiendi, qui cadunt ſub experientiam ſenſuum, nihilominus cognoſcit obſcurè, & imperfecte illam neceſſitatem, quæ re vèra exiſtit ab omni loco, & tempore ſeparatâ, vt homo ſit principiũ ſentiendi, & diſcurrendi atque adeo, vt verum ſit hominem eſſe animal rationis particeps, etiam ſi nullus verè ſit homo. Ratio cur obſcurè & ęnigmaticè cognoſcat intellectus in ſtatu vitæ præſentis illam neceſſitatem, quæ modo eſt, & ſemper fuit, vt homo ſit principium ſentientiendi, & intelligendi eſt manifeſta ex doctrina eiuſdem Philoſophi, quam ex libris de anima deſumptam in præſenti oſtendo.

8. Neceſſe eſt, vt intellectus in eo ſtatu, in quo informat corpus mortale, ſpeculetur phantaſmata propter coniunctionem facultatis intelligentis cum ſentiente: nullum autem phantaſma repræſentat neceſſitatem, vt homo ſit animal rationis particeps, quia ea eſt phantaſmatis natura, vt demonſtret rem ſingularem ſubiectam ſenſibus, adeoque repræſentet prædicata contingentia, & defectibilia: intellectus igitur non poteſt habere cognitionem, niſi obſcuram, & ænigmaticam huiuſmodi neceſsitatis, quam cognoſcit ſeparando prædicata neceſſaria á contingentibus, vniuerſalia à ſingularibus. Id tamen non officit, quominus eam cognoſcat euidenter, quia ex cognitione obſcura, & ænigmatica non poteſt legitimè inferri defectus euidentiæ in ipſo intellectu circa rem cognitam. Ratio huius eſt, quia non omnis obſcuritas ſatis eſt ad excludendam quamcumq; euidentiam circa rem cognitam, alia enim eſt obſcuritas, quæ verſatur circa exiſtentiam rei; alia, quæ verſatur circa eiuſdem naturam, prima opponitur euidentiæ, ſecunda non opponitur. Hinc plurimi poſſunt euidenter cognoſcere

id,

id, quod exiſtit: adeó, vt nihil dubitent de ipſa exiſtentia, & tamen ignorent eius naturam. Quis eſt qui euidenter non cognoſcat in rebus materialibus eſſe quantitatem continuam permanentem non minus, quam ſucceſsiuam, & tamen natura huius quantitatis latet philoſophos etiam acutiſsimos: multa alia ſunt, quæ produci poſsunt in eamdem rem, ſed non vacat perſequi pluribus rem omnibus notam: quid igitur impedit, quo minus cognoſcam euidenter eſſe illam neceſsitatem, cuius natura mihi non eſt ſatis explorata propter ænigmaticam eiuſdem cognitionem?

9. Addo, quòd cæteræ facultates in quibus nulla eſt virtus ſeparandæ naturæ vniuerſalis à rebus ſingularibus, non cognoſcunt hanc neceſsitatem, quia loquendo de cognitione humana idem eſt cognoſcère neceſsitatem, vt quodlibet ſit id quod eſt, & ſeparare naturam communem à ſingularibus: res enim ſingulares, quæ natura ſua ſunt ordinatæ ad repręſentandam facultati cognoſcenti hanc neceſsitatem, illi tantum facultati repræſentant, quæ vim habet ſeparandi aliquod prædicatum commune ab ipſis ſingularibus. Hinc phantaſia, quæ eſt prima inter cæteras vitæ animalis facultates, eamdem neceſſitatem minimè cognoſcit, quia ad ipſam nihil aliud ſpectat, quam fabricare phantaſmata: quo fit, vt ſenſus non tantum exteriores, ſed etiam interiores ſint á natura inſtituti, vt ancillentur facultati ſuperiori, in qua ſunt vires cognoſcendi neceſſitatem, vt quodlibet ſit id, quod eſt, in rebus omnibus, quæ oriuntur, & occidunt, à natura modo mirabili repręſentatam.

10. Ex quo diſcurſu efficitur ab intellectu, qui venatur vniuerſalia in ſingularibus illius ſupremi entis, quod ſolum habet neceſsitatem, vt exiſtat

tot

tot formari ænigmata, quot ſunt res circa quas occupatur, dum enunciat verum æternum, & neceſſarium: res enim creatæ id habent, vt nulla poſsit diuinam perfectionem ſatis repreſentare: adeoque nulla valeat, quantum ſatis eſt illam neceſſitatem exponere, quam debet intellectus ſpeculari: idcirco ſicuti eſt vſitatum multiplicare ęnigmata quando nullum occurrit, quod rem perfectè demonſtret. ità natura nobis prouidit facultatem ſeparandi diuerſa prædicata communia á diuerſis rebus ſingularibus, vt nobis eſſet facilé peruenire ad cognitionem quantum poſſumus in hac vita maximã illius neceſsitatis, qua neceſſe eſt quamlibet propoſitionem æternę veritatis eſſe veram,& quamcumq; rem eſſe id,quod eſt. Hæc profectò eſt vis illa diuina, quam Ariſt. recognoſcit in intellectu ſpeculante phantaſmata, quia nimirum ſolus intellectus præ cæteris facultatibus, quæ cognoſcunt, & ſunt in homine, á cognitione illius veri, quod modo eſt, modo non eſt,aſcendit ad cognitionem veri ſempiterni & neceſſarij, quod eſt verum diuinum; vndè ſequitur diuinam meritò appellari illam vitutem, quæ aliqua ex parte poteſt hoc verum cognoſcere.

11. Prætereà in doctrina ab Ariſtotele tradita nihil eſt magis vſitatum, quam intellectum immaterializare res materiales, quatenús à phantaſmate materiali, quod repræſentat rem veſtitam circumſtantijs materialibus,abſtrahit ſpeciem intelligibilem, quæ inhærens menti cognitionem efficit, á qua oſtenditur illá neceſsitas immaterialis æterna, & indefectibilis, quæ datur, vt id cuius exiſtentiam phantaſma manifeſtat, ſit poſsibile, & ſubſiſtineat in ſtatu logico, & denominatiuo dependenter á neceſsitate phyſicè exiſtente illa prædicata neceſſaria, quæ non poſſunt eidem non conuenire.

nire. Ex hac virtute, quam habet intellectus, demonſtrat Ariſtoteles in libris de anima eumdem eſſe immaterialem, & immortalem ob modum operandi alienum á materia, qui conſiſtit in ſeparandis prædicatis vniuerſalibus à natura rerum ſingularium, adeoque in cognoſcenda illa neceſsitate æterna, & immateriali, quæ denominat hominem neceſſariò animal rationále. Non poteſt igitur in dubium verti an Ariſtoteles, qui ſpeculatus eſt adeò nobilem, & ſublimem viam illius modi, quo intellectus ad ſcientiam pertingit, nouerit neceſsitatem, qua neceſſe eſt, vt quidquid eſt ſit id, quod eſt, eſſe aliquid phyſicè in rerum natura, immó eſse aliquid á ſummo, infinito, & neceſſarió ente re ipſa indiſtinctum. Quód ſi pauca de huiuſmodi ente idem Ariſtoteles diſputauit, non debet videri mirum, quia, vt inquit S. Thomas, ea tam tum de Deo ſpeculatus fuit, quæ certó, & euidenter poſſunt ab intellectu cognoſci nulla ſuperioris doctrinæ luce illuſtrato.

12. Hæc ſententia de veritatibus obiectiuis æternis ac neceſſarijs ab Ariſtolis, & Platonis ſchola profecta emanauit ad poſteros adeó, vt non ſolum apud omnes philoſophos, ſed etiam apud Poetas aliquo philoſophiæ colore aſperſos fuerit vſitatiſſimum de huiuſmodi neceſsitate, qua neceſſe eſt vt conſonet rationi quod ſit cum honeſtate; & cum eadem conſentiat omne id, quod excludit prædicata viciſſim oppoſita, multa eleganter, & copioſè diſputauerint, vt conſtat ex eorum monumentis, á quibus recenſendis abſtineo.

QVÆ-

QVAESTIO VLTIMA.

Quæ nam fuerit veterum Theologorum de eiſdem veritatibus ſententia.

1. OStenſo, totam veterum philoſophorum doctrinam eſſe plenam huiuſmodi veritatis æternæ, & neceſſariæ indiſtinctæ realiter ab ente ſupremo, & neceſſariò, conſequens eſt vt breui oſtendam, quid de hac re fuerint opinati omnes magni nominis Theologi; & illi præſertim á quibus ſacram doctrinam hauſimus. Nolo in omnibus commemorandis tempus terere; duos tantum libet ex omnibus ſeligere; qui doctrina virtute, & authoritate cæteris præſtant. Huiuſmodi ſunt illa duo præſtántiſſima Sacræ Theologiæ lumina, nimirum Diuus Auguſtinus, & Diuus Thomas, á quibus contendo eam fuiſſe de veritatibus obiectiuis æternis ac neceſſarijs ſententiam promulgatam, vt nihil aliud agnouerint in illa neceſſitate, de qua in præſenti eſt ſermo, niſi veritatem diuinam, immutabilem, & ſempiternam.

2. In primis, quod attinet ad Auguſtini mentem, nemo de hac re dubitabit, qui leuiſſimé ſit verſatus in eiuſdem doctrina. Nunquam hic Doctor de virtutis honeſtate diſputat: nunquam de illa conſonantia, quam habet cum facultate cognoſcente id, quod cenſetur pulchrum, & delectabile; nunquam de illa harmonia, qua delectat aures vox iuxta leges artis formata; nunquam de huiuſmodi veritatibus, quæ procul dubio ſunt æternæ, ac neceſſariæ, earumque ſpeculatio ſpectat ad vim in-

intelligendi, agit vel ex profeſſo, vel perfunctoriè idem Auguſtinus, quód ſtatim non aſcendat ad cognoſcendam, & miris laudibus exornandam veritatem diuinam, qua ſunt vera hæc omnia; quæ nobis apparent ex rebus cadentibus ſub experientiam ſenſuum.

3. Familiare eſt Auguſtino conſiderare hinc ſenem deformem: ſed probum & iuſtum; hinc iuuenem pulcherrimum, ſed improbum, & facinoroſum. Quid illo deformius? qui nimirum macie confectus nullam in ore, nullam in vultu, nullam in membrorum poſitione oſtendit venuſtatem; quid hoc è contrarió ſpecioſius? qui decorus aſpectu, fronte ac vultu hilaris, videtur eſse quoddam animatum pulchritudinis ſimulacrum: & tamen nemo eſt, qui illum ſenem non nouerit, eumque confeſtim non amet: omnibus eſt charus, omnibus gratus,& amabilis:omnes eius conſuetudine libentiſsimé vtuntur: apud omnes eſt in amore & in delicijs: contrá veró hunc iuuenem nemo nouit, cui non ſit inuiſus, & ingratus: omnes eum execrantur, externi ac domeſtici; nemini eſt charus: omnibus inuiſus: cur hoc? quid eſt, quod in ſene turpi ac deformi delectat? quid in eleganti, & pulcherrimo iuuene diſplicet? Quod oculi cernunt, inquit idem Auguſtinus, eſt gratum, & iucundum in huiuſmodi adoleſcente, ingratum & iniucundum in huiuſmodi ſene: quod tamen incurrit in oculos interiores animi intelligentis, eſt gratiſſimum in ſene iuſto, ingratum & deteſtabile in iuuene facinoroſo & ſceleſto: hinc plus diſplicet in iuuene formoſo interior deformitas, quam placeat externa elegantia; plus é contrarió placet in deformi ſene animi forma & æquabilis vitæ tenor, quam diſpliceat membrorum deformitas, & corporis pallor.

lor. Deinde ſpeculatur idem Auguſtinus illam rationem, propter quam delectat animus iuſtitia imbutus licet corpore turpi ac deformi incluſus: hanc eſſe cauſam ait, quòd omnes iuſti, & iniuſti habent in animo ſuo inſculptam cognitionem illius æternæ veritatis, quæ oſtendit eſse amabile id, quod rationi conſonat, & eſse aliquod verum ad cuius imitationem factus animus hominis probi & iuſti, eſt pulchrior quacumque corporis pulchritudine. De hac veritate ſiue prima ratione loquitur Auguſtinus in vno ex ſermonibus, quos ſcripſit in commentarijs ſuper Ioannem his verbis: *ſtatura eſt? color eſt? figura eſt? nil horum eſt; & tamen eſt, quia ſi non eſſet non amaretur*. Quod dicit Auguſtinus de illa prima ratione; quæ eſt cauſa, cur delectet naturam ratione præditam animus iuſtitia informatus, optimè quadrat in illam primam rationem, propter quam debet omne id, quod eſt, eſſe id, quod eſt: hæc ratio multum delectat animum ſciendi capacem, non enim tantùm delectant res ſubiectæ ſenſibus, quantùm delectat ſcire veritatem neceſſariam, & æternam, quæ in rebus fluxis, & caducis intellectui repræſentatur. Hæc veritas, hæc prima ratio neque ſtatura eſt, neque figura eſt, neque color eſt; & tamen eſt; immò multò perfectiús eſt, quam ſit illud, quod eſt caducum, varium, & mutabile: vrget enim idem Auguſtini argumentum ad oſtendendum verè eſse illud verum, ex quo verum dicit, qui ait vnamquamque rem habere neceſsitatem, vt ſit id, quod eſt, adeoque non includat prædicata viciſsim oppoſita. Ideó illa ratio propter quam delectat animus virtute præditus, verè eſt: quia ſi non eſset, non raperet omnem amorem, nec in ſe conuerteret humanam voluntatem; ſi ergo illa ratio, propter quam neceſse eſt, vt quid

quid

quid eſt, ſit re vera illud ipſum, quod eſt, ab intellectu quæritur, intellectum delectat, quis eſt, qui audeat dicere; verè non eſſe hanc primam rationem hanc primam veritatem,quâ ignorata omnia ignorantur? Huc adde celebrem Auguſtini in libro ſoliloquiorum ſententiam, quam de veritate æterna diſerte pronunciauit: *verum eſt id quod eſt*: vnde ſequitur omne verum æternum ac neceſſarium eſſe aliquid, quod verè eſt.

4. Huic doctrinæ, quę in operibus ab Auguſtino editis eſt frequentiſſima, concinunt ea quæ in libro de vera Religione & in lib. 14. de Trinitate in eamdem rem ſcripſit, ibi enim oſtendit nullam aliam eſſe veritatem æternam ac neceſſariam, niſi veritatem diuinam, cuius lumen eſt humanis mentibus impreſſum ad omne verum inueſtigandum, *ſicut eius veritate* (loquitur de diuina veritate in libro de vera religione) *vera ſunt, quæcumque vera ſunt, ità & eius ſimilitudine ſimilia ſunt*. De eadem veritate loquitur in 14. de Trinitate his pulcherrimis verbis, *vbi ſunt illæ regulæ ſcriptæ, quibus quid eſt iuſtum, quid iniuſtum agnoſcitur, niſi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur; vnde lex omnis iſta deſcendit; & in cor hominis non migrando, ſed tanquam impellendo transfertur; ſicuti imago ex annulo in ceram tranſit; & annulum non relinquit*. In eamdem rem loquitur in tractatu 39. in Ioannem *factus eſt oculus tuus particeps huius lucis* (loquitur de luce illius æternæ veritatis, quæ omnibus ſplendet ratione præditis) *clauſus eſt: hanc lucem non minuiſti: apertus eſt: hanc lucem non auxiſti: ſed ea veritate eſt verax anima, eſt veritas apud Deum; cuius eſt particeps anima. cuius particeps ſi non fuerit anima, omnis homo malus eſt*.

5. Præterea non ſemel verſatur Auguſtinus in

te-

rebus ſenſibilibus illam rationem intelligibilem, quæ eſt pulchrior quacumque re ſenſibili, & propter quam verum eſt nullo ſenſibili exiſtente debere eſſe quidquid nunc ſenſibile apparet, eo modo, quo veré eſt. Poſt longum diſcurſcum concludit hic doctor, hoc nihil aliud eſſe, quam ideam rerum omnium, quæ in mente ſupremi] artificis impreſſa, oſtendit modum, quo debet eſſe omne id, quod eſt, vt nimirum nihil ſit in natura diſſonum, nihil in eadem inordinatum. Quid veró magis diſſonum, quid magis inordinatum, quam id quod inuoluit rationes viciſſim oppoſitas? Illa igitur ratio, quæ oſtendit nihil eſſe in rerum natura, nihil poſſe eſſe, quod conſtet ex prædicatis oppoſitis, nihil tamdem eſt, quam diuina, & æterna veritas, cuius imperfecta cognitio eſt in qualibet mente humana inſculpta. Hic eſt Auguſtini diſcurſus, quem debemus audire pluribus in locis in hãc rem argumentantem: in libro 12. de Trinitate hæc habet *Non ſolum rerum ſenſibilium in locis poſitarum ſine ſpatijs localibus manent intelligibiles, & ſempiternæ rationes verum etiam motionum in temporibus tranſeuntium ſine temporali tranſitu ſtant etiam ipſæ intelligibiles non ſenſibiles rationes, ad quas mentis acie peruenire paucorum eſt*. Idem ait in tractatu ſecundó in caput primi in Ioannis, vbi eleganter loquitur de illa ratione, propter quam eſt factus totus iſte mundus, qui incurrit in oculos, *ne putes quia ſic erat in mundo quomodo in mundo eſt terra, in mundo eſt Cœlum, in mundo eſt ſol, & luna, & ſtellæ, in mundo arbores, pecora, homines non ſic in mundo iſte erat; ſed quomodo erat? quomodo artifex recens, quod fecit: non enim ſic fecit quomodo facit faber Arcam: forinſecus eſt Arca, quam fecit, & illa in alio loco*

loco poſita eſt cum fabricatur: Deus autem fabricat; vbique poſitus fabricat, & non recedit. In eamdem rem loquitur in tractatu primo his verbis. *Quid eſt hoc? facta eſt terra: ſed ipſa terra, quæ facta eſt non eſt vita; eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritualiter ratio quædam, qua terra facta eſt; hæc vita eſt: ergo quod factum eſt in illo vita eſt: quomodo poſſum, dicam: faber facit Arcam: primò in arte habet Arcam: ſi enim in arte Arcam non haberet non eſset vnde fabricando illam proferret. Sed Arca ſic eſt in arte, vt non ipſa Arca ſit quæ videtur oculis: in arte inuiſibiliter eſt, in opere viſibiliter erit; ecce facta eſt in opere; numquid deſtitit eſse in arte? Attendite ergo Arcam in arte, & Arcam in opere; Arca in opere non eſt vita: Arca in arte vita eſt, quia viuit anima artificis, vbi ſunt iſta omnia antequam proferantur. Hæc quæ ſunt per ipſam artem non continuo vita ſunt: ſed quidquid factum eſt: vita in illo eſt. terram vides? eſt in arte terra: Cælum vides? eſt in arte Cælum, Solem, & Lunam vides? ſunt & iſta in arte; ſed foris corpora ſunt, in arte vita ſunt.* Hæc acutè Auguſtinus, ex quibus conſtat illam rationem æternam ac neceſſariam, propter quam terra, Cælum, Sol, cæteraque omnia ſunt id, quod ſunt, non eſſe ipſam terram, ipſum Cælum, ipſum Solem; ſed eſſe aliquid à terra, Cælo, & Sole longè diuerſum, nimirum artem illius diuini artificis, qui eſt prima ratio rerum omnium, propter quam omnia ſunt pulchra, omnia vera, omnia mirabilem habent cũ intellectu harmoniam: idem eſt prima regula totius honeſtatis, prima lex, ob quam eſt verum, vnicuique eſſe tribuendum ius ſuum, fidem non frangendam, nulla iura violanda.

6. Celeberrimum eſt eiuſdem Auguſtini teſtimonium.

nium ex libris de Trinitate quod refert Henricus à Gandauo in ſumma Theol. qu. 2. art. 1. *formas rerum corporalium per ſenſum hauſtas, & quodammodo infuſas momoriæ: ex quibus etiam ea, quæ non ſunt viſa ficto phantaſmate cogitantur, ſiue aliter, quam ſunt, ſiue fortuito quomodo ſunt alijs omnino regulis ſuper mentem noſtram immutabiliter manentibus, vel approbare apud nos metipſos, vel improbare conuincimur, cum mente aliquid probamus, vel improbamus. Cum arcum pulchrum, & æqualiter intortum, quem vidi Chartagine, animo reuoluo, res quædam menti nunciata per oculos memoriæque tranſfuſa imaginum aſpectum facit; ſed aliud mente conſpicio ſecundùm quod opus illud mihi placet, vnde & ſi diſpliceret corrigerem. Itaque de iſtis ſecundùm illud iudicamus, & cernimus rationali intuitu noſtræ mentis: iſta autem præſentia corporis tangimus: ceú imagines elementorum fixas in memoria recordamur, aut eorum ſimilium talia fingimus: aliter figurantes animo imagines corporum, aut per corpus corporalia videntes; aliter autem rationes, artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum ſuper mentes noſtras ſimplici intelligentia capientes. In illa ergo arte, in qua temporalia facta ſunt omnia, formam ſecundùm quam ſumus, & ſecundùm quam vel in nobis, vel in corporibus vera & recta ratione aliquid operatur viſu mentis aſpicimus.*

7. Hæc diſertè Auguſtinus de veritatibus ſempiternis, & neceſſarijs: videamus, quid Angelicus Doctor de eiſdem ſenſerit, qui Theologiam Scholaſticam ex eodem Auguſtino cæteriſque Patribus collectam in eam ſummam redegit, vbi omnia, quæ ad ſacram doctrinam ſpectant, ingenti ordine, delectu, partitione, & perſpicuitate pertractantur. Non cenſeo neceſſarium totam

huius

huius doctoris de hac re doctrinã in præſenti producere, quam in omnibus ſuis operibus ſatis apertè inſinuauit; tum quia nimius eſſem, ſi animus foret ire per ſingula, tùm quia ſuperuacaneum arbitror complecti pluribus rem totam, quæ paucis poteſt abſolui. Iuuat igitur, cæteris prætermiſſis, vnam ex quæſtionibus diſputatis ſeligere, quæ eſt quinta inter eas, quas de veritate inſtituit. In hac quæſtione quærit S. Doctor, an aliqua veritas ſit æterna præter primam: deindè hanc controuerſiam, pluribus argumentis in partem contrariam propoſitis, his verbis decidit: *nullum creatum eſt æternum: omnis veritas præter primam eſt creata, ergò ſola veritas prima eſt æterna: Præterea ens & verum conuertuntur: ſed ſolum vnum ens eſt æternum, ergo ſola vna veritas eſt æterna.* Hæc S. Thomas: vnde ſatis conſtat nullam aliam veritatem æternam ac neceſſariam præter diuinam, & increatam exiſtere; atque adeo nullam propoſitionem æternę veritatis, quæ eſt in materia neceſſaria, poſſe verificari, niſi per aliquod prædicatum æternum, & neceſſarium à Deo indiſtinctum.

8, Deinde in corpore quæſtionis acutè diſtinguit idem Doctor, cuius verba prætermitto breuitatis gratia, duplicem veritatem, qua ſunt vera omnia creata, quæ verè ſunt, vel in aliqua temporis differentia verè erunt: vnam vocat extrinſecam, aliam intrinſecam rebus, quæ denominantur veræ. Veritatem intrinſecam rebus creatis ait eſſe contingentem, mutabilem, & temporaneam. Veritatem extrinſecam eiſdem rebus ait eſſe neceſſariam, æternam, & inuariabilem, quia licet res creatæ non ſemper ſint, neque neceſſariò ſint, nihilominus neceſse eſt aliquam veritatem ſemper exiſtere, quæ denominat vera omnia, quæ ſemper, & neceſſariò

 ſunt

ſunt vera. Ratio à priori huius doctrinæ eſt, quia duplex datur denominatio, vna intrinſeca, alia extrinſeca rei denominatæ; illa arguit exiſtentiam rei denominatæ, ſecùs iſta, quia repugnat in terminis, vt aliquid habeat nunc denominationem intrinſecam, & nunc non exiſtat, nihil autem obſtat quo minùs aliquid denominetur nunc extrinſecè, etiamſi nunc non exiſtat. Hinc eſt, quòd denominatio intrinſeca non poteſt eſſe niſi contingens in rebus, quæ habent eſſe contingens; denominatio verò extrinſeca poteſt eſse neceſsaria, adeoque æterna in rebus, quæ non habent exiſtentiam æternam, & neceſsariam. In hunc fermè modum diſcurrit S. Thomas, dum philoſophatur de illa veritate, quæ denominat veras omnes res creatas: ſi enim ſermo eſt de veritate, quæ denominat contingenter veras eaſdem res creatas, hanc ait eſse veritatem intrinſecam rebus creatis eiſque phyſicè inhærentem: quòd ſi ſermo eſt de illa veritate, quæ denominat neceſsariò veras res creatas, & contingentes, ait, huiuſmodi veritatem eſse eiſdem extrinſecam, quia veritas neceſsaria, & ſempiterna, qualis procul dubio eſt illa, quæ denominat aliquid neceſsariò verum, non poteſt eſse intrinſeca rei contingenti & defectibili propter manifeſtam repugnantiam identitatis realis inter rem neceſsariam, ſiue indefectibilem; & rem contingentem, mutabilem, atque defectibilem.

9. Conſonat huic diſcurſui, quem fundat S. Thomas in hac duplici veritate vna intrinſeca, & alia extrinſeca rebus, quæ denominantur veræ, id, quod docet de ente ſupertranſcendentali: ait enim eſse aliquod verum ſupertranſcendentale, quod non eſt verum tranſcendentale: huiuſmodi rationem veri tribuit negationibus, priuationibus, cæteriſ-

teriſque rebus, quæ nullum habent eſse in rerum natura, quia nimirum huiuſmodi res, quæ non ſunt veræ veritate ſibi intrinſeca, ſunt veræ veritate extrinſeca relaté ad aliquam formam ſibi extrinſecam, á qua denominatur veré non exiſtens id, quod nihil eſt, vt ex eiuſdem S. Thomæ doctrina demonſtrabimus in diſp. 6. qu. 3. & 4. Vnde patet, quam longé ſint non ſolúm á veritate, ſed etiam á mente S. Doctoris, qui eiuſdem authoritate de ente ſupertranſcendentali abutuntur ad opinandum aliquid eſse, quod non habet eſse in eſse rei, & habet eſse in eſse veri veritate ſibi intrinſecá, quaſi potuerit in S. Doctoris animum cadere aliqua diſtinctio inter eſse in eſse rei, & eſse in eſse veri veritate intrinſeca rei denominatæ.

10. Huc etiam ſpectat, quod ibidem docet, & nos etiam docebimus in diſp. 6. de diuerſa denominatione veri, qua denominantur res, quæ veré exiſtunt, & res, quæ veré non exiſtunt. Denominatio *veri*, qua denominantur res, quæ exiſtunt, eſt intrinſeca rebus exiſtentibus, quia veritas eſt eiſdem intrinſeca: é contrarió denominatio *veri*, qua denominantur res veré non exiſtentes, eſt denominatio extrinſeca rebus non exiſtentibus, quibus proptereá non eſt intrinſeca veritas, ſicuti non eſt intrinſecum eſse, quia verum, & ens conuertuntur. Ratio á priori eſt manifeſta iuxta noſtra principia, quæ ſunt communia S. Thomæ, quia res, quæ non exiſtit, non poteſt actu ſuſtinere, niſi denominationem extrinſecam & logicam; nihil enim eſt intrinſecum rei non exiſtenti, vnde poſsit accipere aliquam veram denominationem; vel igitur nulla eſt vera denominatio rei non exiſtentis, vel huiuſmodi denominatio, quæ veré tribuitur rei non exiſtenti, prouenit á forma ſiue veritate extrin-

ſeca rei non exiſtenti: atqui eſt manifeſtum eſse plurimas veras denominationes, quæ tribuuntur rei non exiſtenti: eſt igitur neceſse res non exiſtentes veré denominari ab aliqua forma, ſiue veritate ſibi extrinſeca. Hinc eſt, quód S. Thomas ait, priuationes, & negationes, quæ ſunt res non exiſtentes, non habere in ſe id, vnde ſunt veræ, id enim oritur ex aliqua forma extrinſeca rebus non exiſtentibus. Quia verò apud veteres Philoſophos & præſertim apud S. Thomam familiare erat appellare denominationem extrinſecam denominationem rationis; ad ſignificandum nihil eſſe in re denominatá, quod illi proueniat ex denominatione extrinſeca, ideó idem S. Thomas notanter ait, omnem denominationem, quæ tribuitur non enti, eſſe ex parte intellectus.

11. Ex quibus omnibus efficitur res omnes á Deo diſtinctas ab æterno non habuiſſe aliam denominationem neceſſariam & indefectibilem, niſi extrinſecam relaté ad veritatem æternam & diuinam extrinſecam, & realiter diſtinctam áb omnibus rebus contingentibus.

DI-

DISPVTATIO SEXTA.

De ente negatiuo, & priuatiuo.

CEleberrima eſt diuiſio Entis abſtractiſſimè accepti in poſitiuum, & negatiuum: nomine entis poſitiui intelligitur exiſtentia rei, & nomine entis negatiui non exiſtentia rei, ſiue carentia rei: hinc carentia formæ in ſubiecto capaci eſt priuatio, & carentia formæ in ſubiecto incapaci eſt negatio. De diſcrimine inter negationem, & priuationem nihil dicam in præſenti quia ſatis ſunt ea, quæ docui in tomo 1. diſp. 10. quæſt. 1. & 2. Reſtat igitur, vt controuerſiam communem negationibus, & priuationibus hic decidam, quid nimirum ſit ipſa non exiſtentia rei, ſiuè ens negatiuum commune negationibus, & priuationibus.

QVAESTIO I.

Vtrum dentur à parte rei negationes formales.

1. Inter res, quæ non exiſtunt, adeóque non poſſunt verificare iudicium affirmatiuum de ſui exiſtentiá, aliæ neceſſario, aliæ contingenter non exiſtunt: primi generis eſt quælibet chimæra, nimirum Hircoceruus, & alius Deus: ſecundi generis eſt quodlibet poſſibile, nimirum alius mundus, quem exiſtere eſt poſſibile. Hinc negationes rerum impoſsibilium ſunt neceſſariæ, & contingentium contingentes: quia neceſſe eſt impoſſibile non exiſtere, & contingens eſt poſsibile non exiſtere. Difficultas eſt non leuis, eaque apud plurimos inſuperabilis eſt viſa, quid tandem ſint hæ negationes, quæ negant á parte rei exiſtere tam ea, quæ poſſunt, quám quæ non poſſunt exiſtere. Aliqui Philoſophi cenſentes hunc nodum inexplicabilem non poſſe ſolui, niſi recidatur, ideó ab hac difficultate explananda ſe liberarunt, aſſerentes non dari à parte rei negationes formales, quæ ab intellectu poſſint verè affirmari: quicquid ſit de negationibus fundamentalibus, de quibus non eſt controuerſia. Iuxta hanc opinionem, de qua hic tractare aggredior, nô datur negatio obiectiua lucis, quam tenebras appellamus, nec datur formalis negatio obiectiua viſionis, quæ dicitur cæcitas; ſed tantúm datur negatio formalis intentionalis, quia in mente alicuius intellectus datur hoc iudicium, quod eſt verè negatiuum: *lux*

non

non exiſtit: oculus non habet facultatem videndi.

2. Cauenda eſt in re præſenti æquiuocatio, quę ſolet occurrere inter negationem actiuam, & paſſiuam; hæc enim ſignificat rem negatam, ſiué excluſam, illa rem negantem, ſiuè excludentem: ita in tenebris, quæ ſunt carentia lucis, poteſt conſiderari lux, quæ ab aere excluditur, eaque vocatur negatio paſſiua, & forma lucem excludens, eaque appellatur negatio actiua. Hæc duo vtique diſtinguenda ſi benè diſtinxiſſent præfati authores, in hanc ſententiam non incidiſſent, apud me euidenter falſam, vt mox demonſtrabo. His indicatis.

3. Sit prima concluſio: Negationes paſſiuæ túm neceſſariæ, túm contingentes nec dantur, nec dari poſſunt á parte rei.

4. Hęc concluſio, in qua cum Aduerſarijs conuenimus, hoc ſyllogiſmo demonſtratur. Implicat contradictionem idem ſimul eſſe, & non eſſe, ſed negationem paſſiuam dari à parte rei eſt idem eſſe ſimul, & non eſſe, ergo &c. Minor probatur. Negatio paſsiua lucis eſt lux, quæ non exiſtit, ergo ſi exiſtit negatio paſsiua lucis, eadem lux ſimul exiſtit, & non exiſtit, quod eſt impoſsibile.

5. De hac negatione locutum arbitror Auguſtinum, cuius authoritate aliqui abutuntur, ad noſtrā ſententiam oppugnandam, cum in cap. 4. de Geneſi contra Manichæos hæc habet. *Vbi lux non eſt, tenebræ ſunt, non quia aliquid ſunt tenebræ, ſed ipſa lucis abſentia tenebræ dicuntur: ſicuti ſilentium nec aliqua res eſt, ſed vbi ſonus non eſt, ſilentium dicitur.*

6. Sit ſecunda concluſio. Neceſſe eſt dari á parte rei negationes formales tùm neceſsarias, tùm contingentes earum rerum, quarum ſunt excluſiuæ,

uæ, quæ vocantur negationes actiuæ verè affirmabiles.

7. Probatur primò. Vel non eſt verum obiectiué, & á parte rei alium mundum nunc non exiſtere, vel eſt verum; ſi primum: ergo intellectus, qui nunc dicit alium mundum non exiſtere, dicit falſum: ſi ſecundúm: ergo datur a parte rei negatio formalis excluſiuá alterius mundi, quod ſententiæ, cum qua pugnamus, contradicit. Conſequentia probatur. Illa veritas obiectiua, qua exiſtente verum eſt obiectiué alium mundum nunc non exiſtere, eſt negatio formalis alterius mundi. Ratio á priori eſt, quia illud eſt formalis negatio alterius mundi, quo formaliter intellecto, formaliter intelligitur alium mundum verè non exiſtere, ſiuè cuius exiſtentia eſt formaliter incompoſsibilis cum exiſtentiá alterius mxndi, ſed huiuſmodi veritas eſt formaliter incompoſsibilis cum exiſtentia alterius mundi, eaque formaliter intellecta, intelligitur formaliſsimè alium mundum non exiſtere, vt patet ex terminis, ergo &c. Huiuſmodi veritatem poſse verè affirmari ab intellectu, eſt manifeſtum, túm quia omne verum eſt affirmabile, túm quia non minus eſt verum nunc alium mundum non eſſe, quàm ſit verum eſſe poſſibilem, ſed nunc poteſt veré affirmari poſsibilitas actualis alterius mundi, ergo etiam poteſt affirmari negatio actualis alterius mundi.

8. Summa huius argumenti apud me efficaciſſimi in hoc dilemmate conſiſtit; vel eſt nunc non eſse alterius mundi, vel non eſt: ſi primam partem amplecteris, tibi contradicis; qui dicis nunc non eſse formale non eſſe, ſiué formalem negationem alterius mundi: ſi ſecundum: infero euidenter: ergo nunc eſt alius mundus, quia duæ negationes af-

firmant, adeoque qui negat nunc non eſse alium mundum, affirmat nunc eſse alium mundum. Neque huius dilemmatis robur eludit illa apud Aduerſarios trita; apud me inſulſa diſtinctio de non eſse in eſse rei, & in eſse veri, túm quia idem vrgetur dilemma de non eſse alterius mundi in eſse rei, hoc pacto: vel modo eſt, vel modo non eſt ipſum non eſse alterius mundi in eſse rei, quamcumque partem eligas, vnam enim debes eligere, quia ſunt prædicata contradictoria, in eundem ſcopulum turpiſsimè offendes, túm quia apud me & apud omnes, qui ſapiunt, eſt idem, rem aliquam eſse in eſse rei, ac eſse in eſse veri, res enim & verum conuertuntur, vt oſtendi diſp, 2. qu. 1. nu. 11. & diſp. 4. qu. 3. num. 9.

9. Probatur ſecundó. Verificatiuum formale propoſitionis negatiuæ eſt formalis negatio, ſed datur á parte rei verificatiuum formale propoſitionis negatiuæ, quod eſt veré affirmabile ab intellectu, ergo datur á parte rei formalis negatio. Maior patet, quia verificatiuum formale huius propoſitionis negatiuæ: *chimæra non exiſtit*, eſt ipſa non exiſtentia chimæræ, quæ eſt formalis negatio chimæræ; & verificatiuum formale huius propoſitionis contingentis negatiuæ: *aer non eſt illuminatus*, eſt negatio lucis. Mi: prob: quia propoſitio, cuius verificatiuum non exiſtit á parte rei, eſt falſa: ideò enim falſum eſt Petro non currente Petrum currere, quia curſus Petri ab intellectu affirmatus, adeoque habens exiſtentiam affirmatam, non eſt á parte rei, adeoque non habet exiſtentiam exercitam. Quód autem formale verificatiuum propoſitionis negatiuæ ſit verè ab intellectu affirmabile, manifeſtum eſt primó, quia poteſt veré ab intellectu affirmari quidquid veré exiſtit: ſecundó, quia

cæ-

cæcitas, quæ formaliter verificat propoſitionem negatiuam viſionis de oculo, tenebræ, quæ formaliter verificant propoſitionem negantem lucem de aere, poſſunt veré ab intellectu affirmari, vt patet.

10. Probatur tertiò. Quicumque veré negat, non ſolúm negat prędicatum de ſubiecto, ſed etiam cognoſcit, & affirmat ſe negare veré, quia intellectus non poteſt moueri niſi á vero, ſicuti voluntas non poteſt moueri niſi á bono: intellectus enim eſt potentia reflexiua ſupra ſuos actus, adeóque dum cognoſcit aliquod obiectum, non ſolúm illud cognoſcit, ſed etiam cognoſcit ſe cognoſcere, adeoque reflectit ſupra ſuam cognitionem, vt conſtat ex tomo 3. diſp. 15. quæſt. 1. Quæro nunc, an intellectus, qui veré negat aerem eſſe illuminatum, cognoſcat ſe hoc ipſum verè negare? Si cognoſcit, vt ex natura intellectus probatum eſt cognoſcere, ergo intellectus cognoſcens ſe verè negare, id ipſum cognoſcendo affirmat, non enim poteſt intellectus non affirmare verum cognitum, vt verum, ergo intellectus affirmat ſe veré negare aerem eſſe illuminatum. Hinc eſt, quód nullus actus eſt puré negatiuus, ſed omne iudicium negatiuum includit affirmationem eo modo, quo docet S. Thomas in prima 2. qu. 29. art. 2. in odio includi amorem, adéóque nullum dari actum voluntatis, qui non ſit amor alicuius boni. Suppoſita hac doctrina demonſtratur concluſio. Negatio intentionalis, qua intellectus negat vnum de alio, debet imitari negationem obiectiuam, per quam illud, quod realiter negatur, excluditur à multitudine rerum exiſtentium, quia enim intellectus intelligendo fit omnia, debet intentionaliter repræſentare omnia, quæ ſunt phyſicè extra intellectum, & quia extra intellectum alia ſunt actualiter, alia poſſibiliter,

liter, alia poſitiué, alia negatiué, ideó debet intellectus continere omnia tàm actualia, quàm poſſibilia, poſitiua, & negatiua intentionaliter, adeóq; pér iudicium affimatiuum continet intentionaliter eà, quæ habent eſſe reale actuale extrà intellectum, & per iudicium negatiuum ea, quæ non habent eſſe actuale extrá intellectum. Negationes igitur obiectiuæ formales dantur à parte rei veré affirmabiles per actum intellectus negantis eſſe á parte rei illas res, quarum ſunt negationes; ſicuti enim intellectus, dum dicit lucem non eſſe in aere, negat lucem de aere, & ſimul reflectendo ſupra hanc negationem, ait verum eſſe, quód aer caret lumine; ita à parte rei, ſiué realiter lux non eſt in aere, & verum eſt obiectiuè, ſiué realiter lucem non eſſe in aere: ſed iſta veritas obiectiua eſt affirmabilis ab intellectu, & eſt formalis negatio lucis: ergo dantur à parte rei negationes fomales veré affimabiles.

11. Hinc colliges non ſolùm dari negationem intentionalem, quæ eſt iudicium intellectus negantis prædicatum dè ſubiecto, ſed etiam dari extrá intellectum negationem formalem obiectiuam, quæ verificat iudicium, & eſt veré affirmabilis non minús, quàm alia veritas realiter exiſtens; quiá vero negatio intentionalis eſt duplex, alia contingens, quæ negat de ſubiecto prædicatum poſſibile, vt *aer non eſt illuminatus*; alia neceſſaria, quæ negat prædicatum impoſsibile: vt *Hircus non eſt Ceruus*: ideó duplex datur negatio obiectiua, vna contingens, alia neceſsaria, quæ eſt negatio Hircoceruí: vtraque eſt veré ab intellectu affirmabilis, eó quód negatio intentionalis, quæ eſt imago quædam negationis obiectiuæ, includit eſſentialiter aliquam affirmationem, quia eſt reflexa ſui affirmatio.

12. Scio

12. Scio aduerſus hanc doctrinam multa poſſe opponi, quæ partim in præſenti, partim in ſequentibus quæſtionibus ſunt ſoluenda. Præcipua argumenta, quibus noſtra vrgetur ſententia, ſunt ea, quæ ſequuntur.

13. Primò: Per hoc præcisè, quód non ſit alius mundus, verificatur proproſitio negans alium mundum exiſtere; ergo ad veritatem propoſitionis negatiuæ, ſiué negationis intentionalis, non requiritur formalis negatio obiectiua; ergo non dantur negationes formales obiectiuæ. Conſequentia probatur. Non eſſe alterius mundi verificat formaliter hanc propoſitionem: *alius mundus non exiſtit*: ergo non eſſe alterius mundi non eſt aliqua negatio formalis alterius mundi: ergo &c.

14. Secundó: implicat contradictionem verificari hoc iudicium: *alius mundus non exiſtit*: per aliquid veré exiſtens: ergo implicat requiri ad veritatem huius iudicij negationem formalem realiter exiſtentem. Antec: prob: Implicat iudicium, quod negat aliquid exiſtere, verificari per aliquid exiſtens; ſed hoc iudicium negat aliquid exiſtere; ergo implicat verificari per aliquid exiſtens.

15. Tertiò: implicat in terminis exiſtere id, quod eſſentialiter non exiſtit: ſed negatio formalis alterius mundi eſſentialiter non exiſtit: ergo implicat eam exiſtere. Min: prob: Negatio formalis alterius mundi eſt mundus non exiſtens, prout non exiſtens; ſed mundus non exiſtens, prout non exiſtens eſſentialiter non exiſtit: ergo &c.

16. Quartó: implicat exiſtere id, quod non eſt ens, quia conceptus entis, & conceptus exiſtentis ſunt conuertibiles; ſed negatio formalis alterius mundi non eſt ens: ergo implicat eam exiſtere. Min: prob: Non ens non poteſt eſſe ens;

ſed

ſed negatio eſt non ens: ergo non eſt ens. Confirmatur. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis;ſed propter negationem alterius mundi alius mundus non exiſtit: ergo negatio non exiſtit.

17. Quintò: repugnat, vt negabilitas ſit affirmabilitas; ſed negatio obiectiua alterius mundi eſt negabilitas alterius mundi: ergo non poteſt eſſe affirmabilitas: ergo qui dicit exiſtere negationem verè affirmabilem, ſibi contradicit. Confirmatur. Qui negat, non affirmat: ergo iudicium negatiuum, ſiuè negatio intentionalis non includit affirmationem: ergo idem dicendum de negatione obiectiua.

18. Vltimò: propoſitiones prolatæ ſignificatione negatiua, quæ ſine controuerſia verificantur per aliquid obiectiuè affirmabile, ſunt ſimpliciter affirmatiuæ, vt patet in his propoſitionibus: *Deus non eſt imperfectus, nullus homo non eſt albus,* quæ æquiualent iſtis ſimpliciter affirmatiuis: *Deus habet omnem perfectionem, aliquis homo eſt albus:* ergo vel non dantur propoſitiones ſimpliciter negatiuæ, vel verificantur per aliquid obiectiuè non affirmabile: ergo ex negatione intentionali non poteſt argui exiſtentia negationis obiectiuæ.

19. Ad primùm reſpondetur; concedo ant: & nego conſeq: cuius contradictorium euidenter infertur, vt oſtendo. Non eſſe verè alium mundum eſt formaliſsimè eſſe nunc negationem formalem alterius mundi; ſed hæc propoſitio, *alius mundus non exiſtit:* non poteſt verificari, vt inquit arguens, niſi alius mundus verè non exiſtat, ergo non poteſt verificari ſine formali negatione alterius mundi, adeóquè argumentum retorquetur. Ad probationem conſequentiæ: concedo ant: & diſt: conſeq:

non

non eſſe alterius mundi ſecundùm id, pro quo ſupponit hæc denominatio, non eſt aliqua negatio formalis alterius mundi; conc: conſeq: ſecundùm id, quod ſignificat, & pro quo non ſupponit: nego conſeq: Denominatio mundi non exiſtentis duo ſignificat, nimirùm ſubiectum, quod denominatur, & formam denominantem; ſicuti denominatio mundi poſſibilis, & chimæræ impoſſibilis, vt docui in diſp. 3. qu. 3. ſignificat tùm ſubiectum, quod denominatur, tùm formam, quæ denominat. Subiectum huius denominationis, pro quo ſupponit, & vocatur res denominata, eſt alius mundus, qui negatur, & excluditur á numero rerum exiſtentium: forma denominans, quam ſignificat, & pro qua non ſupponit prædicta denominatio, eſt illa res, quæ negat, & excludit alium mundum. Iuxta hanc diſtinctionem inter illud, pro quo ſupponit denominatio mundi non exiſtentis, & illud, quod tantùm ſignificat eadem mundi non exiſtentis denominatio, ſiuè inter rem denominatam, & formam denominantem, euidens eſt realiter, & obiectiué non exiſtere alium mundum, qui negatur, & eſt ſubiectum denominationis, ſiué res denominata: prætereá euidens eſt exiſtere obiectiué, & realiter id, quod veré denominat alium mundum non exiſtentem; aliter falſa eſſet propoſitio negatiua de exiſtentia mundi. Huiuſmodi veritas eſt negatio formalis alterius mundi, quam data opera vocaui negationem actiuam, ne confunderetur cum negatione paſſiua, quæ eſt mundus negatus, qui vtique non exiſtit. Hinc eſt, quód ſicuti mundus poſſibilis ſecundùm id, pro quo ſupponit actu non exiſtit, quia ſupponit pro mundo, ſecundùm id, quod ſignificat, exiſtit, quia ſignificat poſſibilitatem actu exiſtentem,

quam

quam ibidem quæſt.4. demonſtraui eſſe Omnipotentiam Dei, ità mundus non exiſtens ſecundùm id, pro quo ſupponit, quod eſt negatio paſſiua, verè non exiſtit, ſecundùm id, quod tantum ſignificat, quod eſt negatio actiua, ſiué res negans, veré exiſtit.

20. Ad ſecundùm: nego ant: Ad eius probationem diſt: ma: Implicat verificari mundum non exiſtere, per aliquid exiſtens intrãſitiué, nego ma: tranſitiué: conc: ma: & mi: & diſt cõſeq: per aliquid exiſtens tranſitiuè, conc: cõſeq: intranſitiué: nego conſeq: Negatio formalis obiectiua alterius mũdi exiſtit intranſitiuè, quia eſt exiſtentia ſui, ſiuè identicé habet exiſtentiam, non exiſtit tranſitiué, quia non eſt exiſtèntia illius rei, quam negat, eo fermé pacto, quo diuina gratia eſt ſancta non intranſitiué, quia non eſt ſánctitas ſui, ſed tranſitiué, quia eſt ſanctitas animæ, quam denominat ſanctam.

21. Ad tertiúm conc: ma: & nego mi: Ad eius probationem diſt: ma: eſt mundus non exiſtens ſecundúm id, pro quo ſupponit mundus non exiſtens: nego ma: ſecundúm id, quod ſignificat: conc: ma: & diſtincta ſimiliter min: nego conſeq:

22. Ad quartùm diſt: mai: implicat exiſtere id, quod non eſt ens intranſitiué: conc: ma: tranſitiué: nego ma: & diſtincta ſimiliter min: nego conſeq: Negàtio, quæ negat, ſiué excludit alium mundum, eſt aliqua veritàs nunc exiſtẽs phyſicé, & ab intellectu affirmabilis; res autem, cuius eſt negatio, non exiſtit phyſicé, ſed tantum logicé, vt euidens eſt, ideò negatio alterius mundi eſt non ens tranſitiuè, quia in genere cauſæ formalis facit mundum non exiſtere; eadem eſt ens intranſitiué, quia ipſa eſt ſui exiſtentia; id enim eſt adeó verum, vt ſi ipſa non exiſteret, mundus exiſteret, qui negatur exiſtere.

23. Ad quintum: diſt: ma: implicat negabilitatem eſſe affirmabilitatem ſui, ſiué tranſitiué: nego ma: rei, cuius eſt negabilitas, ſiué tranſitiuè: conc:ma: Omnia huiuſmodi argumenta, vt apertè conſtat, laborant æquiuocatione inter ſignificationem tranſitiuam, & intraſitiuam: negatio obiectiua alterius mundi eſt negabilitas tranſitiué, & ſimul eſt affirmabilitas intranſitiué: ratio primi eſt, quia eſt negabilitas alterius mundi, vnde ſequitur exiſtentiam alterius mundi non poſſe veré affirmari: ratio ſecundi eſt, quia eſt affirmabilitas ſui, eſt enim veré affirmabilis illa veritas obiectiua, quæ negat, & excludit alium mundum, adeóque logicé, & extrinſecé denominat alium mundum non exiſtentem. Itá Omnipotentia Dei, quæ eſt impoſſibilitas chimæræ, non eſt talis, vt de ea poſſit veré prædicari impoſſibilitas intranſitiué, ſed ſolùm tranſitiué; quatenùs eſt non repugnantia intrinſeca ſui, & repugnantia extrinſeca chimæræ.

24. Ad confirmationem: diſt: ſimiliter ant: qui negat, non affirmat tranſitiué: conc: antec: intranſitiué: nego ant: Demonſtratum eſt, num. 10. nullum actum intellectus eſſe adæquaté negatiuum, eó quòd intellectus negando falſum affirmat verum; ſicuti voluntas odio habendo malum, amat bonum. Ratio huius radicalis eſt, quia non minùs intellectus eſt facultas cognoſcens verum vniuerſale, quàm voluntas ſit facultas appetens bonum vniuerſale; vtraque enim eſt immaterialis, adeóque extendit ſe ad totam amplitudinem entis: ratio igitur boni, quæ eſt ratio formalis, á qua mouetur voluntas, inueniri debet in quolibet voluntatis motu; & ratio veri, quæ eſt ratio formalis, á qua mouetur intellectus, inuenitur in omni motu intelle-

tellectus. Quia verò æqué verum dicit intellectus affirmando verum, àc negando falſum, ficuti voluntas æqué amat bonum per proſecutionem boni, ac per fugã á malo; ideó intellectus quoties per iudicium negatiuum prædicatum negat de ſubiecto, affirmat aliquod vérum. Ex hoc diſcurſu ſequitur philoſophandum eodem modo de negatione obiectiua, ea enim licet ſit negabilitas alterius rei à ſe diſtinctæ, non eſt negabilitas ſui.

25. Vrgebis: negatio intentionalis quatenús negatio eſt, non eſt affirmatio, ergo negabilitas obiectiua quatenús negabilitas, non eſt affirmabilitas: ergo implicat contradictionem negatio formalis veré affirmabilis.

26. Reſpondetur: diſt: ant: non eſt negatiué; nego ant: non eſt præciſiué: conc: ant: & diſt: eodem modo conſeq: Quemadmodum negatio intentionalis habet duas formalitates realiter indiſtinctas, & formaliter diſtinctas, nimirùm negationem alterius rei, & affirmationem ſui, ita negatio obiectiua habet duas formalitates diſtinctas formaliter, & indiſtinctas realiter; nimirùm negabilitatem rei á ſe diſtinctæ, & affirmabilitatem ſui: indé eſt, poſſe ab intellectu cognoſci vnam formalitatem, alia formaliter non cognita; vt de omnibus formalitatibus realiter diſtinctis docui in tomo 1.diſp.3. Ratione huius diſtinctionis negabilitas formaliter, & præciſiué non eſt affirmabilitas, licet realiter, & poſitiué ſit affirmabilitas; adeóque negabilitas quatenùs negabilitas non eſt affirmabilitas, quia particula reduplicátiua appellat ſenſum non poſitiuum, & realem, ſed præciſiuum, & formalem, eo pacto, quo animal, quod eſt in homine, quatenùs animal, non eſt rationale, etiamſi realiter ſit rationale.

27. Ad vltimum: conc: ant: & nego conſeq: Propoſitiones affirmatiuæ differunt à negatiuis ſolúm inadæquaté: ratio eſt, quia propoſitio negatiua includit enſſentialiter affirmatiuam, ſed non è contrariò, affimatiua enim eſt adæquaté affirmatiua, negatiua veró eſt partim affirmatiua, & partim negatiua; adeóque ſimpliciter negatiua, ſicuti odium includit amorem; ſed amor vice verſa non includit odium.

QVAESTIO II.

Vtrùm negationes formales ſint entia abuſiua.

1. OStenſum eſt dari á parte rei negationes formales, quæ poſſunt ab intellectu veré affirmari: ſupereſt demonſtrandum, quid ſint, entia ne poſitiua, an abuſiua. Celebris eſt ſententia, quæ veritates obiectiuas realiter, & phyſicé exiſtentes, & ab intellectu veré affirmabiles, duas diſtinguit in claſſes: aliquas appellat res poſitiuas, quas in eo genere rerum collocandas opinatur, in quo eſt ens diuiſum ab Ariſtotele in decem Prædicamenta, alias appellat entia abuſiua, ſiué diminuta, adeó vt eſſe abuſiuum additum enti non diſtrahat, ſed diminuat eiuſdem ſignificationem. In hoc genere rerum ponunt Authores, qui ſunt in hac ſententia, negationes, & priuationes formales, de quibus rogati, an ſint appellandæ res, reſpondent non eſſe vocandas res poſitiuas in eo ſenſu, in quo appellat Philoſophus ens poſitiuum quidquid in decem Prædicamentis continetur, ſed eas appellant entia abuſiua quatenús ens diuiditur in

verum,

verum, & falſum, poſſunt enim verè affirmari ab intellectu, & in rerum natura nihil aliud præſtant, quám includere illud ens, adeòque non habent aliud eſſe, niſi quoddam eſſe, quod vocant malignum, & malitioſum. His, & alijs id genus verbis conantur venalia incautis exponere Auditoribus entia abuſiua huiuſmodi Philoſophi: cæterum perfectam entis abuſiui, ſiuè diminuti intelligentiam (quantum potui coniectura aſſequi) nunqaam tradunt, quia re vera nulla eſt, ſed plurimis verborum inuolucris vtuntur ad rem iſtam totam inexplicatam relinquendam, adeòque quaſdam voces ſignificatione vacuas vſurpando videntur verbis ludere, & ſpecioſa quędam nomina veritatibus nullatenús exiſtentibus imponere.

2. Hanc ſententiam originem traxiſſe arbitror à Schola Scotiſtica, cui ſemper familiare fuit huiuſmodi minimas, & exiguas entitates, quæ habent eſſe medium inter eſſe intrinſecum, quod eſt eſſe reale, ſiuè primó intentionale, & eſſe puré extrinſecum, quod eſt eſſe logicum, ſiuè ſecundó intentionale in Philoſophiam introducere ad verificandas reales denominationes entis poſſibilis, & impoſſibilis: quidquid ſit de mente ſubtilis Doctoris Scoti, quem in animum mihi ſemper induxi fuiſſe valdé alienum ab huiuſmodi rebus, & diſtinctionibus medium tenentibus locum inter diſtinctionem rationis, ſiué extrinſecam, & realem, ſiuè intrinſecam.

3. Iuxta hanc ſententiam, quam expreſsé docet P. Comptonus vná cum alijs recentioribus, quos ipſe recenſet diſputatione XVIII. logicæ, fatendum eſt ab æterno, quandò nimirúm Deus, ſe vno (vt docet fides) perfectè cōtentus fœliciſſimam in ſui contemplatione agebat vitam, innumeras

 pullu-

pullulaſſe veritates obiectiuas, quæ excludebant omnia, quæ in præſenti exiſtunt, immó poſſunt exiſtere, & poterant veré affirmari ab intellectu, eaſque fuiſſe entia abuſiua. Hæc ſententia ſuaderi poteſt ſequentibus argumentis.

4. Primó: negatio formalis obiectiua alterius mundi, vel non exiſtit, vel eſt ens abuſiuum, ergo negationes formales ſunt entia abuſiua. Antecedens prob: quia ſi exiſtit, vtique habet eſſe oppoſitum alteri mundo, quem excludit, ſed alius mundus ſi nunc exiſteret, haberet eſſe poſitiuum, ergo eius negatio ſi veré exiſtit, habet eſſe abuſiuum, ergo &c.

5. Secundó: habere eſſe abuſiuum nihil eſt aliud formaliſſimé, quám habere eſſe affirmabile, quod maligné excludit aliud eſſe, ſed negatio formalis alterius mundi habet tantùm eſſe affirmabile, quod maligné excludit aliud eſſe, ergo negatio formalis alterius mundi habet eſſe abuſiuum.

6. Tertió: illud tantúm eſſe habet negatio alterius mundi, quod concipitur ab intellectu cognoſcente alium mundum non exiſtere, ſed ab huiuſmodi intellectu nihil aliud cognoſcitur, quám eſſe puré excluſiuum alterius mundi, ergo idem quod priús.

7. Quartó: non repugnat eſſe in rerum natura aliquid ab intellectu affirmabile, & ſimul nullum aliud prædicatum habens, quám excludere aliud ens, ſed huiuſmodi eſt ens abuſiuum, ergo non repugnat ens phyſicé exiſtens, quod ſit abuſiué ens, ergo &c.

8. Vltimo: ſi negatio quatenús negatio eſt, habet aliud eſſe præter eſſe excluſiuum, negatio non eſt negatio: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Sequela probatur. Negatio, quæ eſt negatio,

gatio talis eſt, vt habeat illud tantum eſſe, quod pertinet ad conceptum formalem negationis; ſed ad conceptum formalem negationis pertinet ſolùm eſſe excluſiuum; ergo negatio, quæ habet aliud eſſe præter eſſe excluſiuum, non eſt negatio. Confirmatur, quia aliter ens negatiuum confunditur cum ente poſitiuo, quod repugnat. Contrà hanc ſententiam.

9. Vnica ſit concluſio. Negationes formales neque ſunt, neque poſſunt eſſe entia abuſiua, quæ dentur á parte rei, & verificent propoſitiones negatiuas.

10. Probatur primò: vel non dantur á parte rei, & obiectiué negationes formales, vel ſunt entia poſitiua, & habent quidquid ſpectat ad formalem conceptum entis poſitiué exiſtentis, non minùs quám vnio determinans formaliter materiam, & formam ad mutuam perfectionem ſibi communicandam, vbicatio, duratio, & alia id genus, quæ citra controuerſiam habent eſſe poſitiuum licet tenuiſſimum, & valdè imperfectum, ergo negationes formales non ſunt entia abuſiua. Antecedens probatur. Eſſe negationis formalis vel eſt, nihil, vel non eſt nihil: ſi primum dicis, euidenter tibi contradicis, qui ſimul aſſeris negationem formalem exiſtere á parte rei, quia id, quod nihil eſt, non eſt, nec phyſicè exiſtit, eſt enim notum ex terminis phyſicè non exiſtere, quod realiter nihil eſt. Si dicis ſecundum; tibi etiam contradicis, dum negas huiuſmodi negationem habere eſſe poſitiuum; quidquid enim habet eſſe contradiſtinctū á nihilo, vtiq; habet eſse poſitiuum; cum participet diuinum eſse, adeóque factum ſit ad aliquam imitationem illius entis, quod excludit omnem defectum, & includit in ſe quidquid contine-

tur in tota entis amplitudine, ergo dicere negationem formalem phyſicé, & realiter exiſtere, eamque eſſe ens abuſiuum, eſt ſibi contradicere, ergo &c.

11. Vrgeo inſtantiús argumentum. Repugnat negationem formalem phyſicé exiſtentem eſſe eſſentialiter nihil, aliter eſſet chimæra, quia quod eſſentialiter nihil eſt, chimæra eſt: quis autem dicere audeat negationem chimæræ eſse chimeram? ergo negatio formalis phyſicé exiſtens eſt eſſentialiter aliquid: ergo eſſentialiter eſt ens, quatenús ens habet prædicata propria ſibi intrinſeca, & in decem Prædicamenta diuiditur, quia nemo vnquam vocauit in dubium, an ad aliquod ex Prædicamentis, in quibus omnia creata, vno duntaxat Deo excepto, qui ſub nullo continetur genere, ſed eſt ſupra omne genus, continentur, debeat ſpectare illud, quod phyſicé exiſtit, & eſſentialiter non eſt nihil. Certé non video, cur eſſe poſitiuum habere debeat vnio, quæ eſt vinculum formæ cum materia, non habeat négatio formalis chimæræ, vel alterius mundi, quæ intrinſecé excludit chimæram, & perficit intellectum, eumque determinat, ac mouet ad verum affirmandum, dum negat chimæram exiſtere?

12. Prætereá ad hominem arguo, & ab huiuſmodi Philoſophis, qui adhærent huic ſententiæ, peto, an negationes formales habeant aliqua prædicata ſibi intrinſeca, veré affirmabilia: reſpondent habere, ſed impropríé, & abuſiuè, non propríé, & poſitiué: infero, ergo habent aliqua prædicata ſibi intrinſeca propriè, & poſitiué, adeóque non ſunt entia merè abuſiua. Probo conſeq: Vel nulla habent prædicata ſibi intrinſeca impropríé, & abuſiuè, vel habent aliqua propríé, & poſitiué,

tiuè, non primum; vt fatentur; ergo ſecundum, quod negant. Maior prob: quia fieri non poteſt, vt improprié prædicetur aliquid de eo, de quo nihil propriè prædicatur: ità ridere, quod impropriè dicitur de prato veſtito floribus, fundatur in viriditate, quæ proprié de eodem dicitur, & indignari, quod metaphoricé de flumine dicitur ponti ſibi impoſito obluctante, fundatur in impetu, qui propriè conuenit aquis ſe in mare præcipitantibus: eodem pacto eſſe extrinſecum neceſse eſt fundari in aliquo eſse intrinſeco, á quo procedit denominatio extrinſeca.

13. Probatur ſecundó: eſse abuſiuum, quod cònuenit enti negatiuo, vel inuoluit eſsentialiter aliquam perfectionem, vel nullam; ſi aliquam inuoluit; ergo eſt ens poſitiuum, quia habere aliquam perfectionem eſt eſsentialiter participare diuinam perfectionem, adeóque habere eſse poſitiuum, quod formaliſſimè eſt participatio diuinæ bonitatis, & perfectionis: ſi nullam perfectionem inuoluit: ergo habet eſse eſsentialiter inutile, & ſuperfluum, quia nihil poteſt fingi magis inutile, & ſuperfluũ, quám id, quod caret omni perfectione, & bonitate: quid enim eſt aliud ens inutile, quám ens ad nullum finem conducens? Addo huiuſmodi ens, quod appellant abuſiué ens, non poſse eſse inutile, ac ſuperuacaneum; quia ſi exiſtit, debet procul dubio eſse factum: quidquid enim non eſt factum, vel Deus, vel nihil eſt, quia ſi exiſtit, Deus eſt, ſi non exiſtit, nihil eſt: quód ſi eſt factum, vtique á Deo eſt factum, á quo neceſse eſt fieri omne id, quod fit, ne dicamus rem fidei, ac rationi repugnantem, nimirùm aliquid eſse factum, quod á Deo factum non eſt: quód ſi á Deo concedis factum, teneris neceſſitate conſequentiæ concede-

cedere non eſſe inutile, atque ſuperfluum, nè dicas à Deo, qui omnia in numero, pondere, & menſura condidit, aliquid eſſe factum eſſentialiter inutile, ac ſuperfluum, quod pugnat euidenter cum Philoſophia docente Deum, & naturam nihil facere fruſtrà. Confirmatur, & promouetur idem argumentum. Quis eſt, qui dicat negationem chimæræ eſſe aliquid in rerum natura eſſentialiter ſuperfluum, & inutile? Quomodo enim fieri poteſt, vt ſit ſuperfluum id, quod eſt neceſſarium? Quomodo ſuperfluum id, quod ſi non eſſet, nullum foret inconueuiens, quod ſimul non eſſet? Si enim non eſſet negatio chimæræ, eſſet chimæra, ex qua vtique omnia inconuenientia in mundum irrumperent? Rurſus quis eſt, qui dicat negationem alterius mundi eſſe inutilem, & ſuperfluam? Quód ſi ſuperflua non eſt, aliquid bonitatis, & perfectionis habet, adeòque habet eſſe poſitiuum, & reale, cum de formali conceptu rei habentis perfectionem ſit poſitiuè exiſtere, hoc eſt diuinum eſse imitari, quod eſt perfectiſſimum, & infinitum eſse.

14. Prætereá implicat contradictionem, Deum, qui non habet indigentiam alicuius á ſe diſtincti ad exiſtendum, indigere aliquo ente phyſicé exiſtente, nullamque perfectionem habente, facta ſuppoſitione, quod nihil extrá ſe velit exiſtere, adeóque nihil creare: ſed ſi negatio formalis eſset aliquod ens abuſiuum nullam habens perfectionem, Deus haberet huiuſmodi indigentiam, ergo implicat contradictionem hoc eſse abuſiuum. Minor probatur. Fieri non poteſt, vt Deus nihil velit creare, & ſimul non exiſtat aliquid á Deo diſtinctum, quod ſit formalis negatio cuiuſcun que rei creatæ: ſed huiuſmodi negatio eſt aliquod ens abuſiuum,

ſiuum phyſicé exiſtens, nullamque includens perfectionem, vt docent hi Philoſophi, ergo in ea hypotheſi, in qua Deus nihil voluiſset creare, non potuiſset exiſtere, niſi exiſteret extrá ipſum Deum aliqua res carens omni perfectione, adeóque Deus non eſt ens ab omni ente perfecté independens, cum habeat neceſſitatem alicuius á ſe diſtincti ad exiſtendum, quod repugnat infinitæ perfectioni entis ſummé independentis.

15. Probatur vltimo: illud, quod eſt verum, vnum, & bonum, eſsentialiter eſt ens poſitiuum; ſed negatio formalis tám contingens, quám neceſsaria exiſtens phyſicé á parte rei, habet eſsentialiter bonitatem, veritatem, & vnitatem; ergo eſsentialiter habet eſse poſitiuum. Maior probatur, quia bonum, verum, & vnum ſunt proprietates metaphyſicæ indiſtinctæ ab ente poſitiuo. Minor probatur, quia negatio tám chimæræ, quám alterius mundi eſt veré cognoſcibilis, & affirmabilis ab intellectu, ergo habet veritatem obiectiuam. Præterá bonum eſt alium mundum non exiſtere, & bonum eſt chimæram non exiſtere, alioquin Deus, qui vult alium mundum non exiſtere, vellet aliquid non bonum: ergo eadem negatio habet in diſtinctam á ſe bonitatem, quæ per omnia rerum genera vagatur: rursús eadem negatio eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa á quacumque alia negatione, eo modo ſcilicét, quo Petrus eſt ens in ſe indiuiſum, & á quocumque alio diuiſum; ergo habet vnitatem tranſcendentalem. Confirmatur, quia datur aliqua negatio, quæ neceſſarió exiſtit, ſicuti negatio rerum impoſſibilium, & poſſunt dari negationes contingentes æternæ, vt eſſet in ea hypotheſi, in qua Deus nihil creare voluiſſet, eſt autem euidenter falſum dari aliquid á parte rei, quod neceſſa-

ceſſarió, vel contingenter exiſtat, & tamen nullam habeat perfectionem. Indè eſt in negatione formali alterius mundi, & cuiuſcumq; rei poſitiuę duo prædicata poſse conſiderari realiter indiſtincta; vnum, per quod negat exiſtentiam alterius mundi, aliud, per quod ponit in genere cauſæ formalis veritatem incompoſſibilem cum alio mundo; primum prædicatum nullam inuoluit perfectionem, ſecundum inuoluit, ideó negatio phyſicè exiſtens non eſt ens puré abuſiuum malitioſè excludens aliud eſse. Vndè patet ſolutio ad argumenta contraria.

16. Ad 1 nego antec: Ad eius probationem: diſt: mai: habet oppoſitionem in genere entis: nego ma: in genere talis entis: concedo ma: & min: & nego conſeq. quia negatio alterius mundi & alius mundus opponuntur in ratione veritatis affirmabilis, vt docent Aduerſarij, adeóque retorquetur argumentum. Oppoſitio, quam habet negatio formæ cum forma, conſiſtit præcisè in earum incompoſſibilitate, quidquid ſit, an vtraque habeat eſse poſitiuum. Ratio à priori eſt, túm quia oppoſitio negationis cum forma in eo præcisé conſiſtit, quód negatione exiſtente forma non exiſtat, & negatione non exiſtente forma exiſtat; ſed per hoc præcisé, quód negatio formæ ſit incompoſſibilis cum forma, non exiſtente negatione exiſtit forma, & negatione exiſtente forma non exiſtit; ergo &c. túm quiá negationem alterius mundi opponi alteri mundo nihil aliud eſt, quám veritatem obiectiuam indiſtinctam ab alio mundo excludi per defectum non cuiuſcumque veritatis, id enim euidenter repugnat, ſed per eiuſdem veritatis defectum, ergo oppoſitio negationis mundi cum mundo non excludit á negatione quod-

quodcumque eſse poſitiuum, ſed ſolúm illud eſse, quod alius mundus includit.

17. Ad 2. conc: mai: & diſt: min: habet eſse affirmabile tantúm negatiué: nego min: tantúm præciſiué: conc:min: & nego conſeq: Illa particula excluſiua *tantum* poteſt accipi in ſenſu negatiuo, quatenús ſignificat negationem alterius mundi nihil aliud realiter habere, quám prædicatum excludendi alium mundum. In hoc ſenſu propoſitio eſt euidenter falſa, quia negatio actiua alterius mundi realiter exiſtit, adeóque habet realiter omnia prædicata, quæ conuertuntur cum ente. Eadem particula poteſt accipi in ſenſu præciſiuo, quatenús affirmat prædicatum excludendi, & præſcindit ab alijs prædicatis: in hoc ſenſu propoſitio eſt vera, ſicuti hæc propoſitio *animal eſt tantum principium ſentiendi*, eſt vera, ſi ly *tantum* accipitur præciſiuè, falſa, ſi negatiué.

18. Ad tertium; diſt: ma:: illud tantúm eſſe habet negatio mundi, quod ab intellectu cognoſcente alium mundum non exiſtere, cognoſcitur formaliter, vel arguitiué: conc: ma: formaliter tantúm, nego ma: & diſtincta mi: nego conſ: Negatio alterius mundi duas habet formalitates, quarum vna eſt excludere alium mundum, eumque negare; altera eſt includere ſeipſam, & habere prædicata intrinſeca propria rei poſitiuæ, nimirum bonitatem, veritatem, & vnitatem tranſcendentalem. Huiuſmodi formalitates; ſunt indiſtinctæ realiter, & diſtinctæ formaliter, ſicuti animalitas, & rationalitas hominis: indé eſt, quód ab intellectu, qui cognoſcit pręcisè alium mundum non exiſtere, cognoſcitur formaliter negatio quatenús præcisè excludit, & negat alium mundum, quod eſt cognoſcere ſolam formalitatem excluſiuam mundi, argui-

arguitiuè veró cognoſcitur alia formalitas, quæ eſt indiſtincta realiter ab hac formalitate; ſicuti intellectus, qui cognoſcit hominem eſſe principium diſcurrendi, formaliter cgnoſcit ſolam rationalitatem, arguitiuè veró cognoſcit riſibilitatem, quæ eſt realiter indiſtincta à rationalitate.

19. Ad quartum: nego antec: Oſtenſum eſt implicare contradictionem ens puré abuſiuum, quia repugnat idem ſimul habere, & non habere eſſe poſitiuum; ſedhuiuſmodi ens quatenús habens prædicata ſibi intrinſeca, habet eſſe poſitiuum, quatenús eſt abuſiuè ens, non habet eſſe poſitiuum, ergo repugnat.

20. Ad vltimum: nego ſequelam ma: ad eius probationem diſt: ma: quod pertinet ad conceptum formalem negationis cognitæ conceptu adæquato, & non præciſiuo: conc: ma: cognitæ conceptu inadæquato, & præciſiuo: nego ma: & diſt: mi: ad conceptum formalem negationis cognitæ conceptu adæquato, & non præciſiuo pertinet ſolúm eſſe excluſiuum: nego mi: cognitæ conceptu inadæquato, & præciſiuo: conc: mi: & nego conſ: Animalitas hominis eſt principium non ſolúm ſentiendi, ſed etiam diſcurrendi, ideó cognita conceptu adæquato, & non præciſiuo cognoſcitur, & definitur eſſe principium ſentiendi ſimul, & diſcurrendi, licet cognita conceptu inadæquato, & præciſiuo cognoſcatur eſse tantúm principium ſentiendi. Idem contingit in re præſenti de negatione formali alterius mundi, quæ ſi cognoſcatur ſolum quatenús excludit alium muudum, cognoſcitur inadæquaté, & præciſiuè; ſi veró cognoſcatur quatenús habet eſse intrinſecé affirmabile, verum, bonum, & vnum, ſicuti quodcumque aliud ens, cognoſcitur conceptu adæquato, & non præciſiuo.

uo. Ex eo autem, quód intellectus cognoſcens inadæquatè,& præciſiuè negationem alterius mundi, cognoſcit tantúm eſſe excluſiuum mundi, non poteſt inferri negationem alterius mundi non habere phyſicè, & realiter aliud eſſe, quám excludere alium mundum, quia non valet conſequentia á ſenſu formali ad ſenſum realem, non enim benè arguitur *animal formalite non eſt rationale, ergo animal realiter non eſt rationale.* Hinc patet non confundi ens poſitiuum cum ente negatiuo, quia eſſe excluſiuum, ſiuè negatiuum alterius mundi, licet in ſenſu reali ſit idem cum eſſe incluſiuo, ſiuè poſitiuo rei á mundo diſtinctæ, & incompoſsibilis cum mundo, vt in quæſtione ſequenti oſtendetur, tamen in ſenſu formali eſt diuerſum, vt demonſtratum eſt.

QVAESTIO III.

Vtrum negationes formales ſint realiter indiſtinctæ ab ente poſitiuo creato, vel increato.

1. NOn eſt in præſenti ſermo de formali diſtinctione, ea enim cum ibi reperiatur, vbi diuerſitas conceptuum formalium reperitur; vt conſtat ex tomo 1. diſp. 3. qu. 5. dubium eſſe non poteſt, an inter eſſe negatiuum, & eſſe poſitiuum detur formalis diſtinctio, quandoquidem conceptus formalis entis negatiui eſt diuerſus á conceptu formali entis poſitiui.

2. Dubium poteſt eſſe de reali diſtinctione, quæ, vt ibidem docui qu. 1. neceſſarió intercedit inter

inter extrema, quorum vnum realiter eſt negábile de alio: an nimirum formalis negatio alterius mundi, & cuiuslibet rei non exiſtentis, ſit realiter diſtinctá, vel realiter indiſtincta ab ente poſitiuo, itá vt nulla reperiri poſsit negatio formalis obiectiua, quæ non ſit realiter indiſtincta ab aliquo ente poſitiuo, adeoque quidquid prædicatur de ente poſitiuo, in ſenſu reali verè prædicetur de negationibus, & priuationibus formalibus.

3. Hæc ſententia de reali identitate negationis formalis cum aliquo ente poſitiuo, licet apud plurimos noſtræ ætatis Philoſophos videatur malè audire, eó quód largitur eſse poſitiuum negationibus, & priuationibus formalibus, videtur fuiſse Ariſtotelis, qui vbicunque ſermo incidit de negationibus, eas nomine entis poſitiui appellat, itá nigredinem vocat negationenem albedinis, & frigus priuationem caloris, vt patet in ſeptimo Phyſic. & in decimo Metaph. tex. 16. In eadem ſententia videtur olim fuiſse S. Dionyſius, qui ſæpiſsimè docens nullum eſse malum, quod excludit omne bonum in 4. de diu. nom. ait: *Malum non pugnat cum bono, niſi virtute boni*: S. Auguſtinus, qui tribuit priuationibus in ſenſu reali conſideratis, aliquam bonitatem & conſequenter aliquod eſse poſitiuum, hæc enim in libro de natura boni cap. 14. habet in rem noſtram. *Etiam priuationes rerum ſic ordinantur in vniuerſitate naturæ, vt non indecenter vices ſuas habeant, nam & Deus certa loca non illuminando tenebras facit tam decenter, quam dies, ſicuti nos continendo vocem decenter interponimus ſilentium, quantò magis ille quarumdam rerum priuationes decenter facit, vnde lux, & tenebræ laudant Deum.* Hactenus Auguſtinus, ex cuius doctrina idem docet S. Thomas, qui paſſim affirmat nul-

nullam eſse priuationem boni, quæ excludit omne bonum, vt in tertió contra Gentes cap. 9. & alibi. Non defuere plurimi ex recentioribus, qui hanc ſententiam ab antiquioribus ſcholaſticis ſubobſcurè tractatam expreſsè docuere, nimirum Antonius Perez in tom. primo diſp. 3. de ſcientia Dei Eminentiſſimus Sfortia Pallauicinus in 5. de Incarnatione cap. 11. Sebaſtianus Iſquierdo in Pharo Scientiarum diſput.9 de ente, Martinus de Eſparza qu. 24. de Deo, & 29. de Act. humanis, Syluester Maurus qu. 29. logica, & alij non pauci, cum quibus.

4. Dico primó: Negationes formales neceſsariæ, & contingentes ſunt realiter indiſtinctæ ab aliquo ente poſitiuo actu exiſtente.

5. Hæc concluſio, quæ ſequitur ex præcedentibus, demonſtratur primó. Quidquid exiſtit á parte rei, & non habet eſse purè abuſiuum, exiſtit poſitiuè: ſed negationes formales neceſsariæ, & contingentes exiſtunt á parte rei, & non habent eſse puré abuſiuum; ergo habent eſse poſitiuum; ergo ſunt realiter indiſtinctæ áb ente poſitiuo. Ma: eſt euidens, Min. continet duas propoſitiones probatas in primá, & ſecunda quæſt.

6. Secundó. Identitas realis eſt realis affirmabilitas vnius de alio; ſed datur realis affirmabilitas inter ens poſitiuum, & negationem formalem; ergo &c. Min: probatur. Nullum eſt ens poſitiuum, de quo non ſit affirmabile prædicatum intrinſecum: ſed de negatione formali eſt realiter affirmabile aliquod prædicatum intrinſecum; ergo de negatione formali eſt realiter affirmabile ens poſitiuum. Minor probatur, quiá omnis negatio formalis denominat extrinſecé, & logicè non exiſtentem rem, cuius eſt negatio; itá mundus, qui

non exiſtit, denominatur extrinſecé non exiſtens; quia id, quod non eſt, non poteſt habere aliquam denominationem intrinſecam; ſed impoſsibile eſt, quód illud, de quo non eſt affirmabile aliquod prædicatum intrinſecum, denominet extrinſecé,& logicé aliquid á ſe diſtinctum; omnis enim denominatio extrinſeca fundatur in intrinſeca, ſicuti forma logica ſupponit formam phyſicam, ergo &c.

7. Tertió. Negatio alterius mundi, vel veré eſt, vel veré non eſt; ſed falſum eſt veré non eſſe; ergo veré eſt; ergo realiter eſt indiſtincta ab ente poſitiuo, quod ſolum veré eſt. Ma: eſt euidens, quia fundatur in illo principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*. Minor etiam eſt euidens, quia ſi verum non eſſet negationem alterius mundi eſſe, verum eſſet alium mundum eſſe, quod eſt euidenter falſum.

8. Quartó. Quidquid eſt realiter diſtinctum á nihilo, eſt realiter indiſtinctum ab ente poſitiuo: ſed negatio tam neceſſaria, quam contingens eſt realiter diſtincta á nihilo, ergo eſt realiter indiſtincta ab ente poſitiuo. Minor probatur. Negatio neceſſaria eſt negatio chimæræ, ſed negatio chimæræ eſt realiter diſtincta à nihilo, vt poté diſtincta à chimæra, quæ eſt eſſentialiter nihil; ergo negatio neceſſaria eſt realiter diſtincta á nihilo. Idem diſcurſus, qui eſt oſtenſiuus, valet proportionaliter de negatione contingenti, quæ cum ſit diſtincta á re contingenti, quam negat, eſt diſtincta á re eſſentialiter imperfecta, adeoque eſt realiter indiſtincta ab aliqua perfectione,& conſequenter ab ente poſitiuo.

9. Dico ſecundó: Negatio formalis, per quam quælibet res negat identitatem cum alia re á ſe diſtin-

ſtincta, eſt realiter indiſtincta ab exiſtentia eiuſdem rei.

10. Hæc concluſio explicatis terminis eſt euidens; quia Petrus per ſuum eſſe, ſiuè per ſuam entitatem diſtinguitur á quolibet non ipſo; & ratio á priori eſt: quia per illlud præcisé Petrus non eſt Paulus, per quod Petrus eſt Petrus, ſed Petrus per ſuam entitatem eſt Petrus, ergo per ſuam entitatem non eſt Paulus, adeoque negabilitas Petri de Paulo eſt realiter indiſtincta ab affirmabilitate Petri de Petro, ergo negatio, per quam Petrus excludit á ſe quidquid nō eſt Petrus, ſiué negat identitatem ſui cum cæteris á ſe diſtinctis, eſt realiter entitas Petri,

11. Dico tertió: Negationes neceſſariæ ſunt realiter indiſtinctæ ab ente poſitiuo neceſsario, & indefectibili, quod eſt ens increatum, ſiuè Deus.

12. Probatur prima pars. Negatio indiſtincta ab ente poſitiuo contingenti non eſt neceſsaria, ergo negatio neceſſaria eſt realiter indiſtincta ab ente poſitiuo neceſsario. Antec: probatur. Negatio indiſtincta ab ente poſitiuo contingenti eſt contingens, quia repugnat non diſtingui á re contingenti id, quod non eſt contingens, aliter idem poſset ſimul eſse, & non eſse, ergo &c. Confirmatur, quia negatio neceſsaria exiſtit neceſsariò; ſed id, quod neceſsarió exiſtit, eſt ens poſitiuum neceſsarium, & eſsentialiter indefectibile; ergo negatio neceſsaria eſt realiter indiſtincta ab ente poſitiuo neceſsario.

13. Probatur ſecunda pars. Ens neceſsarium, & indefectibile eſt eſsentialiter ens increatum, ſiuè Deus, quia nullum ens á Deo diſtinctum eſt neceſaarium, & indefectibile; ſed negatio neceſsariá eſt indiſtincta ab ente neceſsario, ergo eſt in-

diſtincta à Deo. Præterea Deus eſt impoſsibilitas chimæræ, vt docui in diſp.4. qu.3. num.7. ſed impoſsibilitas chimæræ eſt formalis negatio chimæræ, ergo Deus eſt realiter negatio formalis chimęræ, quæ eſsentialiter excludit chimæram, ergo impoſsibilitas chimæræ eſt negatio chimæræ. Addo, quód Deus eſt formale falſificatiuuam huius propoſitionis: *Deus non eſt*: eſt enim formale verificatiuum contradictoriæ *Deus eſt*, adeoque eſt formalis negatio huius chimæræ, quæ conſiſtit in ipſo non eſse Dei.

14. Dico quartó. Negationes contingentes ſunt realiter indiſtinctæ ab aliquo ente poſitiuo contingenter exiſtente.

15. Probatur primó. Negationes contingentes ſunt realiter indiſtinctę ab aliquo ente poſitiuo, vt oſtenſum eſt num.4. ſed hoc ens poſitiuum non poteſt neceſsarió exiſtere, ergo debet contingenter exiſtere, ergo &c. Minor probatur, quia ſi neceſſarió exiſteret, negatio contingens eſſet neceſſaria, adeoque non contingens, quia haberet identitatem cum ente neceſſario.

16. Secundó. Non minus negatio neceſſaria excludit ens impoſſibile, quam negatio contingens ens poſſibile; ſed negatio neceſſaria, quia excludit ens impoſsibile, eſt realiter indiſtincta ab ente poſitiuo neceſſarió exiſtente; ergo negatio contingens, quia excludit ens poſsibile, eſt realiter indiſtincta ab ente poſitiuo contingenter exiſtente.

17. Tertió. Quoties exiſtit contingenter aliquid intrinſecé bonum, verum, & vnum, toties exiſtit aliquod ens poſitiuum contingens; ſed quando exiſtit negatio contingens, nimirum negatio alterius mundi, exiſtit contingenter aliquid

in-

intrinſecé bonum, verum, & vnum; ergo negatio contingens eſt realiter indiſtincta ab aliquo ente poſitiuo contingenter exiſtente. Probatur minor. Omne contingens eſt eſsentialiter defectuoſum; quod enim tale non eſt, ſemper, & neceſſarió eſt; adeoque contingens non eſt: ſed negatio, quæ negat ens eſsentialiter defectuoſum, videlicet aliũ mundum, eſt bona & amabilis; quia bonum eſt non exiſtere defectum indiſtinctum ab alio mundo, ergo negatio alterius mundi eſt intrinſecé bona, vera, & vna, ergo &c. quid autem ſit illud ens contingens, á quo eſt realiter indiſtincta negatio contingens, modo non definio, id enim ſpectat ad qu: ſequentem.

18. Obijc: primó. Negatio rei eſt purum non eſse rei; ſed purum non eſse rei eſt realiter diſtinctum ab omni ente poſitiuo, ergo &c. Ma: prob: Negatio rei opponitur contrádictorié illi rei, cuius eſt negatió, ſed vnum contradictorium eſt purum non eſse alterius contradictorij; quia formale verificatiuum vnius eſt formale falſificatiuum alterius, ergo &c.

19. Reſp. diſt: ma: negatio rei eſt non eſse rei purum præciſiué: conc: ma: purum negatiuè: nego ma: & diſt: mi: non eſse rei purum præciſiuè eſt realiter diſtinctum ab omni ente poſitiuo: nego mi: purum negatiuè; conc: mi: & nego conſequentiam. Ad probationem mai: conc: mai: & diſt: mi: vnum contradictorium eſt non eſse purum præciſiué alterius contradictorij: conc: mi: purum negatiué: nego mi: & conſ: Vnum contradictorium realiter acceptum non ſolúm excludit, & falſificat aliud contradictorium, ſed etiam affirmat, & verificat ſeipſum: id autem eſt adeó verum, vt ignorem quomodo poſſit oppoſitum inteligi; quia

vnum contradictorium eatenùs falſificat aliud contradictoriū, quatenùs verificat ſeipſum, ergo vnum contradictorium realiter habet aliquod prædicatum præter hoc, quod eſt excludere aliud contradictorium: quia veró vnum contradictorium formaliter quatenùs tale concipitur præcisè, vt excludens aliud contradictorium; ideó negatio formæ oppoſita contradictorié formæ, concipitur præcisé vt excludens formam, adeoq; vt purè excluſiua euſdem formæ, puré inquam præciſiué: non negatiué; alioquin intellectus, qui concipit negationem, quatenùs negatio eſt, erraret, ſicuti errat intellectus, qui concipiendo animal, quatenùs animal, concipit animal purum negatiué, non præciſiué.

20. Obijc. ſecundó. Oppoſitio contradictoria inuenitur inter eſse rei, & purum non eſse rei; ſed oppoſitio, quæ inuenitur inter eſs e rei, & purum non eſse rei, eſt oppoſitio entis poſitiui cum ente negatiuo realiter diſtincto ab omni ente poſitiuo, ergo &c. Maior probatur, quia oppoſitio contradictoria inter amorem, & non amorem; aſſenſum, & non aſsenſum, diſtinguitur ab oppoſitione contraria inter amorem & odium, aſsenſum, & diſsenſum: ſed oppoſitio contraria inuenitur inter duplex eſse poſitiuum incompoſsibile; ergo oppoſitio contradictoria debet dari inter eſse rei, & purum non eſse rei.

21. Reſp. diſt: ma: inúenitur inter eſse rei, & non eſse rei purum præciſiué; conc: ma: purum negatiuè, nego mai; & diſt: min: oppoſitio inter eſse rei, & non eſse purum præciſiuè, eſt oppoſitio entis poſitiui cum ente negatiuo realiter diſtinctio à quolibet ente poſitiuo: nego mi: purum negatiué: conc: mi: & nego conſ: Ad huius rei euiden-

dentiam ſciendum eſt terminos cotradictorios differre á contrarijs (ſermo eſt in præſenti de contrarijs habentibus eſsentialem contrarietatem) eo quód contrarij includunt contradictorios, eoſque per legitimam conſequentiam inferunt, ſed non è contrarió: itá ex amore, & odio, quæ opponuntur contrarié, infertur conſequentia formali amor, & non amor; ſed ex amore, & non amore, quæ opponuntur contradictorié, non infertur conſequentia formali amor, & odium. Ratio á priori eſt, quia neceſſe eſt, vt ille, qui odio habet, non amet; ſed non eſt neceſse, vt qui non amat odio pabeat; poſsibile enim eſt non amantem carere odio, ergo odium infert non amorem: ſed non amor, ſiue negatio amoris non infert odium. Indé eſt, amori opponi contrarié odium, contradictorié non amorem, ſiuè negationem amoris; quia ex odio ſequitur negatio amoris, ſed ex negatione amoris non ſequitur odium; adeoque formale, & logicum contradictorium amoris non eſt odiũ, ſed eſt non amor, ſiuè negatio amoris. Hinc eſt, quód intellectus, qui concipit formale contradictorium amoris, ſiué mente format terminum formaliter contradicentem amori, concipit non amorem, adeoque puram negationem amoris, puram inquam præciſiué, non puram negatiuè; quia non negat formalitatem entis poſitiui realiter indiſtinctam á formalitate excludente amorem, ſed ab ea ſolum præſcindit; quia verò concipit terminum contrarié non contradictorié repugnantem amori, concipit odium, quod proindè debet excludere poſitiué amorem, eó quod odium eſt terminus ſubſtans conceptui affirmatiuo, qui nimirum immediaté affirmat certum, & determinatum impedimentum amoris, nimirum entitatem odij, &

mediaté amorem negat. Terminus itaque contrarius differt á contradictorio, quia ille excludit poſitiué, iſte negatiuè id, cui opponitur: quia verò negatiué excludere eſt ſignificare formam excluſam ſignificatione, quæ præſcindit á forma poſitiua excludente, eam tamen non negat, ſiué ſubſtare conceptui negatiuo, qui directè negat formam, & indirectè affirmat aliquam vagè, & indeterminatè formam negantem, ideó à termino contrario valet conſequentia ad terminum contradictorium, non valet à contradictorio ad contrarium. Ratio à priori eſt; quia à termino determinato valet conſequentia ad terminum indeterminatum; non valet ab indeterminato ad determinatum; ſed terminus contrarius ſignificat determinatè & directè entitatem poſitiuam, quæ eſt incompoſſibilis cum alio termino contrarió; terminus veró contradictorius ſignificat vagé, & indeterminatè entitatém poſitiuam, quæ eſt incompoſſibilis cum alio contradictorio, eumque denominat extrinſecè, & logicé excluſum, ergo á contrarió ad contradictorium valet formalis conſequentia, à contradictorio ad contrarium non valet.

22. Obijc: tertió. Contradictorium, quod à parte rei excludit puré aliud contradictorium, eſt contradictorium, quod excludit purè negatiué; ſed dátur contradictorium, quód á parte rei puré excludit aliud contradictorium; ergo datur contradictorium, quod excludit purè negatiué, ergo datur negatio, quę eſt purà negatiué negatio, adeoque realiter diſtincta ab ente poſitiuo. Minor probatur, quia datur non amor, quiá parte rei purè excludit amorem, ergo &c.

23. Reſp. con; ma: & negó mi: Ratio eſt, quia ſi datur contrádictorium, quod ſecundúm eſse in-

intentionale puré excludit aliud contradictorium, non ſequitur dari contradictorium, quòd ſecundùm eſſe reale puré excludit; non enim valet conſequentia á ſtatu intentionali ad realem, á ſenſu formali, & præciſiuo ad materialem, & poſitiuum. Non amor, qui contradicit amori, realiter & poſitiué eſt indiſtinctus ab aliquo ente, quod excludit eſſe amoris, ſed non excludit omne eſſe, quia non excludit ſeipſum, adeoque ſuum eſſe, vt eſt euidentiſſimùm: idem non amor formaliter, & præciſiué eſt diſtinctus ab ente poſitiuo; quia ſubſtat conceptui neganti directé amorem, & indirecté affirmanti aliquid vagé, & indeterminaté incompoſſibile cum amore. Quia verò, vt docet Philoſophus citatus á S. Thoma in lib. Perhiermenias, nomina ſunt notæ rerum, quæ ſunt in anima; hoc eſt ſunt liberé impoſita ad ſignificandas res quatenús ſubiacent noſtris conceptibus; ideò non amor, ſiuè negatio amoris, quæ eſt contradictorium formale amoris, ſignificat amorem á parte rei excluſum, ſubſtantem conceptui præciſiuo, qui nimirum concipit negationem amoris, non concipiendo determinaté illud eſſe poſitiuum, á quo eſt indiſtincta realiter negatio amoris. Hinc patet, non amorem, qui datur á parte rei, excludere poſitiuè amorem, adeoque non puré excludere, quia excludit per ſuum eſſe, quod eſt aliquod poſitiuum incompoſsibile cum amore. Hæc doctrina, quæ eſt formalis, & metaphyſica, eſt diligenter obſeruanda, quia ſoluit innumera ſophiſmata, & tradit rationem á priori, cur Aduerſarij inciderint in ſententiam, quæ negat identitatem realem negationis cum ente poſitiuo, quia nimirum æquiuocantur á ſenſu formali ad ſenſum realem; ab eo

quod excludit puré præciſiué, ad id, quod excludit puré negátiué.

24. Obijc. vltimó. Omnis contradictio reſoluitur in contradictionem inter eſſe, & non eſſe, vt dicit Philoſophus: ſed non eſse, quod contradicit eſse, eſt realiter diſtinctum ab omni eſse, ergo contradictorium entis eſt realiter diſtinctum á quolibet ente: ſed contradictorium entis eſt ipſa negatio formalis entis; ergo datur aliqua formalis negatio realiter diſtincta á quolibet ente. Minor probatur. Non ens, quod contradicit enti, excludit omne eſſe, ſicuti negatio lucis, quæ contradicit luci, excludit omnem lucem: ſed id, quod excludit omne eſse, non includit eſſe: ergo contradictorium entis, quod eſt negatio entis, eſt realiter diſtinctum ab omni ente poſitiuo.

25. Reſp. conc: ma: & nego ſuppoſitum mi: quia ſupponit dari non eſse quod contradicit eſse, ſiué negationem entis in genere, quæ negatio eſt euidenter impoſſibilis, vt hoc ſyllogiſmo oſtenſiué demonſtro. Negatio, quæ negat ens in genere, ſiué ens abſtractiſſimé conſideratum, eſt negatio, quæ negat Deum exiſtere, ſed negátio, quæ negat Deum exiſtere, eſt euidenter impoſsibilis, quia neceſse eſt Deum exiſtere, ergo &c. Maior probatur. Qui negat genus, negat omnem ſpeciem ſub illo genere incluſam, ideó valere conſequentiam oſtenſum eſt in logica á negatione generis ad negationem ſpeciei, ſiué á negatione termini ſuperioris ad negationem inferioris, ergo negatio, quæ negat ens abſtractiſsimé conſiderátum, negát quidquid continetur ſub genere entis, ergo negat omne id, quod eſt ens: ſed Deus eſt ens, immó ſummum, & infinitum ens, ergo negat Deum exiſtere. Hinc eſt eſse chimæram negationem entis

tis vt ſic, ſicuti eſt chimæra Hircoceruus, adeoque non dari negationem formalem entis vt ſic ſicuti non datur chimæra, immó dari negationem huius negationis, quæ eſt negatio chimæræ realiter indiſtincta ab ente neceſsario, vt demonſtratum eſt num. 21. Quando igitur intellectus infinitando hunc terminum tranſcendentalem *ens*, concipit *non ens*, adeoque format intentionaliter contradictorium formale entis, concipit chimæram, negationem videlicet cuiuſcumque entis, quæ inuoluit duo contradictoria conditionatè futura ſub hypotheſi impoſsibili, negatio enim cuiuſcum que entis ſi exiſteret, eſset ſimul diſtincta, & non eſſet diſtincta realiter ab ente poſitiuo. Ratio á priori huius doctrinæ petenda eſt ex ſummulis, eamque tradit Ariſtoteles in libris Perhiermenias; terminus enim infinitus, ſiuè infinitans, vt ibi docuimus, aliquid determinatè negat, & aliquid indeterminatè affirmat; itá hic terminus *non homo*, qui eſt terminus infinitans, determinaté negat hominem, & indeterminaté affirmat aliquid ab homine diſtinctum, ideó propoſitio affirmatiua de termino infinito infert propoſitionem negatiuam de termino finito; hęc autē non infert affirmatiuā de infinito: itá valet *non homo currit, ergo homo nō currit*: non valet: *homo non currit, ergo non homo currit*. Terminus infinitus *non ens* negat omne ens, quia negat ens vt ſic, & ſimul affirmat aliquod ens, quia ſeipſum affirmat; ſed negare omne ens, & affirmare aliquod ens eſt ſibi contradicere; ergo terminus infinitus *non ens* includit eſsentialiter prædicata, quæ ſibi contradicunt, adeoque eſt chimæra. Ex hac doctrina patet, propoſitionem minorem argumenti prædicti, quæ ſi negatur, eſt neganda de ſubiecto non ſupponente, poſse itá di-

diſtingui, ſicuti quælibet propoſitio, quæ affirmat prædicatum impoſsibile:nõ eſse,quod contradicit eſſe,eſt & ſimul non eſt realiter diſtinctum ab omni ente poſitiuo, conc: mi: eſt tantum realiter diſtinctum, nego min: & conſequentiam: neque id videri debet mirum; quia ea eſt natura rei impoſsibilis, vt inferat vtrumque contradictorium. Hinc patet, quid ſit dicendum ad probationem min: & ad illam hypotheſim impoſsibilem, in qua eſset realiter contradictorium entis in genere entis.

QVAESTIO VLTIMA.

Quid ſit ens poſitiuum contingens, à quo realiter non diſtinguitur negatio contingens.

1. POtiſsimum argumentum, quo noſtram ſententiam vrgere conantur Aduerſarij, eſt negatiuum, quia arduum eſt, immó, vt ipſi opinantur, impoſsibile aſsignare in quacumque negatione contingente aliquid poſitiuum contingens, á quo huiuſmodi negatio ſit realiter indiſtincta. Ad hanc difficultatem, quam nullius momenti cenſeo, radicitùs extirpandam, præſentem inſtituo quæſtionem, in qua vniuerſam de negationibus contingentibus doctrinam realiter indiſtinctis ab ente poſitiuo contingenti, libet per aliquot propoſitiones ante oculos ponere.

2. Prima propoſitio:denominatio rei non exiſtentis eſt effectus formalis neceſsarió proueniens à negatione rei,quæ vocatur negatio actiua rei.

3. Ratio eſt euidens, quia non minús denominat rem non exiſtentem non exiſtentia rei, quæ eſt for-

formalis negatio rei, quam denominet rem exiſtentem exiſtentia rei: ſed denominatio rei exiſtentis eſt effectus formalis procedens ab exiſtentia rei, ergo denominatio rei non exiſtentis procedit à negatione rei. Preterea intellecta negatione rei, intelligitur formaliter res nō exiſtens: eá non intellectá, non intelligitur res non exiſtens, ſicuti intellectá albedine intelligitur album: non intellectá albedine non intelligitur album; ergo negatio rei eſt cauſa formalis rei non exiſtentis; ſicuti albedo eſt cauſa formalis albi.

4. Secunda Propoſitio. Denominatio non exiſtentis eſt eſſentialiter denominatio extrinſeca rei non exiſtenti.

5. Probatur ex dictis. Nulla denominatio actualis poteſt eſſe intrinſeca rei, quæ nullum habet prædicatum ſibi intrinſecum; ſed res, quæ actu non exiſtit, nullum habet prædicatum ſibi intrinſecum; ergo nulla denominatio actualis poteſt eſſe intrinſeca rei, quæ actu non exiſtit; ſed denominatio non exiſtentis eſt denominatio actualis rei, quæ actu non exiſtit, ergo non poteſt eſſe intrinſeca rei non exiſtenti, ergo eſt eſſentialiter extrinſeca; hoc enim eſt diſcrimen inter denominationem extrinſecam, & intrinſecam, quòd illa nec ſupponit, nec facit formaliter rem exiſtere; iſta vel ſupponit, vel facit formaliter rem exiſtere. Ratio á priori eſt, quia denominatio intrinſeca prouenit á forma intrinſeca rei denominatæ; ſed forma intrinſeca rei denominatæ, vel ſupponit, vel facit in genere cauſæ formalis rem exiſtere, quidquid enim non eſt, nullū habet prædicatum intrinſecum; ergo denominatio intrinſeca vel ſupponit, vel facit formaliter rem exiſtere. Oppoſitum contingit in denominatione extrinſeca, quæ prouenit á for-

á forma extrinſeca rei denominatæ; adeóquè non ſupponente, neque faciente rem exiſtere, vt patet in denominatione cogniti, quæ denominat Antichriſtum, & chimæram cognitam, etiamſi Antichriſtus, & chimæra non exiſtat. Hinc eſt, quód denominatio rei non exiſtentis,quæ actu conuenit chimæræ, & alteri mundi, adeóque forma denominans alium mundum actu non exiſtentem eſt diſtincta ab alio mundo, eique extrinſeca, ſicuti cognitio denominans chimæram cognitam eſt realiter diſtincta á chimæra, eique extrinſeca. Quiá veró apud Scholaſticos præſertim antiquiores vſus obtinuit, vt omnis denominatio extrinſeca appelletur ens rationis, ideò illa denominatio, qua denominatur non exiſtere quidquid reuerá non exiſtit, dicitur ens rationis, ſiué denominatio rationis, quatenús eſt ab aliquá forma, quæ non eſt intrinſeca rei denominatæ.

6. Dices. Hæc prædicatio eſt vera: *alius mundus non exiſtit intrinſecè*: ergo alius mundus intrinſecé denominatur non exiſtens, ergo hæc denominatio eſt illi intrinſeca. Antecedens patet, quiá hæc propoſitio eſt falſa: *alius mundus exiſtit intrinſecè*: adeóque eſt vera contradictoria: *alius mundus non exiſtit intrinſecè*. Conſequentia prob: Alius mundus denominatur non exiſtens intrinſecé; ergo intrinſecè denominatur non exiſtens.

7. Reſp. conc:antec:& nego conſequetiam. Ad eius probationem: conc: antec: & nego conſeq. Cauenda eſt æquiuocatio, quæ eſt in hoc termino *intrinſecè*; ſi enim afficit hunc terminum *non exiſtit*, propoſitio eſt vera; ſi veró afficiat hunc terminum *denominatur* eſt falſa. Indé eſt, quód hæc propoſitio: *alius mundus denominatur non exiſtens intrinſecè*, eſt valdé diuerſa ab iſta: *alius mundus in-*

trinſecè non denominatur exiſtens; vna enim alteri contradicit. Ratio a priori eſt, quiá nullam habere denominationem intrinſecam, & habere aliquam denominationem intrinſecam ſunt prædicata contradictoria; ſed alium mundum denominari non exiſtentem intrinſecé eſt alium mundum nullam habere denominationem intrinſecam, & alium mundum intrinſecé denominari non exiſtentem, eſt alium mundum habere aliquam denominationem intrinſecam: ergo iſtæ propoſitiones: *alius mundus non exiſtit*; *alius mundus intrinſecè denominatur non exiſtens*, ſibi contradicunt.

8. Tertia Propoſitio. Negatio actiua ſiuè neceſſaria, ſiuè contingens realiter indiſtincta ab ente poſitiuo, eſt formaliter extrinſeca rei non exiſtenti.

9. Probatur. Repugnat denominationem extrinſecam prouenire á forma non extrinſeca rei denominatæ; ſed denominatio non exiſtẽtis eſt eſſentialiter extrinſeca rei non exiſtenti; ergo forma denominans eſt eidem eſsentialiter extrinſeca; ſed forma denominans eſt negatio actiua realiter indiſtincta ab ente poſitiuo, vt ſuprá demonſtratum eſt; ergo huiuſmodi negatio eſt eſsentialiter extrinſeca rei non exiſtenti.

10. Quarta propoſitio. Ens poſitiuum contingens, quod extrinſecé denominat aliud ens, cum quo eſt incompoſſibile, non eſt ſemper intrinſecum ſubiecto habenti negationem, vel priuationem. *Hæc* ſententia eſt contra Antonium Perez, & alios recentiores, qui docent aerem tenebroſum habere intrinſecé aliquam formam poſitiuam incompoſsibilem cum luce, & eodem modo diſcurrunt de cæteris negationibus.

11. Probatur. Quandó aer nocturno tempore ca-

te caret luce, datur aliquod ens poſitiuum contingens incompoſſibile cum luce; ſed hoc ens poſitiuum incompoſſibile cum luce non eſt intrinſecum aeri; ergo ens poſitiuum incompoſſibile cum re negata non eſt ſemper intrinſecum ſubiecto habenti negationem. Min:prob: primó. Aer tenebroſus nullam habet intrinſecé formam poſitiuam luci repugnantem; alioquin lux eſſet qualitas, quæ haberet qualitatem ſibi contrariam, adeóque non produceretur in inſtanti, ſicuti calor, & aliæ ſimiles qualitates, quæ producuntur ſucceſſiué, eò quòd cauſa, á qua producuntur, debet expellere á ſubiecto qualitatem contrariam. Præthereá eſt vera iſta cauſalis; *ideò aer euadit tenebroſus, quia amittit lucem*, non eſt vera iſta: *ideò amittit lucem, quia euadit tenebroſus*; ergo aer non fit tenebroſus, eó quod acquirat intrinſecè aliquam perfectionem incompoſſibilem cum luce. Patet conſequentia; alioquin aer ideó amitteret lucem, quia euadit tenebroſus, natura enim intendit per ſe bonum, per accidens malum; adeóque prius tendit ad productionem, quám ad deſtructionem.

12. Secundò: Aer per hoc præcisé, quód careat luce, á qua intrinſecè perficitur, conſtituitur tenebroſus; ſed per hoc præcisé, quód caret luce, á qua intrinſecé perficitur, non acquirit perfectionē ſibi intrinſecam: ergo aer per hoc præcisé, quod euadit tenebroſus, non acquirit perfectionem aliquam intrinſecam.

13. Tertió: carentia lucis non perficit intrinſecé aerem poſſibilem; ergo nec aerem exiſtentem. Conſequentia probatur. Carentia lucis, quæ eſt in aere nunc exiſtente, nihil aliud addit ſupra carentiam lucis, quæ in eſt aere poſsibili, quám debitum habendi lucem, quia aer exiſtens exigit, &

debet

debet illuminari; aer poſſibilis neque debet, neque exigit illuminari; ſed repugnat carentiam lucis, quæ non eſt perfectio ſubiecti non debentis habere lucem, eſſe perfectionem ſubiecti debentis habere lucem; quia debitum habendi formam non minuit ſed auget imperfectionem, quæ naſcitur ex carentia formæ; ergo &c.

14. Quartò: aer non debet determinari formaliter ad habendam lucem per aliquam perfectionem realiter, vel formaliter ab ipſá luce diſtinctam; ergo neque debet formaliter determinari ad habendum defectum lucis per aliquam perfectionem diſtinctam à defectu lucis; quia maior perfectio requiritur ad habendam lucem, quám ad habendum defectum lucis. Eodem modo diſcurrendum eſt de priuatione gratiæ ſanctificantis, ac de tenebris, ſiuè de priuatione lucis; ſicuti enim aer præſcindendo ab omni forma poſitiua ſibi intrinſeca conſtituitur tenebroſus per aliquod extrinſecum incompoſſibile cum exiſtentia lucis in aere; ita peccator præſcindendo ab òmni forma poſitiua ſibi intrinſeca denominatur carens gratia per aliquod extrinſecum incompoſſibile cum exiſtentia gratiæ ſanctificantis Animam: indè eſt magnam eſſe analogiam inter gratiam, quæ formaliter ſanctificat Animam, cui inhæret, & lucem, quæ formaliter illuminat aerem, cui inhæret; inter defectum lucis, ſiuè tenebras, & defectum gratiæ, ſiuè culpam.

15. Dicès: carentia lucis eſt intrinſeca aeri, & carentia gratiæ eſt intrinſeca Animæ; ergo illud ens poſitiuum, quod excludit lucem ab aere, & gratiam ab Anima, debet eſſe vtrique intrinſecum. Antecedens probatur, quia non minús eſt tenebroſus aer, qui caret luce, quám ſit lucidus aer,

qui habet lucem; ſed aer, qui habet lucem, eſt intrintrinſecè lucidus; ergo &c.

16. Reſp. diſt: antec: carentia paſſiua lucis eſt intrinſeca aeri,& carentia paſſiua gratiæ eſt intrinſeca Animæ: concedo antec: carentia actiua eſt intrinſeca; iterum diſt: eſt intrinſeca entitatiuè: nego antec: terminatiué: concedo antec: & nego conſeq. Non eſt dubium, quin inter denominationes priuatiuas aliæ ſint intrinſecæ ſubiecto, quod denominatur priuatum, vt *non album*, aliæ extrinſecæ, vt *non cognitum*: denominationes priuatiuæ intrinſecæ non differunt ab extrinſecis, per hoc præcisé, quòd impedimentum excludens poſitiuè formam ſit intrinſecum ſubiecto priuato intrinſecè, & extrinſecum ſubiecto priuato extrinſecé;id enim materialiter ſe habet; ſed per hoc præcisé, quód illud excludit formam ſubiecto intrinſecam, iſtud excludit formam ſubiecto extrinſecam: indé eſt denominationes priuatiuas intrinſecas diſcernendas eſſe ab extrinſecis per negationem paſſiuam, quæ ſi eſt intrinſeca, vel extrinſeca; denominatio priuatiua eſt intrinſeca, vel extrinſeca. Ratio á priori huius doctrinæ eſt, quiá negationes cum ſint tranſitiué non entia, vt diſerté docet Ariſtoteles in Prædicamentis, pertinent reductiué ad illud prædicamentum, ad quod pertinent formæ negatæ: itá negatio ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis reductiué, quiá reducitur ad prædicamentum ſubſtantiæ;idem dic de negatione quantitatis, & alijs id genus. Iuxtá hanc legem negatio eſt intrinſeca, quæ negat formam intrinſecam; extrinſeca, quæ negát extrinſecam; ideò negatio cogniti dicitur extrinſeca parieti, quiá negat cognitionem parieti extrinſecam: negatio albi eſt intrinſeca, quiá negat albedinem eidem intrinſecam. Hinc eſt,quód

eſſe

eſſe tenebroſum eſt intrinſecum aeri, quia negat lucem aeri intrinſecam: eſſe priuatum gratia eſt intrinſecum animæ, quia excludit gratiam animæ intrinſecam; quamuis negatio actiua, ſiué forma excludens lucem ab aere, & gratiam ab anima, non ſit aeri, & animæ intrinſeca. In hoc ſenſu verum eſt aerem carentem luce eſſe intrinſecè imperfectum, & animam carentem gratia eſſe intrinſecè déformem, & imperfectam; quia lux, & gratia ſunt formæ perficientes intrinſecé aerem, & animam.

17. Quinta propoſitio. Ens poſitiuum contingens incompoſſibile cum re negata poteſt eſſe multiplex, loquendo de rebus, quas cauſæ ſecundæ poſſunt producere, vel exigunt produci à cauſa prima.

18. Hæc propoſitio eſt euidens: ad huius euidentiam ſciendum, in numero rérum non exiſtentium, quarum videlicet exiſtunt negationes, alias eſſe, quas cauſæ ſecundæ vel poſſunt producere, vel exigunt á Deo produci. Huiuſmodi ſunt indiuidua poſſibilia, quæ continentur intrá aliquam ſpeciem rerum componentium mundum: alias eſſe, quas cauſæ ſecundæ neque poſſunt viribus ſuis producere, neque exigunt produci à Deo: huiuſmodi ſunt aliæ ſpecies Angelorum, aliæ ſpecies animalium, alter mundus, & alia id genus; quæ, vt eſt perſpicuum, Deus poteſt producere; ſed nulla eſt cauſa ſecunda, quæ exigat ea produci.

19. Sermo eſt in præſenti de rebus primi generis, de quibus intellecta concluſio demonſtratur hoc ſyllogiſmo. Vbi poteſt eſſe multiplex impedimentum, quod contingenter impedit exiſtentiam alicuius rei, ibi poteſt eſſe multiplex ens poſitiuum incompoſſibile cum re negata, ſed multi-

plex poteſt eſſe impedimentum, quod contingenter impedit exiſtentiam rei poſſibilis in hoc rerum ordine; ergo &c. Minor patet inductione: quando non eſt lux in aere, in primis eſt decretum liberum Dei, quo Deus liberé vult aerē non illuminari, deindè eſt corpus interpoſitũ impediens ſolem quo minùs aerem illuminet. Prætereà exiſtentiam formæ ignis, quæ excluditur á ligno, impedit voluntas libera Dei, qui non vult materiam ligni informari ab igne; impedit forma ligni incompoſſibilis cum igne, impedit diſtantia cauſæ ſecundæ, quæ non poteſt incendere lignum à ſe remotum, & diſtans: idem diſcurſus valet de cæcitate, quæ priuat oculum facultate videndi; de ægritudine, de morte, & alijs id genus, quæ in ſuo formali conceptu includunt carentiam ſanitatis, vitę, & rerum ſimilium, ex quibus euidentiſſimé conſtat veritas noſtræ propoſitionis.

20. Non debeo hic præterire nonnulla ex huiuſmodi impedimentis eſſe talia, vt naturaliter, & phyſicè, non eſſentialiter, & metaphyſicé impediant exiſtentiam rei negatæ, quiá non habent eſſentialem, ſed ſolúm naturalem repugnantiam, cum re negata; vt patet in forma ligni excludente ignem; in ſummo calore, qui excludit ſummum frigus. Hinc eſt, quòd vt intelligantur habere repugnantiam eſſentialem; debent intelligi coniuncta cum voluntate Dei nolentis miraculosé operari; repugnat enim exiſtere formam ignis ſimul cum forma ligni, Deo nolente naturæ ordinem, & communes leges inuertere.

21. Sexta propoſitio. Etiamſi multiplex ſit negatio actiua eiuſdem rei, vt nuper declaratum eſt; nihilominus negatio formalis, & logica eſt tantúm vna.

22. Hanc

22. Hanc propoſitionem, quam debes diligenter attendere, oſtenſiué probo hoc ſyllogiſmo. Negatio formalis & logica eſt denominatio extrinſeca, ſiuè logica rei, quæ non exiſtit; ſed huiuſmodi denominatio eſt tantùm vnica, eo quód vnica eſt res negata; etiamſi multiplex ſit res, quæ negat: ergo &c. Ratio á priori petenda eſt túm ex metaphyſica, quæ docet vnam, & eandem rem poſſe à pluribus rebus excludi; túm ex logica docente concreta accidentalia, ad quæ pertinent denominationes rei non exiſtentis, multiplicari ſubiectis, non formis multiplicatis. Hinc eſt, quód noſtræ doctrinæ, quam hucuſque explanauimus, non repugnat Ariſtoteles, qui ſæpiſſimè in libris Perhiermenias docet, vni formæ vnam tantúm reſpondere negationem, ſicuti vni propoſitioni affirmatiuę vna contradicit negatiua; adeoque contradictorium formale, & logicum cuiuslibet rei eſt vnicum tantúm, nimirúm eadem res logicè, & extrinſecé denominata non exiſtens ab aliquo ente ſecum incompoſſibili.

23. Septima propoſitio. Ens poſitiuum contingens incompoſſibile cum alio mundo, cæteriſque rebus non exiſtentibus, quas cauſæ ſecundæ neque poſſunt producere, neque exigunt produci, eſt ſolum decretum liberum Dei nolentis alium mundum exiſtere.

24. Ad euidentiam huius propoſitionis, quæ ſummam noſtræ doctrinæ continet; ſciendum eſt Deum, qui habet neceſſitatem exiſtendi indiſtinctam ab infinita ſui perfectione, non indigere aliqua re á ſe diſtincta ad exiſtendum, ideó rebus à ſe diſtinctis communicat, & largitur Deus eſſe, quod habent, omninò liberaliter; adeoque liberè, hoc eſt cum poteſtate non communicandi: indé

eſt, quod ſicuti quidquid à Deo diſtinctum exiſtit, Deo id liberé volente exiſtit; itá quidquid non exiſtit, & poteſt exiſtere, Deo id liberé nolente non exiſtit. Huiuſmodi liberæ voluntates, quæ ſunt in Deo realiter indiſtinctæ, & formaliter diſtinctæ, vocantur à Theologis decreta libera Dei omnia ſecundùm conſilium ſuæ voluntatis operantis, vt ait Apoſtolus, & inclinandarum quocumque voluerit humanarum voluntatum habentis omnipotentiſſimam poteſtatem, vt diſerté Auguſtinus. Huiuſmodi decreta, quia libera ſunt, contingenter exiſtunt, vnum enim ex alio ſequitur: quomodo veró poſſit libertas diuina, vndé naſcitur contingentia actuum liberorum, componi cum diuina neceſſitate, & immutabilitate, cui videtur opponi, id definire eſt alteriús inſtituti, nos ne verbum quidem hic facimus, plura enim impoſterum agemus in tractatu de Exiſtentia Dei, eiuſque libertate, quantum enim ad rem præſentem attinet, ſátis eſt aſſumere rem omnibus compertiſſimam, nimirum Deum eſſe liberum ſimul & immutabilem, atque adeò eſſe in Deo decreta libera, eaque ſemper fuiſſe, quidquid ſit de eorum conſtitutiuis. His notatis.

15. Probatur concluſio. Negatio actiua alteriús mundi eſt ens poſitiuum actu exiſtens incompoſſibile cum exiſtentia alteriús mundi; ſed huiuſmodi ens eſt ſolùm decretum liberum Dei nolentis alium mundum exiſtere, ergo ſolúm decretum liberum Dei eſt negatio actiua alteriús mundi. Minor probatur, quia iſte mundus, vt ſuppono, neque naturaliter, neque eſſentialiter excludit alium mundum, ergo à ſola Dei voluntate impeditur aliús mundus, quo minùs exiſtat.

16. Vltima propoſitio. Idem dicendum eſt

de

de negatione actiua huius mundi, quæ exiſtebat; antequam hic mundus exiſteret, & de negatione omnium rerum poſsibilium in ea hypoteſi, in qua Deus nihil voluiſſet creare.

27. Probatur. Implicat contradictionem, quòd Deus liberè decernens nullam veritatem, & bonitatem à ſe diſtinctam exiſtere, producat aliquam bonitatem, & veritatem ab huiuſmodi libera voluntate diſtinctam: ſed hoc contingeret, ſi negatio actiua rerum poſſibilium eſſet aliquid diſtinctum á libero decreto Dei, quia exiſteret negatio actiua rerum ómnium, quam oſtenſum eſt eſſe realiter indiſtinctam ab aliquo ente poſitiuo contingente, quod habet veritatem obiectiuam, & bonitatem, ergo &c. Hinc eſt, quód antequam Deus hunc mundum crearet, nulla veritas obiectiua exiſtebat diſtinctaá Deo, qui eſt primum, & ſummum verum, extrinſecè denominans neceſſarió poſsibile per ſuam omnipotentiam quidquid non repugnat, & contingenter non exiſtens per decreta ſua liberá quidquid eſt á ſe diſtinctum. Non ſunt igitur hic audiendi illi Authores, qui noſtram Philoſophiam criminántur, perindé ac ſi magni criminis ſit rea, éo quód totiés recurrit ad Deum agendo de poſſibilitate, impoſſibilitate, & negationibus tám neceſſarijs, quám contingentibus rerum non exiſtentium, aiunt enim eſſe ſimilem illis, qui tragædias formantes inextricabiles ſoluunt nodos Deo per machinas vocato. Videant qui hæc nobis opponunt, an culpandus ſit Philoſophus, qui ad Deum recurrit, laudandus, qui ad entia maligna, & malitioſa recurrit, aniles prorſus fabellas. Sed his nugis reiectis, ad ſolidiora argumenta veniamus, quæ contra noſtram ſententiam moliuntur.

28. Arguunt primó. Decretum liberum Dei adæquaté diſtinguitur à denominatione alterius mundi non exiſtentis, ergo non eſt negatio formalis alterius mundi, eum formaliter denominans non exiſtentem. Ant: probatur. Omnis cauſa diſtinguitur adæquatè à ſuo effectu; ſed huiuſmodi decretum eſt cauſa mundi non exiſtentis; túm quià eſt cauſa, ne alius mundus exiſtat; túm quià eſt vera iſta cauſalis: *ideò non exiſtit alius mundus, quia Deus vult non exiſtere, ergo &c.*

26. Secundó: obiectum quòd vult decretum, diſtinguitur á decreto; ſed negatio alteriús mundi eſt illud obiectum, quod vult decretum Dei; ergo diſtinguitur à decreto: maior patet, quia obiectum voluntatis diſtinguitur á voluntate; aliter voluntas vellet ſeipſam, quod repugnat.

30. Tertió. Negatio tollitur, quandó ponitur forma oppoſita: ſed decretum Dei nolentis hunc mundum exiſtere antequam exiſteret, non fuit ablatum poſito mundo; ergo non fuit negatio mundi non exiſtentis.

31. Quartò. Non eſſe alterius mundi eſt aliquid diſtinctum à decreto Dei; ergo decretum Dei non conſtituit formaliter mundum non exiſtentem. Conſequentia probatur. Decretum non minùs requiritur ad exiſtentiam, quám ad non exiſtentiam mundi; ſed non denominat formaliter mundum exiſtentêm; ergo neque denominat formaliter non exiſtentem.

32. Quintó. Præciſo decreto Dei intelligitur alium mundum non exiſtere; ergo &c. Ant: probatur. Præciſo decreto intelligitur negatio alterius mundi, ſed intellecta negatione alterius mundi, intelligitur alium mundum non exiſtere; ergo &c.

33. Sex-

33. Sextó. Qui cognoſcit, & affirmat alium mundum non exiſtere, neque cognoſcit, nequè affirmat decretum Dei; ergo veritas obiectiua; quæ verificat alium mundum non exiſtere, non eſt decretum Dei. Conſequentia patet. Qui cognoſcit alium mundum non eſſe, cognoſcit veritatem obiectiuam, quæ verificat alium mundum non exiſtere, & non cognoſcit decretum Dei nolentis alium mundum exiſtere: ergo &c.

34. Septimò. In priori ad mundi exiſtentiam non daturvoluntas Dei nolentis mundum exiſtere, quia in priori ad mundi exiſtentiam Deus vult mundum exiſtere, ergo vel voluntas Dei nolentis mundum exiſtere non eſt negatio mundi, vel in priori ad exiſtentiam mundi exiſtit mundus, quod repugnat. Conſequentia probatur. Quandó non datur negatio mundi, exiſtit mundus, ſed in illo priori non datur voluntas Dei nolentis mundum exiſtere, quæ eſt negatio mundi, ergo in priori ad exiſtentiam mundi eſt mundus, ſi negatio mundi eſt voluntas Dei nolentis exiſtere mundum.

35. Vltimó. Priuatio gratiæ conſtituit formaliter animam Deo inimicam, ſed voluntas Dei, qui vult priuare animam gratia,non conſtituit formaliter animam Deo inimicam; ergo non conſtituit formaliter carentem gratia; ergo decretum Dei, quod excludit gratiam ab anima, non eſt cauſa formalis gratiæ non exiſtentis in anima.

36. Ad primum reſpondetur: nego antec: ad eius probationem diſt: ma: cauſa efficiens mundi non exiſtentis:ne:mi:eſt cauſa formalis .con:mi: & ne: conſ: Voluntas Dei, quæ vult alium mundum non exiſtere, eſt cauſa formalis, non efficiens alterius mundi non exiſtentis; quia in genere cauſæ formalis denominat non exiſtentem alium mundum,

dum,

dum; ſicuti cognitio in genere cauſæ formalis denominat cognitum obiectum: ratio eſt, quia forma, quæ excludit formaliter mundum, denominat formaliter mundum non exiſtentem; ſed ſola voluntas Dei eſt forma, quæ formaliter excludit mundum; ergo formaliter denominat mundum non exiſtentem. Indè eſt quód diſtinguitur ab alio mundo non exiſtente ſolum inadæquaté, eo modo, quo diſtinguitur abſtractum à concreto, anima ab homine, pars à toto: idcircó hæc propoſitio cauſalis, *ideò non eſt alius mundus quia Deus non vult*, eſt vera ly *quia* appellante cauſam formalem, eſt falſa appellante cauſam efficientem.

37. Ad 2 diſt: ma: obiectũ quod decretũ Dei vult tranſitiué, diſtinguitur á decreto, conc: ma: quod vult intranſitiué ne: ma: & diſt: mi: negatio alteriús eſt obiectum, quód decretum vult tranſitiué: nego mi: quod vult intranſitiué: conc: mi: & ne: conſ: Iudicium, quo negat intellectus alium mundum exiſtere, negat mundum tranſitiué, & affirmat ſeipſum intranſitiuè, vt dictum eſt; itá voluntas Dei, ſiué decretum Dei non vult mundum tranſitiué, vult ſeipſum intranſitiué, quia eſt formalis non exiſtentia mundi, adeoque diſtinguitur ab obiecto, quod vult tranſitiué, non diſtinguitur ab obiecto, quod vult intranſitiue.

38. Ad tertium conc: ma: & mi: & diſt: conſ: ergo decretum Dei non fuit negatio mundi pro eo tempore, pro quo mundus fuit; conc: conſ: pro quo mundus non fuit: nego conſ: Deus ratione ſuæ immutabilitatis, & æternitatis non poteſt aliquid nunc velle, quod ſemper non voluerit, ideó ſemper voluit mundùm eſſe in ea temporis differentia, in qua mundus incæpit eſſe, & ſemper voluit mundum non eſſe in eo tempore, quod imagina-

namur fluxiſſe ante ſex annorum millia, nimirum ante orbem conditum, adeoque ſemper voluiſſe mundum eſſe, ſed non voluit mundum ſemper eſſe; hæc enim duo multum differunt. Hinc eſt, quòd decretum excludens mundum pro vno tempore, non excludit mundum pro quolibet tempore, immò determinat efficienter exiſtentiam mundi pro aliquo tempore, adeoque non debet poſitiuè tolli per exiſtentiam mundi decretum, quo Deus ab æterno voluit mundum non exiſtere, ſed ſolùm debet impediri, adeoque tolli negatiuè alteriùs decreti exiſtentia, quod Deus non habuit, ſed habuiſſet, ſi mundum nunquam condere voluiſſet. Quàm futile ſit hoc argumentum ex eo conſtat; quòd ipſi etiam aduerſarij tenentur illud ſoluere; docent enim decretum liberum Dei nolentis mundum eſſe negationem fundamentalem mundi eſſentialiter incompoſsibilem cum mundo; non minús quàm ſit incompoſſibilis cum mundo negatio formalis mundi.

35. Ad quartum: diſt: antec: non eſſe alterius mundi ſecundùm id, pro quo ſupponit, eſt aliquid á decreto diſtinctum: conc: antec: ſecundùm id, quod ſignificat; nego antec: & conſ: Diſparitas inter decretum volens mundum exiſtere, & decretum nolens mundum exiſtere, eſt euidens; quia primum decretum efficienter conſtituit mundum exiſtentem, quatenùs eſt cauſa efficiens exiſtentiæ mundi; ſecundùm decretum conſtituit formaliter mundum non exiſtentem, quia in genere cauſæ efficientis nihil facit: repugnat enim aliquid efficienter fieri ab illa voluntate, quæ nihil vult facere; ſed in generé cauſæ formalis facit mundum non exiſtere: indé eſt, quód non exiſtente decreto, quo Deus vult mundum exiſtere, non exiſtit mun-

dus tantúm arguitiué, quia non exiſtit cauſa efficiens mundi; non exiſtente veró decreto, quo Deus vult non exiſtere mundum, non exiſtit formaliter denominatio mundi non exiſtentis; quiá decretum eſt cauſa formalis huius denominationis. Ratio á priori eſt, quia denominatio mundi exiſtentis eſt intrinſeca mundo, & denominatio mundi non exiſtentis eſt mundo extrinſecá, ideó mundus quandó de exiſtente fit non exiſtens, mutatur intrinſecé; quia amittit omnem denominationem intrinſecam, & acquirit denominationem ſolùm extrinſecam rei non exiſtentis, & puré poſſibilis.

40. Ad quintum diſt: antec: præſcindendo á decreto Dei ſub conceptu decreti intelligitur alius mundus non exiſtens: conc: antec: ſub conceptu realiter conuertibili: nego antec: & conſ: Vt intelligatur negatio alteriús mundi, non eſt neceſſe intelligere decretum Dei ſub conceptu decreti, ſed ſufficit illud intelligere ſub aliquo conceptu, qui realiter eſt conuertibilis cum ipſo decreto; nimirum ſub conceptu veritatis obiectiuæ excludentis alium mundum.

41. Ad ſextum. Non cognoſcit ſignatè decretum Dei: conc: antec: non cognoſcit exercitè: iterum diſt: ſub conceptu decreti: tranſeat ant: ſub alio conceptu conuertibili cum decreto: nego ant: & conſ: Quæro, an ille, qui cognoſcit alium mundũ non exiſtere, cgnoſcat eſſe verum obiectiué alium mundum non exiſtere, vel non cognoſcat eſſe verum obiectiuè alium mundum non exiſtere: ſi cognoſcit; vt eſt indubitatum; infero: ergo cognoſcit exercitè decretum Dei, quia huiuſmodi veritas realiter conuertitur cum tali decreto, adeo ſi pertinaciter negat ſe id cognoſcere; dico nega-

re

te ſignatè, quod affirmat exercitè, adeoque ſibi contradicere: ſicuti negat ſignatè, quod exercitè affirmat, qui ait Petrum eſſe hominem, & negat eſſe animal rationale

41. Ad ſeptimum: conc: antec: vel claritatis gratia illud diſtinguo: non datur in priori ad exiſtentiam mundi voluntas Dei nolentis mundum exiſtere, non datur in quam præciſiuè: conc: ant: non datur negatiuè: nego antec: & conſ: Non dari negatiue in priori ad exiſtentiam mundi huiuſmodi voluntatem eſt intelligi negationem voluntatis Dei nolentis mundum exiſtere: non dari preciſiuè eſt in illo priori non intelligi voluntatem Dei nolentis mundum exiſtere: ſed in priori ſignò ad exiſtentiam mundi falſum eſt intelligi negationem talis voluntatis, verum eſt non intelligi talem voluntatem: ergo falſum eſt in illo priori non dari negatiuè voluntatem Dei nolentis mundum exiſtere, verum eſt non dari præciſiuè. Ratio à priori eſt, quia inſtans, quod præcedit cauſalitate exiſtentiam mundi, cum ſit inſtans naturæ, non temporis, præſcindit ab vtroq; contradictorio, vt docui in tomo 2. diſp. 7. qu. 1. num. 20. adeoque in ſigno priori ad exiſtentiam mundi, præſcinditur à voluntate Dei volentis mundum exiſtere, & à negatione eiuſdem volentatis, ſolùm enim intelligitur voluntas Dei volentis mundum exiſtere pro ſigno poſteriore, quia huiuſmodi voluntas eſt cauſa efficiens mundi: quare in eo ſigno, in quo Deus eſt indifferens ad volendum, vel non volendum mundum nunc eſſe, neque intelligitur mundus, neque inteligitur eius negatio. Hinc patet ad probationem conſeq: diſtinguo enim ma: quandò non datur præciſiuè negatio mundi eſt mundus: nego maiorem: quandò non datur negatiuè: concedo ma-

maiorem, diſtinguo minorem &, nego conſequentiam.

43. Ad vltimum: concedo maiorem: & diſtinguo minorem: non conſtituit adæquaté: conc: min: inadæquaté; nego min: & conſ: Voluntas Dei excludit gratiam ab anima, quæ peccauit, ſupponendo peccatum commiſſum, vndè naſcitur in offenſore debitum ſuſtinendi odium diuinum, & in Deo offenſo ius tractandi offenſorem tanquam inimicum: indé eſt, quod ab iſta voluntate conſtituitur inadequaté anima carens gratia, adeoque priuatio paſſiua eſt mala, & odibilis Deo, priuatio actiua eſt mala tranſitiué, quia denominat animam malam, non eſt mala intranſitiuè, quia voluntas Dei eſt optima. Neque huic doctrinæ opponas illud principium adeò decantatum *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, non enim eſt verum vniuerſaliter, vt poſſem pluribus oſtendere, licet enim verum ſit in cauſa finali, eſt euidenter falſum in cauſis formalibus, ſicuti contingit in præſenti. Ex qua doctrina conſtat quomodo qui caret gratia ſit malus, licet voluntas Dei, quæ excludit gratiam ſuppoſita culpa ſit optima: quomodo mundus, qui non exiſtit, non ſit adorabilis, licet voluntas Dei, quæ conſtituit mundum non exiſtentem, ſit adorabilis, quia id pro quo ſupponit iſta denominatio, eſt aliquid creatum, ſicuti eadem de cauſa non eſt adorabilis muſca á Deo cognita, licet cognitio diuina, pro qua non ſupponit hæc denominatio, ſit adorabilis,

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

DI-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De potentia obedientali.

DE illa potentia, quam trito iam nomine vocant Philoſophi obedientialem, mentionem ſæpe facimus in noſtra Philoſophia, nunquam ex profeſſo docuimus, quid tandem ipſa ſit, & an rebus omnibus conueniat, quia vberiorem eius tractationem in hunc locum de induſtria reiecimus, vbi de natura entis realis, & cæteris, quæ eam conſequuntur cum Ariſtotele tractare aggreſsi ſumus.

QVAESTIO I.

Quid ſit, & an ſit Potentia obedientialis.

1. POtentia realis, de qua hic loquimur, quatenús præſcindit à potentia actiua & paſſiua, diuiditur in potentiam naturalem, & obedientialem, hæc enim diuiſio eſt ſatis vſitata apud Philoſophos præſertim Catholicos, qui ex principijs reuelatis ea nouere, quæ ſpectant ad aliũ ordinem rerum, nimirum ad ordinem ſupernaturalem, plura enim poſse fieri túm á ſolo Deo, tùm

etiam

etiam á rebus creatis diuina virtute adiutis, quæ nequeunt fieri viribus naturæ, eſt apud omnes indubitatum. Hinc doctrinæ S. Thomæ inhærentes docuimus plura eſse, circa quæ Deus verſatur, cum agit in eo rerum ordinem, qui naturam prætergreditur, quam cum intra certos naturæ limites operatur. Non poteſt itaque in dubium verti, an ſit aliquis ordo ſublimior illo ordine, quem Deus vt artifex naturæ fabricauit in mundo: hic ordo vocatur ſupernaturalis, eumque re vera exiſtentem nedum poſſibilem docet Fides Catholica.

2 Hanc potentiam obedientialem, in qua fundatur ordo ſupernaturalis, eamque certiſſimis argumentis perſuadet fides, & non leuibus coniecturis oſtendit lumen rationis, opus eſt in præſenti definire, eiuſque naturam inueſtigare, id enim ad Philoſophum ſpectat. Non dum inter ſcholaſticos ſatis conſtat, quid ſit hæc potentia, quam vocamus obedientialem: & an ſit aliquid diſtinctum á natura rerum creatarum: quid in hac opinionum várietate mihi videatur ſimilius veró, tribus ſequentibus aſsertionibus exponam, quæ rem totam á pluribus non ſatis explicatam paucis explanabunt.

3. Aſſertio prima. Potentia obedientialis quatenús præſcindit ab actiua, & paſſiua, eſt formaliſſimé creatura, quæ poteſt diuinitus eleuari ad aliquem actum, vel quo ad ſubſtatiam, vel quo ad modum ſupernaturalem.

4. Ratio huius ſententiæ patet hoc diſcurſu. In primis virtus obedientialis inuoluit in ſuo conceptu aliquem defectum, vt ſonat ipſa vox virtutis obedientialis; ideó notanter dixi ad eius eſſentiam ſpectare rationem entis creati, hac enim non intellecta nequit formaliter intelligi potentia obedien-

dientialis; vnde conſtat eam in Deo non reperiri. Deinde, quia eſt ſingulare huic potentiæ, vt abſque ſpeciali priuilegio cauſæ primæ non coniūgatur cum ſuo actu, quod in cæteris potentijs non reperitur: idcircó dictum eſt eam eſſe huius creaturæ eſſentiam *vt poſſit à Deo eleuari*, quæ verba manifeſtè indicant neceſſitatem diuini fauoris ad munus ſuum obeundū; hinc enim fit, vt id quod habet hanc virtutem obedientialem, ad aliquem ſtatum ſublimiorem, Deo gratioſé volente, aſſurgat ſe ſupra ſe attollendo. Quis autem eſſe debeat hic ſublimior ſtatus, demonſtrant illa verba *ad aliquem actum ſupernaturalem*: & quia, vt docui in tomo 2. diſp. 5. qu. 2. numer. 7. ratió formalis ſupernaturalitatis conſiſtit in aliqua perfectione, quam tota natura nec determinatè, nec indeterminaté poſtulat; indé eſt hunc ſtatum, ad quem virtus obedientialis eleuari poteſt, in eo eſſe collocandum, quód acquirat perfectionem ſibi indebitam ſpectato curſu naturæ.

5. Prætereà, quia ſupernaturale diuidi ſolet in id quod eſt ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, & id quod eſt ſupernaturale, quoad modum; ideó vt complecteretvtramq, ſupernaturalitatē, definiui virtutem obedientialē per eleuabilitatē ad actum ſupernaturalem ſecundúm ſubſtantiā, vel modum. Effectus ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam eſt ille, quem tota natura non exigit, huiuſmodi eſt viſio Dei; amicitia hominis cum Deo; vnio hypoſtatica; & alia id genus, quę ſunt tantę perfectionis, vt nullæ ſint vires in naturá ad ea poſtulanda, ne dum producenda. Effectus quoad modum ſupernaturális eſt ille, qui licet ſit debitus naturæ, producitur modo indebito, & ſuperante vires naturæ: in hoc genere effectuum collocandum eſt

id, quod ageret cauſa, ſi diuinâ virtute eleuaretur ad agendum in diſtans: idem dic de cæco confeſtim illuminato; de priſtina valetudine ſtatim reſtituta homini animam agenti, & alijs id genus, in quibus apparet modus operandi longè ſublimior illo modo, quo ſimiles effectus natura producit.

6. Aſſertio ſecunda. Hæc potentia obedientialis alia eſt actiua; alia paſſiua; alia actiua ſimul & paſſiua.

7. Ratio eſt, quia tres tantùm ſunt ſpecies coaleſcentes ex tribus differentijs, quæ contrahunt rationem abſtractiſſimam potentiæ obedientialis, ſicuti totidem ſunt, ad quas contrahitur ratio potentiæ naturalis. Huius rei eam rationem à priori trado, eò quòd illi actus, relatè ad quos definitur potentia obedientialis, poſſunt tribui in tres claſſes; quarum prima complectitur actum inhærentem ſubſtantiæ; altera actum ab aliqua virtute productum; tertia actum inhærentem ſimul, & productum: hinc potentia obedientialis alia eſt, quę à Deo poteſt eleuari ad actum ſupernaturalem ſibi phyſicè inhærentem, & huiuſmodi eſt potentia obedientialis paſſiua: alia, quam Deus poteſt eleuare ad actum ſupernaturalem efficienter producendum, & huiuſmodi dicitur potentia obedientialis actiua: alia demùm eſt, quam Deus poteſt eleuare ad actum efficiendum ſimul & ſuſtentandum, eaque habet nomen potentiæ obedientialis actiuæ & paſſiuæ.

8. Aſſertio tertia. Potentia obedientialis non eſt aliquid re ipſa diſtinctum ab ipſa entitate creaturæ.

9. Hæc ſententia ità demonſtratur: habere potentiam obedientialem eſt formaliſsimè poſſe ele-

eleuari ad aliquem actum ordinis ſupernaturalis; ſed creatura, quæ ad huiuſmodi actum eleuatur, per ſe ipſam poteſt eleuari, ergo per ſe ipſam habet pótentiam obedientialem, atque adeò iſta potentia eſt indiſtincta ab entitate creaturæ, res enim creata ſicuti exiſtit per exiſtentiam, quam habet identicé, & intranſitiué, itá poteſt eleuari ad actum ſupernaturalem per potentiam, quam habet identicè & intranſitiuè. Ex quibus efficitur potentiam obedientialem, quam habet iuxtá doctrinam traditam in tom. 2. diſp. 6 qu. 3. natura rationalis, vt exiſtat in ſuppoſito diuino; nil aliud eſſe, quàm ipſam naturam rationalem capacem exiſtere in ſuppoſito diuino: quod autem dico de potentia obedientiali relaté ad hunc mirabilem nexum cum perſona diuina, dic conſequenter de alia potentia obedientiali ad effectus ſupernaturales, nimirum de potentia obedientiali intellectus creati ad videndum Deum, de potentia obedientiali materiæ ad ſuſtentandam formam reproductam.

10. Conſonat huic diſcurſui id, quod áit Auguſt. in lib. de Prędeſt. ſanct. c. 5 *poſſe habere fidem & charitatem natura eſt hominum, habere autem eſt gratia fidelium*, qua in re optimé diſtinguit iuxta doctrinam à nobis traditam inter eleuabilitatem, quæ eſt ipſa potentia obedientialis, & actualem eleuationem, illa enim ſpectat ad naturam omnibus hominibus communem, hæc verò ad gratiam illis tantúm collatam, quos Deus elegit & gratiosè vocauit vocatione ſecundùm propoſitum. Hinc habes, quód potentia obedientialis eſt ordo tranſcendentalis ad omnes actus ſupernaturales, quos ſubſtantia creata poteſt producere tanquam inſtrumẽtum primæ cauſæ operantis ſupra ordinem natu-

ræ. Ratio patet, quia potentia paſſiua, quæ eſt in materia, includit ordinem tranſcendentalem ad omnes formas, & potentia áctiua, quæ eſt in cauſis ſecundis, includit ſimilem ordinem ad omnes effectus, qui in eárum virtute continentur: ſed omnis potentia obedientialis eſt potentiá, vel paſſiua alicuius formæ, quam in ordine ſupernaturali poteſt ſuſcipere, vel actiua alicuius effectus, quem poteſt in eodem ordine producere, ergo potentia obedientialis includit hunc ordinem tranſcendentalem. Indé eſt, quód ſicuti omnis cauſa ſecunda habet identicè ordinem tranſcendentalem ad omnes effectus, quos poteſt actiuè, vel paſsiuè producere iuxta curſum prouidentiæ naturalis; itá cauſa ſecunda habet identicé ordinem tranſcendentalem ad omnes effectus, quos in alio rerum ordine poteſt producere.

11. Aduerſus hanc doctrinam, quæ explicat naturam potentiæ obedientialis, duo poſsunt opponi.

12. Primó ex capite entis créati in hunc modum. Ex his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, nihil habet identicé ordinem tranſcendentalem ad ea, quæ ſunt ſuprà naturam: ſed potentia obedientialis habet ordinem traſcendentalem ad ea, quæ ſunt ſuprá naturam, ergo ex his, quæ ſpectant ad naturam nihil habet identicè potentiam obedientialem, ergo non datur realis identitas inter ſubſtantiam creatam, & potentiam obedientialem. Maior probatur, túm quia nulla eſt connexio ordinis naturalis cum ordine ſupernaturali, túm quia poteſt cognoſci perfecté ordo naturalis ſine cognitione ordinis ſupernaturalis, aliter poſſet lumine naturæ demonſtrari id, quod ab omnibus Theologis cenſetur indemonſtrabile, nimi-

mirùm vnio hypoſtatica, viſio beata, ergo, &c.

13. Secundò arguitur contra eandem doctrinám ex capite potentiæ obedientialis in hunc modum. Nulla ſubſtantia creata eſt ſupernaturalis: omnis potentia obedientialis eſt ſupernaturalis: ergo nulla ſubſtantia creata eſt potentia obedientialis. Maior patet, quia repugnat in terminis ſubſtantia completa ſupernaturalis. Minor etiam patet, quia illa potentia eſt ſupernaturalis, cuius actus eſt ſupernaturalis, ſed actus potentiæ obedientialis eſt ſupernaturalis,ergo &c.Addo,quód potentia, quæ habet ordinem ad effectus naturales, eſt realiter diſtincta à potentia, quæ habet ordinem ad effectus ſupernaturales; diuerſitas enim actuum arguit diuerſitatem potentiæ.

14. Ad primum argumentum reſp: nihil obſtare, quo minùs id, quod ſpectat ad ordinem naturæ, referatur reſpectu tranſcendentali ad ordinem longé ſuperiorem tota natura, quia nihil eſt in natura, quod non referatur ad Deum natura vnum, & Perſonis trinum, eumqne non reſpiciat, quatenús habet eſſe longè ſublimius qualibet natura non ſolúm creata, ſed etiam creabili. Hinc eſt, maiorem propoſitionem, quæ in argumento aſſumitur, eſſe falſam: ad probationem eiuſdem dico, eam connexionem, quæ requiritur in ſubſtantia creata cum illis effectibus, qui ſpectant ad ordinem ſupernaturalem, non eſſe cauſam, cur vnus ordo connectatur cum alio eo genere connexionis, quod repugnat ſtatui naturali: ratio eſt, quia duplex datur connexio vnius rei cum alia, nimirùm connexio, qua viciſsim connectuntur ea, quorum vnum ſine alio eſſe non poteſt, adeoque vnum exigit aliud: alia eſt connexio, qua viciſsim connectuntur ea, quorum vnum reſpicit

aliud ſine quo poteſt eſſe: prima connexio reperitur inter materiam & formam, eadem nullatenus datur inter ordinem naturæ, & ordinem ſupernaturalem: ſecunda connexio ibi reperitur, vbi ſunt ea, quorum vnum non ſpectat ad naturalem alterius perfectionem: huiuſmodi connexione cònnectitur ordo naturæ cum ordine ſupernaturali: hinc eſt, quód poteſt perfecté, immò comprehenſiuè cognoſci ordo naturæ ſine certa & clara cognitione ordinis ſupernaturalis, quia ad comprehendendam aliquam potentiã ſatis eſt cognoſcere omnes effectus naturales eiuſdem potentiæ.

15. Ad ſecundúm ſatis conſtat ex doctrina tradita: in forma conc: mai: & diſt: min: omnis potentia obedientialis eſt ſupernaturalis entitatiuè; nego mi: terminatiué, conc: mi: & nego conſ: Æquiuocatio argumenti coſiſtit in æquiuocatione inter potentiam entitatiuè ſupernaturalem, & potentiam terminatiuè ſupernaturalem: potentia obedientialis non eſt ſupernaturalis entitatiuè, quia eſt ipſa entitas naturalis: eadem eſt ſupernaturalis terminatiuè, quia actus huius potentiæ eſt actus ſupernaturalis. Ad probationem mi: dico illam potentiam eſſe entitatiuè ſupernaturalem, quæ vel exercet actum ſupernaturalem virtute ſua, ſine vlla neceſsitate eleuationis ad ordinem ſupernaturalem, vel nullum actum exercet, qui non ſit ſupernaturalis: huiuſmodi potentia procul dubio non eſt potentia obedientialis, quæ exercet plurimos actus naturales: & illos actus ſupernaturales, quos poteſt exercere, non poteſt exercere, niſi eleuetur ad ordinem ſupernaturaturalem. Hinc eſt, dari diſtinctionem tantúm formalem inter potentiam naturalem, & ſupernaturalem; quia diuerſitas actiuum non ſemper arguit rea-

realem diſtinctionem vnius potentiæ ab alia, vt patet pluribus exemplis.

QVAESTIO II.

Vtrum omnis ſubſtantia creata habeat identicè potentiam obedientialem.

1. Videtur non habere, primó quia non omnis ſubſtantia creata poteſt eleuari ad actus ſupernaturales, ergo non omnis ſubſtantia creata habet identicé potentiam obedientialem. Antec: probatur, quia ſunt aliquæ ſubſtantiæ creatæ, quæ non habent aliquod prædicatum ſpecificum commune cum effectu ſupernaturali, ſed ſubſtantia, quæ non habet prędicatum ſpecificum commune cum effectu ſupernaturali, non poteſt eleuari ad actus ſupernaturales, ergo aliqua ſubſtantia creata non poteſt eleuari ad actus ſupernaturales.

2. Secundó: Subſtantia non operatiua non habet identicè potentiam obedientialem: non omnis ſubſtantia creata eſt operatiua: ergo non omnis ſubſtantia creata habet identicè potentiam obedientialem. Maior patet, quia potentia obedientialis poteſt in ordine ſupernaturali operari, igitur po-entia, quæ non eſt operatiua, non eſt potentia obedientialis. Minor probatur, túm quia nihil obſtat, quo minus reperiatur ſubſtantia creata, quæ non ſit operatiua, túm quia formalitas ſubſtantiæ creatæ neque realiter neque illatiué eſt formalitas entis operatiui, igitur non omnis ſubſiſtentia creata eſt operatiua.

3. Tertió: Materia prima eſt ſubſtantia crea-

ta: ſed materia prima non habet identicè potentiam obedientialem: ergo non omnis ſubſtantia habet identicè potentiàm obedientiàlem. Minor probatur, quia materia non poteſt eleuari ad illum actum, quem non continet in ſua virtute, ſed nullum actum ſupernaturalem continet in ſua virtute, ergo &c.

4. Reſp. Poſſe eleuari ad actum ſupernaturalē eſt prædicatum, quod tranſcendit per omnes res creatas: nomine rei creatæ ſignificatur ſubſtantia completa, quia licet plurima ſint in numero rerum creatarum, quæ non ſunt ſubſtantia completa, nihilominùs ſubſtantia completa dicitur antonomaſticé res creata, quia ratio entis, quæ eſt analoga ſubſtantiæ, & accidenti, ſignificat ſubſtantiam, tanquam principale analogatum.

5. Poſſe igitur eleuari omnem ſubſtantiam creatam ad actum ſupernaturalem euincitur hoc diſcurſu, quem in hunc modum formo ex natura ſubſtantiæ creatæ. Subſtantia creata in quantúm ſubſtantia creata eſt operatiua alicuius perfectionis á ſe diſtinctæ: ratio à priori fundatur in hoc principio, *eſſe eſt propter operari*, quod itá debet intelligi, vt finis intrinſecus omnium rerum ſit vltima earum actualitas: hæc vltima rerum omnium actualitas eſt operatio propria ſingulis rebus, quia eſt cauſa, quòd ſingulæ res habeant perfectionem quantam debent habere in ſuó genere maximam: hinc vſus obtinuit, vt ipſa operatio habeat nomen actus ſecundi ad ſignificandā illam vltimam actualitatem, quam ſubſtantia operando acquirit. Quare inter ſubſtantiam infinité perfectam, & ſubſtantiam imperfectam hoc intereſt, quód illius operatio eſt indiſtincta ab operante, huius veró operatio eſt ab operante diſtincta: ratio eſt manifeſta,

feſta, quia ſubſtantia perfectionis infinitæ eſt ſummé ſimplex, adeoq; habet identicé omnem ſuam perfectionem,& conſequenter ſuam operationem. Hinc eſt, quòd actus ſecundús, ſiue vltima actualitas naturę intelligentis,qui actus eſt formaliſſimè omnia intelligere, habet realem identitatem cum Deo. E contrarió nulla ſubſtantia perfectionis finitæ habet omnem ſuam perfectionem ſine aliqua compoſitione, quia ens ſimpliciſſimum, & ens perfectiſſimum ſunt termini conuertibiles: indé eſt, nullam eſſe ſubſtantiam perfectionis finitæ, in qua realiter non diſtinguantur actus primus & actus ſecundùs, ſiue vltima actualitas, & ſubiectum actuabile; quia verò vltima actualitas, ſiué actus ſecundús eſt formaliſſimé operatio vnicuique rei propria; ideo nulla eſt ſubſtantia creata, in qua non ſit realis diſtinctio inter operationem, & operantem:quare hoc principium *eſſe eſt propter operari*, infert hoc aliud principium *modus operandi ſequitur modum exiſtendi*; quia neceſſe eſt quamlibet rem operari eo modo quo eſt; ſi neceſſe eſt vt quælibet res *aliquid* operetur,quod eſt indubitanter neceſſarium, poſito quód eſſe ſit propter operari: eſſe itàque infinitum & diuinum eſt propter operari ab operante indiſtinctum, eſſe autem finitum, & creatum eſt proptér operari diſtinctum ab operante.

6. Hoc diſcurſu eſt mihi perſpicuum, eſſe operatiuum vagari per quamlibet ſubſtantiam completam: quidquid ſit de incompleta; de qua nullam volo hic habere quæſtionem, ea enim iuxta phraſim S. Doctoris non tám producitur quám comproducitur in generatione ſubſtantiæ. Ex quibus efficitur, omnem ſubſtantiam creatam eſſe principium ſaltem radicale non ſolúm paſſiuum,

quod

quod eſt ſatis indubitatum; ſed etiam actiuum quod eſt probabiliſſimum, alicuius formæ, vel proprietatis à ſe diſtinctæ, adeo vt maior vel minor perfectio oriatur ex modo magis vel minus perfecto, quo ſingulæ res operantur, vt de hac re plura docui in libris de anima tom. 3. Quibus poſitis reſtat, vt oſtendam omnē ſubſtantiam creatam poſſe Deo eleuari ad aliquem actum ſupernaturalem: id autem facile oſtendo ex ijs, quæ hucuſque oſtendi. In ordine ſupernaturali plurima ſunt, quæ habent aliquam ſimilitudinem cum illo peculiari effectu, quem poteſt quælibet ſubſtantia creata in ordine naturali producere, quia ſicuti in ordine ſupernaturali viſio Dei habet aliquam ſimilitudinem cum illo actu, quem in ordine naturali efficit intellectus creatus, nimirum cum actu intelligendi; ità in eodem ordine, qui eſt infinitus, dubitari non poteſt, an plurima ſint, quæ habent aliquam ſimilitudinem cùm cæteris actibus, quos poſſunt ſingulæ ſubſtantiæ in ordine naturali producere. Hinc eſt, quód ſicuti intellectus creatus poteſt diuinitús eleuari ad actum viſionis beatæ, ſiue ad actum viſionis Dei, ità quælibet ſubſtantia creata poteſt diuina virtute eleuari ad aliquem actum ordinis ſupernaturalis propter ſimilitudinem pariter imperfectam, quæ intercedit inter actum connaturalem ſibi proprium, & aliquem actum ſupernaturalem; intellectus autem creatus, quia poteſt eleuari ad viſionem Dei, habet identicé & intranſitiué potentiam obedientialem, igitur quæcumque ſubſtantia, quæ poteſt eleuari ad aliquem actum ſupernaturalem ſimilem actui naturali habebit identicé, & intranſitiuè potentiam obedientialem. Quare cum nulla ſit ſubſtantia creata, quæ non poſſit produ-

ducere aliquem effectum ſibi debitum, adeoque ſibi connaturalem, nulla conſequenter eſt ſubſtantia creata, quæ non poſſit diuinitús eleuari ad aliquem effectum ſibi indebitum, adeoque ſupernaturalem: omnis igitur ſubſtantia creata habet potentiam obedientialem reſpectu alicuius actus quo ad ſubſtantiam vel modum ſupernaturalis, quod erat demonſtrandum.

7. Ad primum, nego ma: ad eius probationem nego ma: cuius falſitas conſtat ex doctrina tradita; quia ordo ſupernaturalis, qui eſt ordo ampliſſimus, plura continet, quæ habent aliquam ſimilitudinem cum illis effectibus, quos poteſt quælibet ſubſtantia creata viribus naturæ producere: ſicuti ordo rerum immaterialium eam habet proportionem cum ordine rerum materialium, vt ibi multa exiſtant, quæ habent aliquã ſimilitudinem cum rebus ſpectantibus ad ordinem rerum materialium. Eſt igitur in qualibet ſubſtantia creata virtus quædam inchoata relaté ad aliquem actum ſupernaturalem: hanc virtutem Deus poteſt complere eam eleuando ad aliquem actum eidem indebitum producendum, ſicuti in præſenti eleuat intellectum creatum ad viſionem Dei, quæ eſt actus ſupernaturalis eidem intellectui indebitus: eſt igitur in qualibet ſubſtantia creata potentia obedientialis ab eadem realiter indiſtincta.

8. Ad ſecundúm poteſt omitti maior, potentia enim obedientialis alia eſt actiua, alia paſſiua, hæc non ſupponit ſubſtantiam efficienter operatiuam; vt eſt certum, quia potentia paſſiua influit ſolum paſſiuè in effectum; vnde patet maiorem propoſitionem eſſe falſam, ea tamen tranſmiſſa, nego mi: ad eius probationem quid dicendum ſit

ſit, ex dictis conſtat; quia omnis ſubſtantia completa habet aliquas proprietates á ſe vtique diſtinctas, quarum eſt cauſa in genere cauſæ actiuæ. Addo ad hæc, nullam eſſe ſubſtantiam, quæ non poſſit in ſe producere ſuam vbicationem, cur ergo non poterit eleuari á Deo, ad producendas ſimul diuerſas vbicationes? præſertim, quia iuxtá noſtram ſententiam de replicatione in tom. 2. diſp. 13 qu. 2. & 3. idem poteſt diuinitús eſſe ſimul in pluribus locis; quare formalitas ſubſtantiæ creatæ licet non ſit formaliter formalitas virtutis operatiuæ, eſt arguitiué hæc formalitas, quatenùs ex *illa* poteſt inferri virtus producendi proprietatem à ſe diſtinctam, vt fuit demonſtratum.

9. Ad tertium: quod ibi vrgetur non eſt ad rem; túm quia hic eſt controuerſia de ſubſtantia completa, quæ vtique non eſt materia; túm quia ipſa materia poteſt eleuari ad ſuſtentandam aliquam formam ordinis ſupernaturalis, adeoque habet potentiam obedientialem.

10. Remanet dubium in hac quæſtione ſoluendam; quomodo nimirum fieri poſſit, vt in tota natura ſit potentia hæc obedientialis, quæ non poteſt viribus naturæ redigi in actum; videtur enim eſſe ſuperflua illa potentia, quæ nunquam poteſt operari viribus naturæ, adeoque videtur hæc potentia non eſſe in natura, in qua nihil eſt ſuperfluum.

11. Hoc dubium facilé ſoluitur, dicendo eam potentiam eſſe omnino ſuperfluam, quæ viribus naturæ nullum actum poteſt exercere: potentia autem obedientialis, quæ eſt in natura, poteſt viribus naturæ exercere aliquem actum; licet non poſſit omnem; hæc igitur potentia non eſt ſuperflua. Minor probatur, quia potentia obedientialis eſt

rea-

realiter indiſtincta à potentia naturali; ſed potentia naturalis poteſt viribus naturæ exercere ſuos actus; ergo potentia obedientialis realiter indiſtincta á potentia naturali poteſt viribus naturæ exercere aliquem actum, quod ſatis eſt, ne omninó cenſeatur otioſa & inutilis in natura.

QVAESTIO III.

Vtrum potentia obedientialis debeat eleuari à Deo, vt exerceat actum ſupernaturalem.

1. DVo ſunt, quæ circa hanc potentiam hucuſque demonſtraui; nimirum eam eſſe virtutem quandam inchoatam alicuius actus ſupernaturalis; & huiuſmodi virtutem eſſe identicé in qualibet ſubſtantia creata: ex quibus iam demonſtratis ſequitur neceſſitate conſequentiæ hanc potentiam indigere, vt diuina virtute eleuetur ad illum actum exercendum, cuius eſt inchoata virtus. Ratio patet, quia ſi non eſſet neceſſaria aliqua eleuatio, huiuſmodi virtus non eſſet inchoata; quod repugnat hypotheſi; eſſet enim virtus adæquata formaliter vel exigitiué, adeoque eſſet virtus naturalis potiús, quám obedientialis, id enim intereſt inter virtutem naturalem, & obedientialem, quód illa eſt adæquata ſaltem exigitiuè: ſecús iſta; vt ſatis conſtat ex virtute obedientiali intellectus creati ad videndum Deum, & virtute naturali oculi ad videndum colorem: virtus enim oculi eſt adæquata relaté ad viſio-

viſionem coloris; adæquata, in quam, exigitiuè non formaliter, quia ſpecies coloris, quæ requiritur ad videndum, debetur oculo tanquam eiuſdem complementum, vt poſſit videre colorem: è contrarió virtus obedientialis, quæ eſt in intellectu creato relaté ad viſionem Dei, nullo pacto eſt adæquata, quia huic intellectui non debetur illud, quod complet virtutem exercendæ viſionis Dei: hinc eſt multúm differre potentiam obedientialem á potentia eleuáta; quia actus ſupernaturalis eſt debitus potentiæ eleuatæ; idem non eſt debitus potentiæ obedientiali. Ratio á priori eſt, quia inter virtutem inchoatam, qualis eſt obedientialis, & vitutem completam, qualis eſt potentia eleuata, hoc intereſt; quód potentiæ eleuatæ ſiue completę eſt debitus actus eidem virtuti reſpondens; potentiæ veró inchoatæ non eſt debitus actus eidem reſpondens; actus igitur ſupernaturalis, qui reſpondet potentiæ tám obedientiali, quám eleuatæ, eſt indebitus potentiæ obedientiali, idemque eſt debitus potentiæ eleuatæ.

2. Exemplis rem totam demonſtro. Compara intellectum creatum in ſtatu naturáli exiſtentem cum intellectu eleuato in ordine ſupernaturali per lumen gloriæ ad videndum Deum: vterque intellectus habet potentiam obedientialem viſionis Dei, vnus tamen eſt eleuatus, alter veró non eſt eleuatus per lumen gloriæ ad videndum Deum; ideó intellectui non eleuato viſio Dei non eſt debita, eademque eſt debita intellectui eleuato; illi enim eſt innaturalis, iſti veró eſt connaturalis; quia potentia eleuata ſupra potentiam obedientialem addit meritum, & neceſſitatem exercendi actum ſupernaturalem. Hinc potentia eleuata latiús patet, quam obedien-

tia-

tialis; quia á potentia eleuata eſt conſequentia ad obedientialē; á potentia obedientiali nulla eſt conſequentia ad eleuatam; potentia enim obedientialis quatenús obedientialis eſt formaliſſimé potentia eleuabilis ad actum ſupernaturalem: ſed omnis potentia eleuata eſt eleuabilis; non omnis eleuabilis eſt eleuata; vt conſtat ex terminis: igitur potentia eleuata infert obedientialem; obedientialis non infert eleuatam. Ex quo diſcurſu prætereá ſequitur actum ſupernaturalem, qui non eſt connaturalis potentiæ obedientiali nōn eleuatæ, eſſe connnaturalem potentiæ obedientiali eleuatæ. Ratio eſt, quiá illud eſt connaturale, quod eſt debitum; connaturale enim & debitum ſunt termini conuertibiles: actus autem ſupernaturalis eſt debitus potentiæ obedientiali eleuatæ, idem non eſt debitus potentiæ obedientiali non eleuatę; ergo actus ſupernaturalis eſt connaturalis potentiæ eleuatæ: non eſt connaturalis potentiæ non eleuatæ. Indé eſt, quód Deum videre eſt connaturale intellectui eleuato á lumine gloriæ nōn minús, quam ſit connaturale ſoli illumináre, igni calefacere, oculo videre, ergó &c.

3. Dubium eſſe poteſt, quomodo fieri poſſit, vt ſit debitum & connaturale, quod eſt ſupernaturale, cum videatur pugnantia dicere, qui dicit rem ſupernaturalem eſſe debitam, & connaturalem; ſi enim eſt ſupernaturalis, quomodo eſt connaturalis? & ſi indebita, quomodo debita?

4. Hoc dubium caret omni difficultate; ſi diſtinguas inter id; quod abſoluté, & nulla facta hypotheſi eſt connaturale, & id, quód eſt connaturale tantúm ex ſuppoſitione, primum enim aperté pugnat cum re ſupernaturali ob mutuam terminorum oppoſitionem: ſecundum non modo

non

non repugnat, ſed vnum potiùs ex alio ſequitur; vt conſtat in re ſimili ex formalitate entis liberi,& formalitate entis neceſſarij, quid enim magis pugnat cum libero, quàm neceſſarium? & tamen non repugnat neceſſitatem componi cum libertate, illam nimirùm, quam vocant Philoſophi ex ſuppoſitione, vt patet ex ijs, quæ dixi in tom.1. de fut. conting. diſp.12.actus igitur ſupernaturalis eſt connaturalis potentiæ eleuatæ ex ſuppoſitione ipſius eleuationis, quæ ſine dubio eſt ſupernaturalis, atque adeo iſta connaturalitas non officit ſupernaturalitati.

5. Ex qua doctrina habes, potentiam eleuabilem,ſiue obedientialem eleuari ad actum ſupernaturalem nil aliud eſſe, quam eam ſupernaturalizari: quód ſi iterum à me quæras, quid ſit potentiam ſupernaturalizari; dico tunc ſupernaturalizari, cum ex inchoata ſit completa in ſuo genere, relaté ad actum ſupernaturalem. Quiá veró ſubſtantia creata per ſe ipſam eſt virtus inchoata huiuſmodi actus; vt demonſtraui in quæſt.2. num.6.; ideo ſubſtantia creata tunc ſupernaturalizatur, quando acquirit virtutem in ſuo genere completam alicuius actus ſupernaturalis. Hinc patet neceſſitas alicuius eleuationis in potentia obedientiali præſertim actiua, vt mox dicam, ad exercendum actum ſupernaturalem, quia huiuſmodi potentia vt exerceat vnum actum, debet ex inchoata fieri completa; ſed non poteſt fieri ex inchoata completá, niſi à Deo eleuetur; ergo indiget aliqua eleuatione, adeoque debet ſupernaturalizari.

6. Hæc videntur ſatis certa: in dubium poteſt verti; an neceſſe ſit potentiam obedientialem intrinſecè eleuari, àdeoque intrinſecé ſupernaturalizari per aliquem habitum,vel qualitatem ſupernatu-

naturalem, quæ eam intrinſecè perficiat & extollat ad ſtatum ordinis ſublimioris: hic loquor de potentia obedientiali actiua; quiá de paſſiua non nulla dicam poſt hanc controuerſiam definitam, á qua pendent, quæ agitari poſſunt de potentia paſſiua. Quod autem ad hanc quæſtionem attinet, non eſt incertum apud ſcholaſticos, an poſſit intrinſecè ſupernaturalizari, quià definitum eſt ab Eccleſia in pluribus Concilijs, & præſertim in Tridentino, habitus ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, cæterarumq; virtutum moralium eſſe in Anima hominis ex meritis Chriſti iuſtificata. Præterea ex ſacris literis conſtat eſſe in intellectu Beati lumen gloriæ, quód eſt qualitas ſupernaturalis eundem eleuans ad videndum Deum. Hinc non poteſt dubitare Philoſophus, an Deus poſſit ſubſtantiam creatam eleuare per aliquam formã, ſiué qualitatem eidem intrinſecam, quæ eidem inhærendo compleat virtutem inchoatam, quę eſt ipſa potentia obedientialis. Eſt igitur controuerſum, an Deus non poſſit eam alitér eleuare, niſi intrinſecè mutando, ita vt potẽtia obediẽtialis intrinſecè ſupernaturalizetur. Partem negantem videntur ſequi nonnulli Theologi, quos refert Vaſq. diſp. 45. in 1. par. cap. 1. aſſerentes neceſſitatem metaphyſicam luminis gloriæ ad videndum Deum, & conſequenter habitus fidei ad credendum fide diuina: huiuſmodi Theologi ſunt Capreol. in 4. diſp. 49. Ferrarienſis in 3. contrà gent. Dominicus Sotus cum alijs Thomiſtis: argumenta quæ inclinant in hanc partem huiuſmodi Theologos, ſunt.

7. Primò: non eſt minús neceſſaria ad videndum potentia viſiua, ad intelligendum potentia intellectiua, quám ad credendum habitus fidei, ad videndum Deum lumen gloriæ, & quodlibet aliud

donum ſupernaturale, quod complet potentiam obedientialem ad exercitium actus ſupernaturalis: ſed facultas intelligendi eſt neceſſaria neceſſitaté metaphyſica ad intelligendum: ergo habitus fidei eſt neceſſarius metaphyſicè ad credendum, adeoque quidquid intrinſecè ſupernaturalizat potentiam obedientialem eſt metaphyſicè neceſſarium ad exercitum actus ſupernaturalis. Mai:probatur, quiá huiuſmodi habitus, vt omnibus conſtat, tribuunt ſimpliciter poſſe, cum cæteri dent tantùm faciliùs poſſe: ille autem habitus qui tribuit ſimpliciter poſſe, eſt neceſſarius ad actum; quia induit naturam potentiæ eſſentialiter neceſſariæ ad eundem actum.

8. Secundó: potentia obedientialis non poteſt exercere actum ſupernaturalem, niſi ſupernaturaliſzetur; ſed non poteſt ſupernaturalizari, niſi perficiatur intrinſecé; quiá ſupernaturalizatio eſt formaliſſimé perfectio illius rei, quæ eleuatur ad ordinem ſupernaturalem; ideo intellectus eleuatus ad videndum Deum eſt intellectus, qui poteſt ac debet videre Deum, intellectus autem non eleuatus nec debet, nec poteſt proximé videre Deum; patet autem intellectum, qui non ſolúm poteſt, ſed etiam debet videre Deum, eſſe longé perfectiorem perfectione ſibi intrinſeca eo intellectu, qui nec debet, nec poteſt proximé videre: ergo intellectus eleuatus, adeoque ſupernaturalizatus eſt intrinſecé perfectior intellectu non eleuato: repugnat igitur intellectum eleuari, & ſupernaturalizari, eumque intrinſecé non perfici; adeòque non poteſt intellectus & quælibet potentia obedientialis eleuari ad actum ſupernaturalem, niſi per aliquam formam ſibi intrinſecam.

9. Tertió: forma eleuans potentiam obedien-

tia-

tialem, eique intrinſeca, vel eſt metaphyſicè neceſſaria ad actum ſupernaturalem; vel eſt otioſa & ſuperuacanea: atqui non eſt ſuperuacanea, aliter eſſet impoſsibilis; repugnat enim vt Deus faciat aliquid inutile & otioſum: igitur eſt neceſſaria neceſsitate metaphyſica, adeóque repugnat potentiam obedientialem eleuari per aliquid ſibi extrinſecum. Ma: prob: quia non eſt, cur hæc forma ſupernaturalis ſit intrinſeca potentiæ eleuatæ, ſi actus ſupernaturalis poteſt procedere à potentia eleuata eleuatione non intrinſeca.

10. Partem affirmantem, quam nos ſequimur, docent ferè omnes Theologi cum Vaſq. ibid. qui proinde opinantur non eſſe neceſſariam neceſsitate metaphyſica formam, ſiué qualitatem intrinſecam potentiæ obedientiali.

11. Ratio potiſsima, quæ nobis habet perſuaſam hanc ſententiam, deſumitur primò ex conceptu potentiæ eleuatæ, in hunc modum. Potentia eleuata quatenùs eleuata eſt formaliſsimé potentia completa in genere potentiæ relatè ad actum ſupernaturalem: ſed hoc totum poteſt intelligi, non intellecta vlla forma vel qualitate intrinſeca eidem potentiæ; ergo potentia non conſtituitur formaliter eleuata per formam vel qualitatem ſibi intrinſecé inhærentem: ergo potentiam non eſſe intrinſecè informatam qualitate ſupernaturali, eamque eſſe eleuatam ad actum ſupernaturalem non ſunt prædicata viciſſim oppoſita: non eſt igitur neceſſaria neceſſitate metaphyſica qualitas, ſiué forma ſupernaturalis intrinſeca potentiæ obedientiali ad eam eleuandam. Hæc vltima conſequentia patet, quia illud tantùm eſt metaphyſicè neceſſarium, cuius oppoſitum eſt impoſſibile. Min: prob: quia intellecta potentia obedientiali vna

cum omnipotentia diuina parata concurrere maiori concurſu, intelligitur formaliſſimè potentia completa ad actum ſupernaturalem; quia totum id, quod deeſt potentiæ obedientiali, ab vndè inuenitur in diuina omnipotentia: ſed hoc totum intelligitur non intellecta vlla forma, vel qualitate ſupernaturali intrinſecâ potentiæ obedientiali; quia omnipotentia Dei, eiuſque voluntas parata concurrere maiori influxu eſt procul dubio extrinſeca ſubſtantiæ creatæ, quæ eleuatur ad exercitium actus ſupernaturalis: ergo conceptus, qui negat omnem formam ſupernaturalem intrinſecam potentiæ, non excludit conceptum potentiæ eleuatæ.

12. Secundò: ex conceptu cauſæ primæ demonſtratur eadem ſententia. Poſſe agere efficienter eſt pura perfectio; ſed in cauſa prima eſt omnis pura perfectio: ergo in cauſa prima eſt omnis virtus agendi efficienter: ergo nihil poteſt agere cauſâ ſecunda diſtinctum ab ipſo agere, quod non poſſit ſola cauſa prima. Ratio à priori eſt, quia poſſe ſupplere defectum illius cauſæ, quæ operatur ex abundantia perfectionis, qualis eſt cauſa actiua quatenús actiua, eſt formaliſſimè continere totam perfectionem effectus; ſed cauſa prima continet totam perfectionem illius quod fit à cauſa ſecunda: ergo cauſa prima poteſt ſupplere defectum cauſæ ſecundæ; ergo poteſt ſola agere quidquid agit cauſa ſecundâ diſtinctum ab ipſo agere.

13. Hinc eſt, quòd cauſa prima poterit cum potentia obedientiali influere in actum ſupernaturalem, ſupplendo defectum qualitatis ſupernaturalis intrinſecé inhærentis potentiæ, eamque eleuantis ad actum ſupernaturalem: non eſt igitur neceſſaria neceſſitate metaphyſica qualitas ſupernaturalis, quæ intrinſecé ſupernaturalizet poten-

tiam

tiam obedientialem, eamque eleuet ad exercitium actus ſupernaturalis. Addo, quod Deus poteſt ſe ſolo efficere quidquid efficit habitus naturalis acquiſitus exercitio actuum, poterit igitur ſe ſolo efficere quidquid efficit habitus ſupernaturalis, qui á Deo infunditur, & tribuit ſimpliciter poſſe: idcircó Deus poteſt eleuare intellectum creatum ad videndum Deum ſine habitu ſupernaturali luminis gloriæ eidem intrinſeco, & ad fidem adhibendam Deo reuelanti ſine habitu ſupernaturali fidei diuinæ: prætereá poteſt eleuare voluntatem ad exercendum actum charitatis, quæ eſt virtus theologica & ſupernaturalis ſine habitu ſupernaturali eidem intrinſeco: idem conſequenter dicendum de qualibet potentia obedientiali, quam poteſt Deus eleuare ad exercitium actus ſupernaturalis ſine vlla qualitate eidem intrinſecá.

14. Ex qua doctrina liquet, duplicem eſſe modum eleuandi hanc potentiam; vnum intrinſecum, qui conſiſtit in aliqua forma accidentali, vel qualitate eidem inhærente, quæ potentiam eatenùs ſupernaturalizat, quatenùs eam adiuuat, & complet relaté ad actum ſupernaturálem: alium extrinſecum, qui conſiſtit in diuina omnipotentia paratá concurrere maiori concurſu cum potentia obedientiali ad actum ſupernaturalem, quám ad actũ naturalem. Inter vtrumque modum hoc intereſt, quód Deus eleuando eleuatione intrinſeca ipſam potentiam agit illud idem, quod agit potentia eo actionis genere, quo agit cum cauſa ſecunda in ſuo genere adæquata; cum veró eleuat potentiam eleuatione extrinſeca, agit diuerſo actionis genere, debet enim ſupplere defectum cauſæ ſecundæ, nimirum qualitatis creatæ eleuantis potentiam, eamque roborantis relaté ad actum ſupernatura-

lem. Ex hoc duplici modo eleuandi potentiam obedientialem vtroque poſsibili, conſtat primum eſſe longè nobiliorem ſecundo, quia potentia obedientialis operatur longè perfectiùs, quandò eſt intrinſecè eleuata, habet enim intrinſecè quidquid ſpectat ad potentiam in ſuo genere completam, quod non contingit, quando eſt eleuata extrinſecè. Quò fit, vt Deus, qui ſubſtantiam creatam eleuauit ad ordinem ſupernaturalem, non fuerit contentus eam vtcunque eleuare, voluit enim eam intrinſecè eleuare infundendo intellectui & voluntati habitus ſupernaturales. Quin aliqui Theologi ſunt in ea ſententia, quód aqua baptiſmatis, quam opinantur eſſe cauſam phyſicam gratiæ, eleuari per qualitatem ſupernaturalem ſibi intrinſecam.

15. Ad primum: nego ma: quia actus fidei, & actus viſionis Dei ſunt actus vitales, vterque enim eſt actus intellectus, qui eſt potentia vitalis: actus autem vitalis indiget principio vitaliter influente, vt docui in tomo 3. diſp. 5. qu. 2. & 3. actus igitur túm fidei diuinæ, túm viſionis beatæ indiget principio vitaliter influente: hinc quia intellectus vitaliter influit, & habitus fidei non influit vitaliter in actum fidei, ideó intellectus, non habitus fidei eſt metaphyſicé neceſſariús ad actum fidei: eſt igitur diſpar vtriuſque ratio.

16. Ad ſecundùm: conceptus formális potentiæ ſupernaturalizatæ præſcindit à potentia intrinſecé, vel extrinſecé ſupernaturalizata, non poteſt igitur ex conceptu formali potentiæ eleuatæ, quæ eſt formaliſsimè potentia ſupernaturalizata, inferri potentia intrinſecè eleuata, quia licet genus inferatur ex ſpecie, nunquam ſpecies infertur ex genere. Hinc ille, qui eſt eleuatus ad videndum

Deum

Deum, dummodo non ſit eleuatus per aliquã formam ſibi intrinſecé inhærentem, non eſt intrinſecé perfectior intellectu non eleuato, quia in intellectu ita eleuato nihil eſt intrinſecé, quod non ſit in intellectu non eleuato, totum enim diſcrimen vnius intellectus ab alio refunditur in perfectionem extrinſecam intellectui, nimirum in concurſum cauſæ primæ longé maiorem reſpectu intellectus eleuati, quam reſpectu non eleuati: vndé fit, vt intellectus eleuatus & poſsit, & debeat videre Deum, intellectus autem non eleuatus neque poſſit, ſermo eſt de potentia completa, neque debeat videre Deum.

17. Ad tertiúm: forma ſupernaturalis intrinſeca potentiæ obedientiali, éamque eleuans ad actũ ſupernaturalem non eſt otioſa, etiam ſi non ſit neceſſaria, conducit enim túm ad ornandam potentiam, túm ad exercitium magis connaturale ipſius actus ſupernaturalis, effectus enim qui procedit à cauſa completa in ſuo genere, connaturaliús fit, quám ille effectus, qui non procedit à cauſa ſecunda in ſuo genere completa.

17. Ex quibus omnibus conſtat, quid ſit dicendum de potentia obedientiali paſsiua; an nimirum debeat eleuari nec né? quod ad rem præſentem attinet, potentia paſſiua, quæ reciprocatur cum cauſa materiali, alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca: potentia paſsiua intrinſeca non influit in actum cuius eſt potentia, quia ſe ipſam communicando conſtituit totum: potentia paſsiua extrinſeca influit in actum, cuius eſt potentia, quia ſuſtentat actum, quem in re recipit. Potentia intrinſeca non debet eleuari, vt enim conſtituat aliquod totum ſupernaturale, ſatis eſt, quód ſit cauſa, quæ producat actum ſupernaturalem, cum quo il-

la coniungitur; potentia paſſiua extrinſeca debet eleuari, quia debet influere in ſuo genere, ſuſtentat enim actum ſupernaturalem ſibi inhærentem: ſicuti ergo potentia obedientialis actiua non habet tantùm virium, vt ſecluſa eleuatione exerceat actum ſupernaturalem; ità potentia obedientialis paſſiua opus habet aliquo adiumento ad ſuſtinendam formam ſupernaturalem, quia in hac re eſt vtriuſque par ratio.

18. Quód ſi iterum quæras, debeat ne intrinſecè an extrinſecè eleuari; illud ipſum tibi reſpondeo, quod dixi de potentia actiua; poteſt enim vtroque modo eleuari, nequé in potentia paſſiua video ſingularem alterutrius modi repugnantiam: quid enim impedit, quo minus Deus èam ſupernaturalizet, vel intrinſecé per qualitatem, quæ ipſam adiuuet in ſuſtinendo actu ſupernaturali, vel extrinſecé ſupplendo in genere cauſæ efficientis defectum huius qualitatis. Cæterum inter potentiam paſſiuam & actiuam, vtramque obedientialem, eſt diſpar ratio, eo quód actiua poteſt intrinſecé eleuari relatè ad omnem actum ſupernaturalem, é contrarió potentia paſſiua nec poteſt, nec debet intrinſecé eleuari relaté ad omnem actum ſupernaturalem; neceſſe enim eſt hanc extrinſecé eleuari relaté ad aliquem actum, aliter ibis in infinitum, vt tibi demonſtro. Eleuet Deus intellectum intrinſecé per qualitatem phyſicé inhærentem, nimirum per lumen glorię ad ſuſtinendum actum ſupernaturalem viſionis Dei: quæro, an eleuetur etiam intrinſecè ad iſtam qualitatem ſuſtinendam: ſi dicis intrinſecé eleuari; debes aliam qualitatem ſimiliter ſupernaturalem recognoſcere intrinſecã intellectui, de qua redibit eadem controuerſia: nè igitur in infinitum pergas; debes mecum ne-

gare

gare neceſſitatem eleuandi intrinſecè potentiam paſſiuam relatè ad omnem actum ſupernaturalem; immò debes concedere, quod nunc contendo, in potentia paſſiua neceſſitatem eleuationis per formam extrinſecam, quæ non habet locum in potentia actiua.

QVAESTIO IV.

Vtrum potentia obedientialis influat in actum ſupernaturalem.

1. Non eſt dubium, quin hæc potentia debeat eleuari; id enim conſtat ex dictis, neque eſt dubium, an agat quatenùs eleuata, atque adeo an totum complexum ex potentia obedientiali & forma cauſam eleuante habeat ſimilitudinem cum actù ſupernaturali. Dubitari poteſt, an potentia obedientialis per ſe ipſam agat, an verò tota ratio, & virtus agendi exiſtat in forma eam eleuante.

2. Celebris eſt in hac controuerſia ſententia, quam ſibi vindicauit propriam ſchola Thomiſtica, quod nimirum potentia obedientialis ſe ipſa nihil agat, totam enim agendi virtutem refundit in illam formam, vel qualitatem, quæ inhæret potentiæ, eamque ſupernaturalizat; itá ſentiunt Capreolus, & Sotus.

3. Argumenta, quæ poſſunt hanc ſententiam probare, afferuntur à Thomiſtis plurima: primò: potentia obedientialis eſt ipſa ſubſtantia creata procul dubio naturalis: hæc non poteſt per ſe ipſam efficere actum ſupernaturalem; ergo neque potentia obedientialis: ergo tota virtus agendi eſt in

in forma eleuante hanc potentiam. Minor probatur, quia actus ſupernaturalis neque formaliter, neque eminenter continetur in potentia obedientiali.

4. Secundò: in actu ſupernaturali eſt formalitas ſupernaturalitatis: hanc formalitatem non tribuit actui ſupernaturali potentia obedientialis; ergo neque tribuit exiſtentiam: ergo potentia obedientialis nihil agit. Confirmatur, quia eſſe actus ſupernaturalis eſt formaliſsimè eſſe ſupernaturale: ſed potentia obedientialis non dat effectui eſſe ſupernaturale: ergo non dat eſſe actui ſupernaturali.

5. Tertió: nulla eſt formalitas realiter indiſtincta á formalitate ſupernaturalitatis, quam potentia obedientialis in ſenſu formali communicet actui ſupernaturali; ergo potentia obedientialis, neque in ſenſu reali, neque in ſenſu formali communicat actui ſupernaturali eſſe ſupernaturale. Conſequentia patet: antec: prob: túm quia nulla eſt ſimilitudo inter potentiam obedientialem, & actum ſupernaturalem, adeoque nulla eſt formalitas vtrique communis: túm quia in actu viſionis Dei nulla eſt formalitas, quam formaliter communicet intellectus, qui eſt potentia obedientialis videndi Deum; eamque non poſsit communicare formaliter lumen gloriæ, quod eſt qualitas ſupernaturalis eleuans intellectum.

6. Quartó: intellectus Beati videntis Deum non efficit viſionem Dei, ergo tota virtus, quæ viſionem efficit, eſt in lumine gloriæ. Antecedens probatur, túm quia inter cauſam & effectum debet eſſe aliqua proportio: nulla autem eſt inter intellectum & viſionem Dei: ergo &c. túm quia nulla ſubſtantia creata eſt tantæ virtutis, vt faciat ſe

ip-

ipſam beatam; intellectus igitur non eſt cauſa efficiens viſionis.

7. Quintò: duo intellectus perfectionis inæqualis nimirum humanus, & angelicus cum æqualis lumine vident æqualiter Deum, vt docet S. Thomas in 1. part. qu. 12. art. 6. ergo intellectus nihil influit in viſionem Dei, adeoque tota virtus eſt in lumine gloriæ. Conſequentia probatur; quia ſi intellectus influeret in viſionem Dei, intellectus perfectior videret perfectiùs Deum, ſicuti videt perfectiùs intellectus, qui habet lumen gloriæ perfectiùs, ergo intellectus per ſe ipſum non influit in viſionem Dei,

8. Sextò: quandò aqua calefacta producit calorem, tota virtus agendi eſt in calore eleuante aquam ad calefaciendum, ergo quandò potentia obedientialis producit actum ſupernaturalem, tota virtus agendi eſt in qualitate eam eleuante. Conſequentia probatur, quia potentia obedientialis perindè ſe habet ad actum ſupernaturalem, ac aqua ad calorem, vtraque enim indiget, illa qualitate ſupernaturali, hæc calore ad agendum.

9. Vltimò: potentia obedientialis vel non influit in actum ſupernaturalem, vel eſt cauſa principalis actus ſupernaturalis: ſed non eſt cauſa principalis, tùm quia ſolus Deus, qui gratioſè eleuat ſubſtantiam creatam, eſt cauſa principalis, tùm quia potentia obedientialis eſt inſtrumentum Dei adhibentis res creatas ad producendos effectus mirabiles: ergo &c.

10. Contrà hanc ſententiam dicendum cum Suario & ferè omnibus ſcholaſticis, potentiam obedientialem per ſeipſam influere in actum ſupernaturalem, adeoque totam agendi virtutem non eſſe in forma eleuante hanc potentiam.

11. Pro-

11. Probatur primó: repugnat in terminis, vt intellectus informatus habitu fidei exerceat actum fidei, & per ſeipſum nihil prorſus agat: idem patet in voluntate, quæ informata habitu charitatis amat Deum ſuper omnia, & in ipſo intellectu, qui informatus lumine gloriæ videt Deum: ſed intellectus, qui per habitum fidei credit Deo loquenti, & per habitum luminis gloriæ videt Deum, eſt potentia obedientialis diuinitús eleuata ad actum ſupernaturalem: ergo huiuſmodi potentia per ſeipſam agit, cum eleuatur ad actum ſupernaturalem. Maior demonſtratur ex natura actus vitalis, qualis indubitanter eſt actus fidei ſupernaturalis, & actus viſionis beatæ: repugnat vt aliquid viuat in actu ſecundò, & nihil agat, vt oſtendi in tomo 3. diſp. 8. qu. 2. intellectus igitur vel non viuit in actu ſecundó cum credit Deo, eumq; in Cęlo videt, vel aliquid per ſeipſum agit: eſt autem euidens intellectum viuere, cum exercet huiuſmodi actus, eſt igitur conſequens, vt per ſeipſum aliquid agat. Idem argumentum vrgetur in omnibus actibus ſupernaturalibus, quos fide diuina conſtat eſſe nobis liberos, quid enim magis contrarium veró, quàm mihi eſſe liberum id, in quod ego nihil influo? hinc Tridentina Synodus anathemate damnauit errorem Caluini, qui docebat liberum arbitrium in exercitio virtutis nihil omnino agere: huiuſmodi enim error iugulat libertatem ad meritum requiſitám, quare hanc Caluini ſententiam Patres eiuſdem Concilij his verbis damnarunt. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium nihil omnino agere anathema ſit*: vnde conſtat non modo habitum ſupernaturalem, verum etiam liberum hominis arbitrium aliquid agere in exercitio actus ſupernaturalis. Addo, quód voluntas adiuta

Dei

Dei gratia ſine qua nihil poteſt agere, ſeipſam determinat ad virtutem amplectendam, adeò vt prędicatum, quod determinat, actum ſit in voluntate: repugnat autem, vt voluntas determinet ſeipſam, & nihil per ſeipſam agat, quia determinare, & agere ſunt termini ſaltem non mutuó conuertibiles: neceſſe igitur eſt adæquatum principium agendi eſſe tùm in voluntate, tùm in habitu eam eleuante. Neque opponas huic diſcurſui, habitum ſupernaturalem inhærentem potentiæ obedientiali eſſe ſuperuacaneum, quia eſt neceſſarius ad complendam virtutem, quæ eſt ſolum inchoata in hac potentia, quæ redditur proportionata, vt modo connaturali exerceat actum ſupernaturalem.

12. Probatur ſecundó: potentia obedientialis eſt formaliſſimé virtus inchoata relaté ad actum ſupernaturalem: ſed virtus inchoata per ſeipſam influit in actum ſupernaturalem: ergo etiam potentia obedientialis. Maior eſt certa; intellectus enim ideo habet potentiam obedientialem videndi Deum, quam non habet oculus corporeus, quia habet virtutem inchoatam viſionis Dei, quám oculus non habet. Minor probatur, quia virtus inchoata habet aliquam ſimilitudinem cum actu ſupernaturali, virtus autem, quæ habet aliquam ſimilitudinem cum effectu, influit aliquo modo in effectum, ergo &c.

13. Probatur tertió: potentia obedientialis vel non indiget forma eam eleuante, vel per ſeipſam influit in actum ſupernaturalem: atqui ea indiget: ergo per ſe ipſam influit. Maior demonſtratur, quia indigere forma eleuante eſt indigere forma, quæ adiuuat ipſam potentiám: ſed indigere hac forma eſt formaliſsimé habere aliquam virtutem agendi, repugnat enim vt indigeat adiumen-

mento ad agendum id, quod nihil agit, ergo &c. Hinc Auguſt. demonſtrat liberum arbitrium aliquid agere, cum bené agit, quia liberum arbitrium petit á Deo adiuuari ad bené agendum, id autem non peteret, niſi aliquid ageret, quia nemo adiuuatur niſi agat, vt patet ex terminis. Non eſt tamen dubium, an multó plus agat qualitas eleuans potentiam, quàm ipſa potentia, licet vtraque agat: vnde Apoſt. ait, *non ego ſed gratia Dei mecum*.

14. Ad primum: dicendum eam continentiam, qua continetur actus ſupernaturalis in potentia obedientiali, eſſe inchoatam & imperfectam: ratio eſt, quia tanta eſt continentia actus ſupernaturalis in potentia obedientiali, quanta eſt virtus huiuſmodi potentiæ relaté ad illum actum; ſed virtus eſt inchoata, & imperfecta, vt oſtenſum fuit, ergo etiam continentia. Hinc eſt, quod hæc potentia opus habet qualitate diſtincta, vt fiat completa & perfecta in genere potentiæ, atque adeo non poteſt ſe ſola efficere actum ſupernaturalem: inde tamen non ſequitur, totam virtutem agendi eſſe in qualitate eleuante, quia non eſt idem potentiam obedientialem per ſeipſam influere, & ſe ſola influere, vnum enim eſt verum, & aliud falſum.

15. Ad ſecundum: conc: ma: diſt: mi: non tribuit in ſenſu reali formalitatem ſupernaturalitatis: nego mi: non tribuit in ſenſu formali: concedo mi: & nego conſ: formalitas ſupernaturalitatis eſt realiter indiſtincta á cæteris formalitatibus actus ſupernaturalis producti á potentia obedientiali: aliquam ex iſtis formalitatibus habet actus ſupernaturalis communem cum potentia obedientiali, quia neceſſe eſt in quolibet effectu eſſe aliquam

for-

formalitatem communem cauſæ: non omnis formalitas actus ſupernaturalis debet eſſe in potentia obedientiali, aliter hæc potentia eſſet cauſa adæquata huius actus; hinc potentia obedientialis attingit in ſenſu reali formalitatem ſupernaturalitatis ob realem identitatem cum alia formalitate formaliter attacta. Eodem modo ſoluitur id quod confirmat propoſitam difficultatem, quia potentia obedientialis communicando formaliter actui ſupernaturali aliquam formalitatem, eidem in ſenſu reali communicat eſſe ſupernaturale, quod ſatis eſt, vt per ſe influat, tanquam virtus inchoata.

16. Ad tertium: nego antec: nullus enim eſt actus ſupernaturalis, qui non habeat communem cum potentia obedientiali aliquam formalitatem: vnde naſcitur illam ſubſtantiam, quæ non habet aliquam formalitatem communem cum effectu non poſſe eleuari ad illum producendum, vt conſtabit ex quæſt. ſequenti: hinc neceſſe eſt aliquam ſimilitudinem eſſe inter potentiam obedientialem & actum ſupernaturalem, vt ſatis liquet ex viſione Dei, quæ habet aliquam ſimilitudinem cum intellectu eleuato ad videndum Deum, hic communicat illi in ſenſu non tantum reali, ſed etiam formali perfectionem vitæ immaterialis & intelligentis; argumentum igitur torquetur.

17. Ad quartum: eſt falſum antecedens loquendo de virtute inchoata, de qua hic agitur: intellectus creatus habet aliquam proportionem inchoatam cum viſione Dei; hæc proportio completur & perficitur per lumen gloræ, quod inhæret intellectui, eumque ſupernaturalizat, ideó non poteſt per ſeipſum influere in viſionem Dei, niſi eleuetur à forma ſupernaturali, vt oſtendi. Cæterum non

non eſt dubium, quin ſeipſum efficiat beatum influendo in actum, á quo beatificatur; id autem non obſtat, quo minùs ſolúsDeus habeat naturam humanam; eſt enim obiectum noſtræ fælicitatis.

18. Ad quintum: conc: antec: & nego conſeq: argumentum non probat intellectum nihil omnino agere in actum viſionis beatæ; ſed ſolúm probat, plus agere lumen gloriæ, quám intellectum, quod licet ſit verum, non eſt ad rem, non enim eſt controuerſum an potentia obedientialis plus agat, ſed an agat. Ratio autem cur intellectus inæquales cum æquali lumine videant æqualiter, & cum inæquali lumine videant inæqualiter, eſt, quia inæqualitas intellectus materialiter ſe habet ad viſionem Dei; ratio enim formaliter conſiderata in potentiá obedientiali viſionis Dei eſt natura intellectualis; quæ procul dubio inuenitur in intellectu magis & minús perfecto, angelico ſcilicet & humano: é contrarió maior perfectio luminis gloriæ eſt perfectio formaliter conſiderata in actu viſionis Dei; determinat enim intellectum ad videndum Deum magis vel minùs claré, vt ſeruata proportione contingit in lumine ſenſibili, quòd repræſentat oculis colorem.

19. Ad ſextúm: conc: antec: & nego conſ: eſt diſpar ratio inter aquam informatam calore, & potentiam obedientialem informatam qualitate ſupernaturali; illa enim agit tantùm denominatiué, quatenús ſuſtinet calorem, qui ſolús agit, quia aquá non eſt virtus quædam inchoata ad calorem producendum ſaltém in ordine naturæ, vt nihil in præſenti dicam de ordine ſupernaturali: è contrarió potentia obedientialis non tantúm denominatiué, ſed etiam formaliter per ſeipſám agit, eſt enim virtus inchoata actus ſupernaturalis, vt conſtat

fiet in intellectu eleuato ad videndum Deum: non eſt igitur vtriuſque par ratio in omnibus.

20 Ad vltimum: potentiam obedientialem alij vocant inſtrumentalem eo pacto, quo omnes cauſæ ſecundæ dicuntur inſtrumenta cauſæ primę, cum qua operantur: alij eam vocant cauſam principalem in ſuo genere, quod non obſtat, quo minús eadem ſit inſtrumentum Dei. Omnes benè, quantum ſatis eſt, loquuntur: in hac controuerſia apud me nullius momenti, quia eſt de voce, mihi eſt certum, quod ad quæſtionem de re ſpectat, debere aliquam ſimilitudinem eſſe inter potentiã obedientialem & actum ſupernaturalem; id enim euincunt árgumenta hucuſque propoſita; ſatius igitur duco (quod ſpectat ad controuerſiam de nomine) eam potiùs principalem quàm inſtrumentalem appellare, ad hunc ſcopulum declinandum in quem poteſt offendere, qui audit potentiam obedientialẽ eſſe inſtrumentalem, quaſi nulla ſit ſimilitudo inter ipſam & effectum.

QVAESTIO V.

Vtrum quodlibet poſſit eleuari per potentiam obedientialem ad producendum quodlibet.

1 Ex his, quæ in hac tota de potentia obedientiali Diſputatione fuerunt diſcuſſa, conſtat, nihil repugnare, quó minús eadem res ſit actus duplicis potentiæ, vnius naturalis, & alterius obedientialis; poteſt enim contingere, vt aliquid poſſit ab vna cauſa procedere in ordine naturali, & ab alia tantúm in ordinė ſupernaturali, atque adeó vna cauſa indigeat aliqua eleuatione ad

producendum effectum,quem poteſt alia cauſa non eleuata producere. Exemplum huius rei habemus ſatis manifeſtum in ea ſententia, quæ docet poſſe aquam eleuari diuina virtute ad producendum ignem, quem ſine vlla eleuatione poteſt alius ignis producere: ignis enim eſt actus duplicis potentiæ, nimirum potentiæ naturalis, quam habet ignis, vt in ordine naturæ alium ignem producat; & potentiæ obedientialis, quam habet aqua vt producat ignem in ordine ſupernaturali; quemadmodum enim eſſet miraculum, ſi aqua produceret ignem, ita nullum eſt miraculum,quód ignis generet ignē. Ratio à priori eſt manifeſta;quia inter ea quæ ſpectant ad ordinem ſupernaturalem, alia ſunt, quæ non ſolúm quo ad modum, ſed etiam quo ad ſubſtantiam ſunt ſupernaturalia; alia quæ quo ad modum tantùm ſunt ſupernaturalia: ea, quæ ſunt quo ad modū tantúm ſupernaturalia, poſſunt eſſe actus duplicis potentiæ;naturalis nimirum & obediētialis; licet ea quæ ſunt quo ad ſubſtantiam ſupernaturalia,non poſſint eſſe niſi actus potentiæ obediētialis; quia nulla eſt potentia naturalis, quæ poſſit producere effectum quo ad ſubſtantiam ſupernaturalem: ita nulla eſt potentia naturalis viſionis Dei, & vnionis hypoſtaticæ; quia viſio Dei,& vnio hypoſtatica ſunt effectus quo ad ſubſtantiam ſupernaturales. Hoc igitur eſt diſcrimen inter viſionem Dei, quam producit intellectus eleuatus ad videndum Deum, & ignem quem producit aqua diuinitús eleuata ad producendum ignem, quôd viſio Dei eſt eſſentialiter actus potentię obedientialis ob metaphyſicam impoſſibilitatem illus cauſæ, quæ poteſt viribus naturæ hunc effectum producere: é contrarió ignis non eſt eſſentialiter actus potentię obedientialis, quia licet non poſſit ab aqua produ-

ci niſi aqua habeat potentiam obedientialem ad producendum ignē, poteſt tamen produci ab igne, cui eſt naturale generare ignem.

2 Ex hac doctrina conſtat, eſſe plurimos effectus in rerum natura, qui relatė ad vnam cauſā ſunt effectus potentiæ naturalis, adeóque vt fiant à tali cauſa, non eſt neceſſaria aliqua eleuatio, per quam ſupernaturalizetur talis cauſa: relatė ad aliam cauſam ſunt effectus potentiæ obedientialis, adeóque vt fiant ab huiuſmodi cauſa, eſt neceſſe cauſam eleuari per aliquam formā ſibi intrinſecam, vel extrinſecam, vt oſtenſum eſt in quæſtione tertia: hinc eſt in qualibet ſubſtantia creata eſſe potentiam obedientialem ad aliquem effectum, qui continetur intrá potentiam naturalem alterius ſubſtantiæ. Ratio eſt, quia licet potentia obedientialis ſit virtus alicuius effectus, qui á nulla ſubſtantia creata produci poteſt, nihilominus in eodem genere potentiæ obedientialis eſt aliqua potentia, quæ poteſt actiué producere aliquem effectum, qui continetur intrá potentiam naturalem alterius ſubſtantiæ creatę, quia etiam ſi effectus qui producitur, non habeat tantam perfectionem, quantam habet effectus, quē non poteſt viribus naturæ próducere vlla ſubſtantia creata, nihilominus id non obſtat, quo minùs virtus actiua talis effectus habeat potentiam obedientialem, vt conſtat exemplo nuper tradito de aqua eleuata ad ignem generandum.

3 Quia veró potentia obedientialis eſt virtus creata eleuabilis virtute diuina ad effectum producendum vel quo ad ſubſtantiam, vel quo ad modū ſupernaturalem, ideò in rebus creatis eſt virtus, quæ diuina virtute eleuari poteſt ad efficiendum non ſolúm id, quod à nulla ſubſtantia creata viribus naturæ poteſt effici, ſed etiam id, quod poteſt

viribus naturæ effici à ſubſtantia creata: Hinc eſt, in illa ſubſtantia, quæ poteſt eleuari ad illud efficiendum, quod viribus naturæ poteſt effici ab alia ſubſtantia, eſſe quandam virtutem, quam vocamus inchoatã relatè ad huiuſmodi effectus: ratio huius conſequentiæ videtur manifeſta ex doctrina de potentia obedientiali, quia cum nihil poſſit eleuari ad illud producendum, cuius nullam habet virtutem inchoatam, conſequens eſt, in ea ſubſtantia quæ habet potentiam obedientialem illius effectus, qui poteſt effici viribus naturæ ab alia ſubſtantia, eſſe virtutem inchoatam reſpectu huiuſmodi effectus: habere enim potentiam obedientialem, & habere virtutem inchoatam ſunt termini conuertibiles, adeoque fieri nou poteſt, vt ibi ſit virtus obedientialis, vbi non eſt virtus inchoata.

4 Hæc ſunt, quantùm ego arbitror, omnibus in hac re ſatis manifeſta: dubium, quod agitatur in præſenti quæſtione, eſt de potentia obedientiali ad producendum in genere cauſę efficientis quẽcunque promiſcue effectum: an nimirùm hæc potentià obedientialis ſit, vel poſſit eſſe in qualibet re: iſta potèntia alio nomine vocatur à philoſophis potentia cuiuslibet ad producendum quodlibet, eſt enim idem quærere, an ſit poſſibilis potentia obedientialis cuiuslibet ad quodlibet, & quærere, an poſſit quælibet res diuina virtute eleuari ad quodlibet producendum: quiá veró habere potentiam obedientialem eſt idem formaliſſimè, ac habere virtutem inchoatam illius rei, ad quam producendam poteſt diuinitús eleuari, ideò controuerſia de potentia obedientiali cuiuslibet ad quodlibet, pendet ab alia cõtrouerſia de virtute inchoata cuiuslibet rei relaté ad quamlibet rem: qui enim opinãtur poſſe ſubſtantiam creatam diuinitús ele-

uari

uari ad producendum quodlibet, debet conſequẽter eſſe in ea ſententia, quòd nulla ſit ſubſtantia, in qua non exiſtat virtus inchoata reſpectu cuiuslibet effectus.

5 Ante quàm in hac lite dirimenda, quæ inter Philoſophos adhuc viget, meum iudiciùm interponam, non poſſum non mirari modum, quo nonnulli in hac re philoſophantur, dum enim ab ipſis quæritur an quodlibet poſſit eleuari ad producéndum quodlibet, reſpondent nullam eſſe rem ex ijs, quæ nunc exiſtunt, eleuabilem ad producendum quodlibet, nihil tamèn impedire, quo minùs in alio rerum ordine Deus producat creaturam, quæ habeat potentiam obedientialem ad producendum quodlibet; quaſi hæc controuerſia nihil differat ab illis in tota philoſophia ſatis vſitatis, in quibus quæritur, an aliquid repugnet diuinæ omnipotentiæ, quod repugnat naturæ, adeoque an aliquid ſit ſupernaturaliter poſſibile, quod in natura non reperitur. Et re verá hi Philoſophi hallucinantur, dum credunt hanc controuerſiam ad genus earum rerum ſpectare, quæ reſpiciunt totam amplitudinem diuinæ omnipotentiæ, quaſi poſſit aliqua creatura produci eleuabilis diuina virtute ad producendum quodlibet, etiam ſi in præſenti nulla ſit, quæ habeat hanc potentiam obedientialem. Ratio eſt, quia eſt idem quærere, an Deus poſſit eleuare vnam ſubſtantiam ad quodlibet producendum, ac quærere, an aliqua ſubſtantià creata habeat virtutem inchoatam reſpectu cuiuslibet effectus: ſicuti eſt idem quærere, an aqua poſſit eleuari ad producendum ignem, ac quærere, an ſit in aqua virtus inchoata reſpectu ignis: huiuſmodi autem virtus inchoata, vel in nulla creatura poſſibili inuenitur, vel eſt in omnibus creaturis

exiſtentibus, quia hæc virtus inchoata non poteſt fundari, niſi in prædicatis tranſcendentalibus,quæ ſunt prædicata communia cuilibet rei creatæ, tám poſſibili, quám exiſtenti, vt patet: cum omnia prædicata tranſcendentalia perindé inueniantur in creaturá actu exiſtente, ac in creaturá poſſibili, conſequens eſt hanc virtutem inchoatam vel in nulla re poſſibili eſſe, vel in rebus actu exiſtentibus eſſe. Inconſequenter igitur in hac re diſcurrúnt, qui aſſerunt eſſe poſſibilem creaturam, quæ habeat potentiam obedientialem ad producendũ quodlibet, & negant in præſenti eſſe creaturam aliquam, quæ habeat hanc potentiam obedientialem, quia huiuſmodi controuerſia non eſt de re in alio rerum ordine poſſibili, ſed eſt de prædicato, quod inuenitur in omnibus rebus, an nimirúm hoc ſatis ſit ad illam virtutem inchoatam, quæ eſt fundamentum potentiæ obedientialis: ſi enim ſemel conſtet conuenientiam in prędicatis tranſcendentalibus ſatis eſſe, vt aliqua creatura poſſit eleuari ad quodlibet producendum, atque adeo habeat virtutem inchoatam reſpectu cuiuslibet effectus, mihi non ſatis conſtat, cur iſta virtus non ſit in qualibet ſubſtantia creata, ex illis, quæ in præſenti exiſtunt. Hinc cenſeo Hurtadum, & alios Philoſophos, qui hanc potentiam obedientialem cuiuslibet ad quodlibet recognoſcunt in omnibus ſubſtántijs creatis non minús exiſtentibus, quám poſſibilibus, philoſophari conſequentiús, quám philoſophetur Ouiedus, qui exiſtimat poſſe á Deo creari ſubſtantiam creatam, quæ habeat hanc potentiam obedientialem, nullamque recognoſcit ſubſtantiam creatam in præſenti rerum ſtatu cum huiuſmodi potentia.

6 Hæc ſatis ſunt ad explicandum ſtatum huius contro-

controuerſiæ, in qua non poſſunt eſſe niſi duæ ſententiæ, poſito quòd debeamus ſine vlla in cõſequentia de hac re philoſophari: alia enim in qualibet re creata ſiue poſſibili ſiue exiſtente agnoſcit potentiam obedientialem ad quodlibet actiué producendum: altera é contrario hanc potentiam non recognoſcit, cenſet enim repugnare, vt Deus eleuet quamlibet ſubſtantiam creatam ad quodlibet producendum. Qui ſunt in ea ſententia, quód poſſit quodlibet eleuari ad producendum quodlibet, conſequenter opinantur poſſe à Deo eleuari aquam ad producendum non ſolúm ignem, ſed etiam quancunque rem materialem, & immaterialem, immò & ipſam gratiam ſanctificantem, qua nihil aliud eſt nobilius præter viſionem beatam, & vnionem hypoſtaticam. In hac ſententia eſt Suarius, Hurtad., Ouied. & alij, qui trahunt in ſuam partem S. Thomam, ex quibuſdam verbis in Diſputatione de potentia quæſt. 6. art. 1. quæ ſunt huiuſmodi: *Vnde nihil prohibet, quòd natura creata ſit in potentia ad aliqua facienda per diuinam potentiam, quæ inferior potentia facere non poteſt: & iſta vocatur potentia obedientialis, ſecundùm quam omnis creatura obedit Creatori.* Hæc S. Thomas, de cuius mente aliqua deinceps dicam.

7 Rationes, quæ inclinant in hanc ſententiam, ſunt. Primó, quodlibet habet virtutem inchoatam ad producendum quodlibet; ergo quodlibet habet potentiam obedientialem ad quodlibet, ergo quodlibet poteſt diuinitús eleuari ad producédum quodlibet. Antecedens probatur, quia habere virtutem inchoatam eſt continere aliquo modo effectum producendum: ſed nihil eſt, quod aliquo modo non contineat quencunque effectum, ergo nihil eſt, quod non habeat virtutem inchoa-

tam reſpectu cuiuſcunque effectus, ergo nihil eſt, quod non poſſit eleuari ad producendum quodlibet.

8 Secundò: quælibet res continet perfectionem cuiuslibet effectus, quantùm ſatis eſt ad omnem effectum vnà cum forma eleuante efficiendũ, non minùs quàm intellectus contineat perfectionem viſionis Dei, ſed intellectus vnà cum formá eleuante poteſt efficere viſionem Dei; ergo quælibet res vnà cum formà eleuante poteſt quodlibet producere. Maior probatur, quia nullũ prædicatum habet intellectus commune cum viſione beata; quod non habeat quęlibet res commune cum qualibet re: ſi ergo prædicatum, quod habet commune intellectus cum viſione Dei, ſatis eſt, vt intellectus contineat perfectionem viſionis, eamque poſſit á Deo eleuatus efficere, illud prædicatum quod habet quælibet res commune cum omnibus rebus, ſatis erit, vt quodlibet poſsit á Deo eleuari ad producendum quodlibet.

9 Tertiò: nulla eſt ſubſtantia, quæ non habeat formalitatem entis, vel ſubſtantię communem cum qualibet ſubſtantia; ergo nulla eſt ſubſtantia, quæ non poſſit communicare cuilibet ſubſtantiæ formalitatem ſubſtantiæ; ergo omnis ſubſtautia poteſt eleuari ad producendam quamcumque ſubſtãtiam. Conſequẽtia probatur: tùm quia ad rationem virtutis inchoatæ, qualis eſt virtus in præſenti controuerſa, ſatis eſt communicare formaliter vnam formalitatem effectui, qui producitur, cæterę enim formalitates materialiter communicantur vnà formaliter communicatá: tùm quia nullus eſt intellectus, qui nõ poſſit formaliter communicare viſioni beatæ formalitatem vitalitatis, & immaterialitatis, eó quód nullus eſt intellectus, qui non habeat

hanc

hanc formalitatem communem cum viſione beata, ergo quælibet ſubſtantia poterit communicare cuilibet ſubſtantiæ formaliter formalitatem ſubſtantiæ, quàm habet communem cum omnibus.

10 Quartó: imperfecta ſimilitudo fundat virtutem inchoatam, adeóque potentiam obedientialem, ſed quælibet res habet imperfectam ſimilitudinem cum qualibet re, adeóque á qualibet re poteſt abſtrahi vna ratio entis creati omnibus cõmunis, ergo quælibet res habet virtutem inchoatam ad efficiendam quamcunque rem.

11 Quintó: ratio, cur vna cauſa poſſit producere effectum, eſt continentia perfectionis, vt patet túm inductione in qualibet cauſa, túm ex noſtro tractatu de Cauſis, ſed nulla eſt res, quæ non contineat perfectionem cuiuslibet rei, ergo nulla eſt res, quæ non poſſit eſſe cauſa cuiuslibet rei per potentiam ſaltem obedientialem. Minor probatur, quia nulla eſt res, quæ non habeat perfectionem entis: cur ergo non poterit communicare effectui hanc perfectionem, eo modo quo cauſa communicat effectui perfectionem, quàm habet? nulla eſt igitur res, quæ diuina virtute non poſſit producere quemcunque effectum.

12 Sextó: inter cauſam & effectum eſt neceſſaria aliqua proportio: ſed nulla eſt res, quæ non habeat aliquam proportionem cum qualibet re: ergo nulla eſt res, quæ non habeat id, quod eſt neceſſariò requiſitum, vt ſit cauſa cuiuslibet rei. Maior probatur, túm quia nihil eſt, quod non habeat hanc proportionem cum qualibet re poſſibili in ratione formali entis, quam proportionem vtique non habet cum chimæra; cui non poteſt conuenire ratio formalis entis: túm quia eſt maior proportio inter vnam rem & quamlibet rem poſſibilẽ, quàm

inter

inter intellectum & viſionem beatam.

13 Septimò: aqua eleuatur in ſacramento Baptiſmatis ad efficiendam phyſicè gratiam: natura humana Chriſti fuit eleuata ad plurimos actus ſupernaturales, nimirùm ad illuminandos cæcos, & mortuos ad vitam reuocandos, ideo humanitas Chriſti vocatur á SS.PP. organum Diuinitatis, ergo quælibet res poteſt eleuari ad producendum quodlibet. Confirmatur, quia quælibet res coniuncta cum Deo eſt cauſa adæquata cuiuslibet rei; ergo quælibet res coniuncta cum Deo poteſt quodlibet producere.

14 Vltimò: ſpectat ad perfectionem & poteſtatẽ artificis poſſe vti quolibet inſtrumento ad quodlibet opus, ergo ſpectat ad perfectionem infinitam Dei poſſe vti qualibet creatura ad quodlibet producendum. Addo, quòd quælibet res ſi poteſt eleuari ad aliquem actum ſupernaturalem, poterit etiam eleuari ad quodlibet producendum, non enim eſt potior ratio de vno, quàm de alio.

15 Contrariam ſententiam de creatura, quæ non poteſt eleuari ad producendum quodlibet, præ cæteris tuetur Vaſquez, qui propterea eſt in ea opinione, quòd Sacramenta non efficiant phyſicè gratiam, quam ſignificant, ſatis enim eſt, vt inquit iſte Doctor, ad efficiendam gratiam, quam ſignificant, quòd eam efficiant moraliter. Non eſt animus hic diſputare de veritate huius doctrinæ, quia non ſpectat ad rem noſtram eam controuerſiam decidere, quæ eſt inter Theologos, an Sacramenta ſint cauſa phyſica, vel tantùm moralis gratiæ: nihilominus non video conſequens eſſe, vt Sacramenta non poſſint efficere phyſicè gratiam, hoc ipſo quòd repugnat potentia obedientialis cuiuslibet ad quodlibet, quam conſequentiam videtur hic

Doctor

Doctor admittere tanquam infallibilem.

16 Quidquid igitur ſit de huiuſmodi conſequentia, de qua nolo diſputare, ea enim ad Theologos ſpectat; cenſeo cum eodem Vaſquez & pluribus recentioribus eſſe impoſſibilem potentiam obedientialem cuiuslibet ad quodlibet, atque adeò nõ poſſe quodlibet eleuari diuina virtute ad quodlibet producendum. Hæc ſententia, quam plurimi inepté probant, ſtabiliri debet ex fundamentis iactis, in tomo 3. diſp. 3. quæſt. 3. & 4. vbi egimus de ſerié effectuum, & de repugnantia creaturæ ad creandum, veritates enim ſunt connexæ adeoque plurimæ ab eodem principio dependent.

17 Ratio igitur, quæ mihi perſuaſam habet repugnantiam huius virtutis vel naturalis, vel obedientialis reſpectu cuiuſcunque rei, eſt huiuſmodi. Repugnat in terminis, vt aliquid poſſit eleuari ad producendum ſe ipſum; ergo repugnat vt poſſit eleuari ad producendum quodlibet á ſe diſtinctũ. Probo conſequentiam: poſſe eleuari ad producendum quodlibet á ſe diſtinctum eſt poſſe eleuari ad producendum ſub ratione formali, in qua continetur cauſa, quæ producit talem effectum: ſed poſſe eleuari ad producendum effectum ſub illa ratione formali, in qua continetur cauſa, eſt cauſam poſſe eleuari ad ſe ipſam producendam; ergo poſſe eleuari ad quodlibet producendum á ſe diſtinctum eſt poſſe eleuari ad producendum ſe ipſum: ſed repugnat aliquid eleuari ad producendum ſe ipſum; ergo repugnat aliquid eleuari ad producendum quodlibet á ſe diſtinctum, ergo repugnat potentia obedientialis cuiuslibet ad quodlibet.

18 Hic totus diſcurſus ex diſcurſu á nobis facto de virtute creandi incommunicabili creaturæ eſt manifeſtus, ſi conſtet de veritate huius propo-

ſitionis

ſitionis, quam in præcedenti ſyllogiſmo aſſumpſimus, *poſſe eleuari ad producendum quodlibet á ſe diſtinctum eſt poſſe eleuari ad producendum ſub illa ratione formali in qua eſt cauſa, quæ eleuatur ad operandum*. Vt autem omnibus conſtet de veritate huius propoſitionis, opus eſt alio diſcurſu, quem itá formo ex doctrina apud omnes in hac re ſatis vſitata.

19. Conuenit inter Philoſophos, nullam eſſe rem creatam, quæ poſſit cum omnibus rebus poſſibilibus habere communia alia prædicata, præter illa, quæ vocantur tranſcendentalia, vel quia vagantur per omnia rerum genera, vt prædicatum Entis, Veri, & Boni, vel quia conueniunt cuilibet rei creatæ, vt prædicatum entis creati, & entis dependentis; vndé ſequitur illam perfectionem, quam quælibet res creata habet ſimilem, & communem cum omni re poſſibili, eſſe ſolam perfectionem entis; loquendo de perfectione, quæ eſt pura perfectio, vel perfectionem entis creati, loquendo de perfectione imperfecta. Ratio huius conſequentiæ apud omnes certæ eſt manifeſta, quia nihil eſt, vel poteſt eſſe, quod non habeat niſi perfectionem entis, loquendo de purá perfectione, vel perfectionem entis creati, loquendo de perfectione limitata. Ad hoc demonſtrandum eſt neceſſe illam ſingularem perfectionem exponere, quam habent omnes res creatæ diſtinctam formalitér á perfectione entis: in noſtris principijs non eſt difficile eam exponere, quia diſtingui ab imperfectione alterius entis á ſe diſtincti eſt perfectio, & eſt perfectio formalitèr diſtincta á perfectione entis; illud enim ens, á cuius imperfectione ego diſtinguor, habet perfectionem entis, & tamen non habet hanc perfectionem diſtinctionis á

ſuis

ſuis imperfectionibus. Hinc conſtat, ſolum ens infinitum eſſe illud ens, quod habet omnem puram perfectionem omnium rerum poſſibilium, adeoque conuenit cum omnibus rebus poſſibilibus non ſolúm in perfectione tranſcendentali entis; ſed etiam in qualibet alia perfectioné ſpecifica & non tranſcendentali; conuenire enim cum omnibus rebus poſſibilibus in omni perfectione ſpecifica & non tranſcendentali, eſt formaliſſimé habere perfectionem infinitam repugnantem creaturæ. Quare nullum aliud prædicatum inueniri poteſt, in quo conueniat res creata cum qualibet re poſſibili, niſi prædicatum entis, & prædicatum entis creati.

20. Ratio igitur formalis, ſub quá poteſt operari res eleuabilis ad producendum quodlibet, vel eſt ratio entis, vel eſt ratio entis creati, quia in omni effectu poſsibili nulla alia eſt formalitas, quam contineat, præter formalitatem entis, & formalitatem entis creati: cum enim ratio formalis, ſub qua cauſa agit, ſit aliqua formalitas contenta formaliter, vel eminenter in cauſa & ſpectans ad lineam prædicamentalem effectus; conſequens eſt, vel nullam eſſe rationem formalem, ſub qua agit hæc potentia obedientialis, quod aperté repugnat, vel hanc rationem formalem eſſe formalitatem entis, vel formalitatem entis creati. Ratio huius conſequentiæ eſt manifeſta, quia ratio formalis, ſub qua cauſa operatur, eſt formalitas ſpectans ad prædicamentum effectus, & contenta formaliter vel eminentèr in cauſa; ſed nulla eſt formalitas in omni effectu poſsibili contenta formalitèr vel eminentèr in qualibet re creata præter formalitatem entis, vel formalitatem entis creati; ergo ratio formalis, ſub qua poteſt agere illa res creata, quæ poteſt eleuari ad producendum quodlibet, non eſt

alia

alia ratio præter rationem entis, vel rationem entis creati: atqui nulla ex his duabus rationibus poteſt eſſe ratio formalis, ſub qua agit huiuſmodi creatura: ergo nulla creatura poteſt eleuari ad producendum quodlibet, quod erat demonſtrandum.

21. Ex hac doctrina ſequitur, illam rationem formalem, ſub qua operatur cauſa, non eſſe formalitatem de ipſa cauſa prædicabilem, licet hanc formalitatem debeat continere formalitér vel eminentér, habendo tantam perfectionem, quantam habet effectus, vel maiorem, vt videre eſt in omni cauſa tám vniuoca, quám æquiuoca. Ratio formalis, ſub qua agit cauſa æquiuoca, eſt vnum prædicatum, quod eſt in prædicamento effectus, & non eſt in prædicamento cauſæ, ſiue non eſt de cauſa prædicabile, & eminenter continetur in ipſa cauſa, quatenús cauſa habet perfectionem longé maiorem perfectione huius prædicati, vt patet in cauſa prima, quæ eſt cauſa æquiuoca. Ratio formalis, ſub qua agit cauſa vniuoca, eſt ratio entis in ſpecie habentis ordinem ad circumſtantias materiales: hæc ratio inuenitur in prædicamento effectus, non inuenitur in prædicamento cauſæ, á qua continetur formalitér; hæc enim habet tantúm perfectionis eſſentialis, quantúm habet effectus à cauſa vniuoca productus, vt patet in homine generante hominem: hinc nulla cauſa præter cauſam primam, quæ eſt cauſa increata, poteſt habere virtutem ſiue naturalem, ſiue obedientialem ad producendum quodlibet á ſe diſtinctum.

22. Vrgeri poteſt inſtantiús idem argumentum: ratio formalis, ſub qua agit potentia eleuata, eſt illa ratio formalis, ſub qua ageret potentia naturalis & debita tali effectui; ſed nulla creatura

poteſt

poteſt agere ſub illa ratione formali, ſub qua ageret quælibet potentia naturalis & debita cuicumque effectui: ergo nulla creatura poteſt eleuari ad producendum quodlibet; hoc eſt, ad operandum illud, quod poteſt operari quælibet cauſa. Min: demonſtatur, quia in ampliſſima multitudine rerum poſſibilium plura inueniuntur, quæ debent produci per virtutem creandi habentem pro ratione formali *ſub qua* totam naturam entis creati: ſi ergo aliquid eſſet, quod poſſet eleuari per potentiam obedientialem ad creandum Angelum, huiuſmodi creatura deberet producere Angelum ſub illa ratione formali, ſub quâ produceret Deus, qui eſt cauſa naturalis Angeli: huiuſmodi autem ratio eſt ſola ratio entis creati; ergo potentia obedientialis non poteſt producere quodlibet, niſi habeat pro ratione formali ſub quâ rationem entis creati: hoc autem euidentér repugnat; igitur etiam repugnat huiuſmodi potentia.

23. Addo ad hæc omnia: manifeſté oſtendi repugnantiam huius potentiæ ex conceptu ipſius cauſæ, quæ debet habere proportionem cum ſuo effectu, & in illum influere, omnis enim cauſa eatenús agit, quatenùs aſſimilat ſibi effectum non tantúm in prædicatis tranſcendentalibus; hæc enim ſimilitudo eſt valdé imperfecta, ſed etiam in prædicatis ſpecificis ſpecie infima vel ſubalterna. Argumentum igitur ex conceptu cauſæ in hunc modum conficio. Repugnat cauſa, quæ non poteſt influere; ſed quælibet res creata non poteſt influere in quodlibet, ergo nulla res creata poteſt eſſe cauſa cuiuslibet rei, ergo repugnat potentia obedientialis ad quodlibet. Min: probatur, quia quęlibet res creata non poteſt habere ſimilitudinem cum qualibet re niſi in prædicatis tranſcendentalibus & non

ſpecificis, adeoque non poteſt formalitèr communicare aliquod prædicatum ſpecificum & non tranſcendentale cuilibet effectui: influere autem eſt formaliſſimè aſsimilare ſibi effectum in prædicatis ſpecificis & non tranſcendentalibus, ergo &c.

24. Hinc colliges primó: virtutem inchoatam; quæ requiritur ád potentiam obedientialem, eſſe virtutem aſſimilandi ſibi effectum in aliquo ex prædicatis non tranſcendentalibus: hæc ſimilitudo, quia non poteſt reperiri in aliquá re creata reſpectu cuiuslibet effectus, ideo nulla res creata habet hanc virtutem inchoatam. Similitudo igitur in prædicatis tranſcendentalibus eſt quidem neceſſaria. ſed non ſufficit: eſt neceſſaria, quia neceſſe eſt rem eſſe, vt habeat virtutem inchoatam: non ſufficit, quia potentia obedientialis ſiué virtus inchoata vt influat in effectum, debet eum ſibi aſſimilare in aliquo prædicato non tranſcendentali. Requiritur igitur alia ſimilitudo in prædicatis non tranſcendentalibus, quæ vocantur prædicata ſpecifica: hæc ſimilitudo quanta debeat eſſe, nobis non ſatis conſtat á priori, quia non poteſt conſtare niſi á poſteriori, vt in re ſimili philoſophati ſumus in tract. de cauſis, de illa continentia perfectionis, qua debet cauſa continere effectum tom. 2. diſp. 10. quæſt. 1. num. 23.

25. Colliges ſecundó: in omni ſubſtantia creata eſſe potentiam obedientialem ad aliquos effectus, non tamen ad omnes poſsibiles: qui nam re vera ſint illi effectus, quos poſſunt ſingulæ ſubſtantiæ per potentiam obedientialem producere, non eſt huius inſtituti definire; id enim, quantúm arbitror, definiri non poteſt, adeóque velle de hac re aliquid dicere, eſt diuinare potiús quám diſcurrere, quod non eſt Philoſophi. Satis nobis eſt hoc tantúm

tùm ſcire, quod nimirùm ille effectus poteſt per potentiam obedientialem produci, qui habet aliquam imperfectam ſimilitudinem in prædicatis non tranſcendentalibus cum ſubſtantia eleuabili; vndè patet, quid dicendum ſit ad illam controuerſiam, de aqua, an poſſit eleuari ad producendum ignem, & alias ſimiles infinitas, quæ poſſunt fieri, & decidi non poſſunt. Hanc potentiam obedientialem in cauſa ſecunda reſpectu alicuius certi effectus agnouit S. Thomas in verbis citatis num.6. quibus abutuntur aduerſarij ad ſententiam ſuam confirmandam de potentia obedientiali cuiuslibet ad quodlibet.

26. Colliges tertiò: diſparem rationem eſſe de potentia intentionali, & potentiâ phyſica, quia in genere potentiæ intentionalis non repugnat potentia obedientialis ad quodlibet, quæ nimirùm poſsit intuitiuè cognoſcere quamcunque rem, vt patet in intellectu: ratio diſparitatis eſt, quia non repugnat vt intellectus, qui cognoſcit intuitiuè omnia, cognoſcat intuitiuè ſe ipſum: repugnat verò, vt cauſa quæ producit quodlibet à ſe diſtinctum, poſsit ſe ipſam producere, quod apertè ſequitur ex potentia phyſica ad quodlibet. Hinc nulla potentiâ phyſicâ poteſt habere pro ratione formali, ſub quâ operatur, illam formalitatem, quæ eſt prædicabilis de ipſa potentiâ phyſica: è contrario potentia intentionalis poteſt habere pro ratione formali, ſub quâ operatur, formalitatem de ipſa prædicabilem: quia potentia phyſica dat eſſe phyſicum ſuo termino, adeóque non poteſt habere pro termino ſeipſam: contrà verò potentia intentionalis poteſt habere pro termino ſeipſam, quia ſuo termino non dat niſi eſſe intentionale.

27. Colliges vltimo: longè magis repugnare

vt in genere potentiæ phyſicæ exiſtat potentia paſſiua obedientialis ad quodlibet, quám in genere potentiæ actiuæ: potentia enim paſsiua eſt formaliſsimè capacitas ſubiecti; ſed non omne ſubiectum eſt capax ſuſtinere omnem denominationem, quia gratia non poteſt denominare lapidem ſanctum, viſio non poteſt denominare potentiam audiendi videntem: ergo repugnat potentia obedientiális in genere cauſæ paſſiuæ reſpectu cuiuſcumque rei.

28. Ad primúm: nego antec: ad eius probationem diſt: ma: eſt continere aliquam perfectionem tranſcendentalem: nego ma: non tranſcendentalem: concedo ma: & diſtin: min: nego conſeq: Oſtenſum eſt, nihil poſſe in effectum influere; niſi habeat aliquam perfectionem communem cum effectu præter tranſcendentalem, quæ eſt perfectio entis: hinc, quia nihil habet commune cum quolibet effectu aliquam perfectionem diſtinctam á tranſcendentali, nihil habet virtutem inchoatam ad quodlibet producendum; ideó argumentum retorquetur.

29. Ad ſecundùm: non eſt par ratio inter continentiam, qua vna res creata continet quamlibet rem, & continentiam, qua intellectus continet viſionem beatam: illa non habet communem cum qualibet re niſi perfectionem tranſcendentalem, iſte verò habet plurimas perfectiones non tranſcendentales communes cum viſione beata; nimirùm vitalitatem, immaterialitatem, & alia id genus.

30. Ad tertiúm: concedo ant: & nego conſeq: ratio cur nulla cauſa poteſt communicare effectui formalitàtem entis, niſi eidem communicet formaliter alias formalitates, eſt, quia ſi nulla alia com-

communicatur formalitas: ratio formalis, ſub qua cauſa agit, debet eſſe formalitas entis, vel entis creati, quiá ratio formalis, ſub qua agit cauſa, debet eſſe formalitas, quæ eſt in prædicamento effectus communicatá effectui ſaltem inadæquatè: ratio autem formalis, ſub qua cauſa ſecunda agit, non poteſt eſſe formalitas entis creati, & multò minús formalitas entis, vt oſtendi: hæc ratio; quantum ego arbitror, euincit non poſſe illam virtutem inchoatam, quæ conſtituit potentiam obedientialem, conſiſtere in illis prædicatis tranſcendentalibus, quæ ſunt communia cuilibet rei; qua in re vertitur cardo totius controuerſiæ de hac potentia obedientiali.

30. Ad quartúm: diſt: ma: imperfecta ſimilitudo in prædicatis tranſcendentalibus eſt fundamentum virtutis inchoatæ; nego ma: in prædicatis non tranſcendentalibus: conc: ma: & diſt: mi: nego conſequentiam: hæc diſtinctio ſatis patet ex dictis.

31. Ad quintúm: diſt: ma: Ratio continentiæ in prædicatis tranſcendentalibus eſt ratio, cur cauſa poteſt producere effectum; nego ma: in prædicatis non tranſcendentalibus; conc: mai: In hac controuerſia perfectionis requiſita, vt cauſa influat in effectum, nobis potiús fauet, quám aduerſarijs inductio facta in cæteris cauſis, quia nulla eſt cauſa, à qúa producatur effectus per virtutem naturalem vel obedientialem; niſi ea contineat perfectionem non tranſcendentalem ipſius effectus, vt poteſt vnuſquiſque cognoſcere; cur autem non poſſit cauſa communicare effectui tantúm perfectionem tranſcendentalem communicatione formali; ſæpius dictum eſt, quia nimirúm ſub ratione formali huius perfectionis non poteſt

agere; nulla autem eſt ratio formalis, ſub qua poſſit agere, ſi nullam continet formalitatem effectus, niſi formalitatem tranſcendentalem.

32. Ad ſextum: eodem modo diſcurrimus de proportione inter cauſam & effectum, ac de ſimilitudine; quemadmodum enim ſimilitudo, quam habet res creata cum qualibet re in prædicatis tranſcendentalibus, non ſatis eſt, vt cauſa poſſit producere ſuum effectuum; itá illa proportio, quæ eſt inter cauſam & effectum in prædicatis tranſcendentalibus, non ſatis eſt ad conſtituendam illam virtutem, quam debet habere potentia obedientialis. Cæterum non eſt dubium, an ſit maior proportio inter intellectum & viſionem beatam quám inter rem creatam & quancunque rem poſsibilem, quia intellectus habet communem cum viſione beata non ſolúm perfectionem tranſcendentalem entis, ſed etiam perfectionem entis immaterialis, entis cognoſcitiui, & alias ſimiles, quas non habet communes vna res creata cum omnibus rebus creatis.

33. Ad ſeptimúm: vbi vrgetur argumentum de aqua efficiente gratiam in Sacramento Baptiſmatis: dico varia á varijs aſſeri, qui nobiſcum opinantur repugnare potentiam obedientialem ad quodlibet: alij enim docent aquam eſſe cauſam materialem gatiæ, itá Vaſq. in 3. part. S. Thomæ: alij docent aquam ex ſe ipſa nihil influere; quia influit tantùm denominatiué, quatenús influit qualitas actiua gratiæ inhærens aquæ Sacramentali; perindé enim ſe habet aqua ad gratiam, ſicuti aqua calefacta ad calorem producendum: alij tandem opinantur cauſalitatem aquæ reſpectu gratiæ eſſe ſolúm cauſalitatem, quæ efficit gratiam in genere gratiæ ſenſibilis; quatenùs manuducit intel-

tellectum per ſigna ſenſibilia ad intelligendam interiorem hominis ſanctificationem. Definire, quænam ex iſtis ſententijs ſit melior, ad nos non ſpectat, nobis enim ſatis eſt oſtendere ex hoc argumento nihil poſſe euinci ad probandampotentiam obedientialem ad quodlibet. Quid autem dicendum eſt de natura humana Chriſti? certum mihi eſt naturæ humanæ, quàm Dei Verbum aſſumpſit, fuiſſe communicatam ſummam perfectionem ex his quæ non repugnant rei creatæ, & habent certum terminum; opus enim eſt de illa natura, quám Dei Veebum conſecrauit, digniſſimè ſentire. Certum prætereà mihi eſt, naturam humanam non minús, quàm aliam ſubſtantiam creatam plus poſſe in ordine ſupernaturali, quàm in ordine naturali, licet non poſsit omnia: quot verò & quanta ſint, quæ poteſt agere in ordine ſupernaturali, vt ingenuè fatear, mihi eſt ignotum; nihil enim certi poteſt definiri. Cenſeo igitur naturam humanam Chriſti fuiſſe eleuatam ad omnes illos effectus, ad quos poteſt eleuari natura humana, adeo vt fuerit in potentia eiuſdem naturæ facere omnes illos effectus, ad quos poteſt eleuari natura humana per virtutem naturalem vel obedientialem, eſt enim ſummè credibile, fuiſſe à Deo completam illam virtutem, quam habet natura humana ad operandum per potentiam obedientialem, eo ipſo, quód Dei Verbum naturæ humanæ fuit copulatum. Quare illa opera, quæ poteſt natura humana facere per potentiam obedientialem, fecit Chriſtus, quoad naturam humanam in genere cauſæ efficientis: ea verò, quæ non poſſunt ab eadem natura fieri, fecit in genere cauſæ meritoriæ vel moralis, hoc enim ſatis eſt ad dignitatem naturæ humanæ, quæ eſt organum Diuinitatis.

 34. Ad

34. Ad confirmationem argumenti: nemo dubitat, an in complexo ex cauſa prima & re creata ſit tota & adæquata perfectio cuiuſcunque rei, atque adeo tota virtus influendi in quancunque rem; hinc tamen non ſequitur poſſe eleuari vnamquamque rem ad quodlibet producendum, quia nulla res poteſt eliuari ad illud, in quod non poteſt influere; multa autem ſunt in quæ non poſſunt ſingulæ res influere: nulla igitur res poteſt eleuari ad quodlibet producendum.

35. Ad vltimum: nullus artifex vtitur inſtrumentis, quæ non habent proportionem cum effectu, ſed multa ſunt, quæ nullam habent proportionem ad conceptum cauſæ requiſitam cum omnibus rebus; non poteſt igitur Deus vti qualibet re creata ad quodlibet producendum. Ratio, cur vna res creata aliquid poſsit, & aliquid non poſſit per virtutem obedientialem producere, eſt, quia cum aliquibus rebus habet ſimilitudinem in prædicatis ſpecificis non tranſcendentalibus; cum alijs veró habet tantùm ſimilitudinem in prædicatis tranſcentalibus; quæ ſimilitudo non ſatis eſt ad virtutem obedientialem, vt oſtendi nu. 20.

DI-

DISPVTATIO OCTAVA.

De ente impoſsibili, eiuſque cognitione.

QVid ſit actualis impoſsibilitas entis impoſſibilis conſtat ex diſputatione Quarta vbi oſtenſum eſt eodem modo eſſe in hac re philoſophandum de actuali impoſſibilitate chimæræ, ac de actuali poſsibilitate alteriús mundi: vtraque enim eſt extrinſeca, quia nil eſt actu intrinſecum rei, quæ actu non exiſtit. Diſputandum reſtat de eſſe obiectiuo entis impoſſibilis, quód eſt formaliſsimé eſſe cognitum, hoc quia eſt opus altioris indaginis, præſentem diſputationem inſtituimus, vbi de modo, quo intellectus cognoſcit impoſsibile, debemus plura tractare.

QVAESTIO I.

Vtrum intellectus poſsit cognoſcere obiectum impoſſibile.

1. IMpoſsibile ſiue ens chimæricum, quod vulgò appellatur ens rationis metaphyſicum, opponitur enti poſſibili, & reali: ſicuti enim

 non

non repugnat exiſtere ens poſsibile, ita repugnat exiſtere ens impoſsibile, quod propter terminorum implicationem, neque diuiná virtute fieri poteſt, adeoque ab Auerroe Ariſtotelis commentatore definitur in 6. metaphyſicæ *id quod habet eſſe tantum obiectiuè in intellectu*. Huiuſmodi eſt Hircoceruus, chimæra, Deus creatus, & alia id genus, quæ vtique non poſſunt habere aliud eſſe, niſi eſſe obiectiué in intellectu: eſt igitur maximum diſcrimen inter ſubiectum, prædicatum, vniuerſale, genus, cęteraſque ſecundas intentiones, quæ vocantur entia rationis logica, vt conſtat in tomo 1. diſp. 1. qu. 1. num. 2. 3. & ſeq. & ens rationis metaphyſicum, ſiue chimæricum, quia id, per quod conſtituitur denominatio ſubiecti, prædicati, vniuerſalis, & generis, eſt cognitio, quæ habet eſſe in intellectu ſubiectiuè, cum Hircoceruus non habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu. Dubium eſt, vtrum obiectum cognitionis cognoſcentis hominem eſſe equum, vel apprehendentis Hircoceruum, & Deum creatum ſit aliquod impoſſibile contradiſtinctum ab omni ente reali, videlicet identitas chimęrica inter hominem & equum; Hircum, & Ceruum, Deum, & Creaturam: an ſint ſola entia realia & poſsibilia malé cognita ab intellectu. Affirmant omnes antiqui philoſophi, qui hanc veritatem notam ex terminis ne in dubium, quidem vocarunt cum Suario qu. 54. ſect. 1. Auerſa qu. 15. logicá ſect. 2. Arriaga diſp. 6. Metaphyſica ſect. 2. Negant Bernadinus Mirandulanus cum alijs paucis recentioribus, qui à communi opinione receſſerunt fortaſſe deterriti ſophiſticis cauillationibus, quibus eadem impugnatur.

2. Noſtra ſententia ſit: poteſt intellectus cogno-

gnoſcere obiectum impoſsibile diſtinctum à quolibet poſsibili.

3. Probatur primò modo argumentandi, quem vocant mirabilem, eoque vtitur Ariſtoteles ad demonſtrandam ſcientiam aduerſus Academicos. Ex hac propoſitione, *non poteſt cognoſci obiectum impoſsibile*: infertur neceſsitate conſequentię hæc contradictoria *poteſt cognoſci obiectum impoſsibile*: ſed eſt impoſsibile, quòd ſit verum id, ex quo ſequitur eius contradictorium: ergo eſt impoſsibile, vt intellectus non poſsit cognoſcere obiectum impoſsibile, ergo poteſt. Maior probatur. Illa propoſitio neceſsitate conſequentiæ infert ſui contradictoriam, quæ non poteſt affirmari ſignaté, niſi negetur exercitè, ſed huiuſmodi eſt prædicta propoſitio, vt breuiter demonſtro: quicumque negat poſſe concipi obiectum impoſsibile, affirmat in actu exercito ſe concipere id, quod negat reflexè & in actu ſignato: negat enim ſe poſſe cognoſcere obiectum impoſsibile, nimirùm identitatem chimæricam inter hominem, & equum, quàm vtique cognoſcis, dùm negat ſe cognoſcere, ergo &c.

3. Vrgeo efficaciùs idem argumentum, & peto ab Aduerſario: quandó negas, te poſſe cognoſcere identitatem chimæricam inter hominem & equum; negas ne id, quod cognoſcis, an negas id, quod non cognoſcis? ſi negas id, quod non cognoſcis: ergo ſtultè, & temerè negas; adeoq; tuo iudicio non eſt ſtandū. Si negas id, quodcognoſcis, ergo cognoſcis identitatem chimęricam, quam negas, ergo exercitè cognoſcis impoſsibile, quod ſignatè non cognoſcis: ergo dum dicis impoſsibile cognoſcis non poſſe, dicis res inuicem pugnantes,

adeo-

adeoque tibi euidenter contradicis.

4. Neque hoc robuſtiſsimum argumentum eludit trita inſtantia de incognoſcibili ſiue inintelligibili, quód negatur poſſe intelligi; abſque eo quód debeat exercitè intelligi, quia intellectus negando poſſe cognoſci incognoſcibile ſupponit illud obiectum, quod negat ſe perfectè cognoſcere, aliqua ex parte eſſe cognoſcibile, aliter non negaret ſe poſſe perfectè cognoſcere, ideó argumentum retorquetur. Quid autem dicendum ſit ad illud, quod inſtantius vrgetur de ipſo incognoſcibili perfectè, & imperfectè, conſtabit ex qu.2. vbi oſtendam ex ipſa natura obiecti incognoſcibilis eſſe validiſsimum argumentum, quo probatur ad hominem cognoſci impoſsibile.

5. Probatur ſecundó: Intellectus, dum format propoſitionem negatiuam in materia impoſſibili, concipit aliquid impoſsibiie diſtinctnm ab omni poſsibili: ergo poteſt concipere obiectum impoſsibile. Antec: prob: Formo hanc propoſitionem negatiuam in materia impoſsibili *homo non eſt equus*, & ſic argumentor. Qui negat hominem eſſe equum, concipit identitatem chimæricam inter hominem & equum; ſed qui concipit hanc identitatem, concipit aliquid impoſsibile: ergo &c. Maior probatur. Negat identitatem chimæricam: ergo eam concipit; aliter negaret id, quod non conciperet, quod repugnat. Antec: probatur: qui dicit hominem non eſſe equum, negat id, quod affirmat qui dicit hominem eſſe equum: ſed qui hoc dicit, affirmat identitatem chimæricam inter hominem & equum, propoſitio enim affirmatiua (vt dictum eſt in ſummulis) affirmat identitatem obiectiuam prædicati cum ſubiecto: ergo &c.

6. Probatur tertió: voluntas poteſt amare bo-

num

num impoſsibile: ergo intellectus poteſt illud cognoſcere, iuxtà illud vulgare principium *nil volitum, quin præcognitum*. Antec: prob: fingamus eſſe hic hæreticum Arrianum, qui velit eſſe beatus videndo Verbum diuinum, quód falsó credit eſſe creaturam: hic vtique amando viſionem verbi creati, amat bonum impoſsibile; verbum enim creatum, cuius aſpectu frui deſiderat, eſt Deus chimæricus: ergo vult aliquid, quod habere non poteſt: ſed velle id, quod haberi non poteſt, eſt formaliſsimé amare bonum impoſsibile diſtinctum ab omni bono poſsibili, ergo &c.

7. Confirmatur primó, quia obiectum intellectus abſtractiſsimé conſideratum eſt intelligibile, ſicuti obiectum ſenſus eſt ſenſibile: ſed intelligibile diuiditur in ens, & non ens; poſsibile, & impoſsibile: ergo intellectus, qui poteſt intelligere,quidquid continetur in latitudine ſui obiecti, poteſt cognoſcere impoſsibile, ſicuti enim ratione immaterialitatis extéditur ad cognoſcendum omne,& totum eſse, adeoque poteſt cognoſcere formam & negationem formæ, eſſe & non eſſe rei: itá poteſt cognoſcere non ſolúm id, quod non repugnat exiſtere, ſed etiam id, quod repugnat exiſtere.

8. Confirmatur ſecundò, quia plurimæ ſunt quæſtiones, quæ á Philoſophis, & Theologis agitantur, an aliquid ſit poſſibile, vel impoſsibile: itá in logica quæritur, vtrum intellectus poſſit præſcindere obiectiué, in phyſica, an ſit poſſibile infinitum, idem dico de innumeris alijs rebus, de quarum poſsibilitate, vel impoſsibilitate eſt controuerſia: quis autem audeat dicere huiuſmodi controuerſiam eſſe tantúm de rebus poſsibilibus, adeo-

adeo vt qui negat infinitum eſſe poſſibile, non cognoſcat infinitum, quod negat.

9. Obijc. primó: id, quòd terminat actum intellectus, debet habere actu vel potentia aliquod eſſe proprium ſibi intrinſecum; ſed hoc eſſe non habet obiectum impoſsibile; ergo non poteſt terminare actum intellectus. Maior probatur. Omne id, quod terminat cognitionem, à qua denominatur cognitum, non eſt vtique ipſa cognitio: ergo eſt aliquid à cognitione diſtinctum: ergo habet actu, vel potentia aliquod eſſe intrinſecum diſtinctum ab eſſe intellecto, & extrinſeco, quod accipit formaliter à cognitione. Confirmatur, túm quia eſſe intentionale, quod accipit obiectum á ſenſu, nimirúm eſſe viſum á viſione, ſupponit eſſe phyſicum & reale obiecti, quod videtur, túm quia intellectus eſt potentia realis: ergo debet habere obiectum reale.

10. Reſp.: nego ant: ad eius probationem: conc: ant: & diſt: conſequens: ergo eſt aliquid poſſibile vel impoſsibile: conc: conſ: tantúm poſſibiſibile: nego conſ: Poſſe terminare cognitionem, eſt aliquod magis latè patens, quám habere actu vel potentia aliquod eſſe ſibi intrinſecum, quia omne id, quod habet eſſe phyſicum ſiué prædicatum ſibi intrinſecum, poteſt terminare cognitionem, adeoque poteſt accipere á cognitione eſſe logicum & intentionale, at non omne id, quod poteſt terminare cognitionem, habet actu vel potentia eſſe phyſicum, quia impoſſibile, vt oſtenſum eſt num. 3. poteſt cognoſci, adeoque accipere eſſe logicum, licet non habeat actu vel potentia eſſe phyſicum. Hinc patet euidens diſcrimen inter eſſe intentionale, quod accipit obiectum à viſione, & eſſe intentionale, quod accipit obiectum

ab

ab intellectione, quia intellectio ratione immaterialitatis eſt forma vniuerſaliſſima, quæ ſe extendit ad omne præſens, præteritum, futurum, poſſibile, & impoſſibile; ideó poteſt denominare extrinſecè id, quod nullam habet, vel habere poteſt; denominationem intrinſecam: viſio ratione materialitatis eſt forma magis limitata, quæ non ſe extendit niſi ad rem præſentem; ideó non poteſt extrinſecè denominare niſi id, quod phyſicè eſt, adeoque non poteſt videre chimæram. Cæterum ex eo, quód intellectus ſit potentia realis, non infertur non poſſe cognoſcere impoſſibile, quia ſatis eſt, ſi potentia realis habeat pro obiecto primario, & motiuo ens reale; licet habeat pro ſecundarió, & terminatiuo ens chimæricum. Ad confirmationem in forma: conc: ant: & diſt: conſ: ergo debet habere obiectum primarium & motiuum ens reale: conc: conſ; terminatiuum & ſecundarium; nego conſequentiam.

11. Obijc: ſecundó: oculus non poteſt habere pro obiecto terminatiuo & ſecundarió id, quod non eſt viſibile: ergo intellectus non poteſt habere pro obiecto terminatiuo impoſsibile, ſiue non ens. Conſequentia probatur: tùm quia impoſsibile nullam habet ſpeciem ſui repræſentatiuam, tùm quia nulla potentia intentionalis poteſt terminari ad id, quod non continetur in eius obiecto formali: ſed impoſſibile non continetur in obiecto formali intellectus, quod eſt ſolúm ens reale: ergo &c.

12. Reſpondeo: concedo antec: & nego conſequentiam: Diſparitas eſt euidens, quia coloratum, quod eſt obiectum potentiæ viſiuæ, non diuiditur in viſibile, & inuiſibile, ſed in album & nigrum; ideó oculus poteſt videre colorem album,

&

& colorem nigrum, quia vterque eſt viſibilis, ſed non poteſt videre Angelum, quia eſt inuiſibilis: intelligibile verò, quod eſt obiectum vniuerſaliſſimum intellectus, diuiditur in poſſibile, & impoſſibile: ideò intellectus poteſt cognoſcere impoſſibile tanquam obiectum materiale & terminatiuum, per ſpecies alienas, non proprias; hoc eſt per ſpecies entis realis, quæ non ſunt propriæ, ſed alienæ reſpectu impoſsibilis: ita per ſpecies hirci realis, & Cerui realis cognoſcit Hircoceruum, ſicuti per ſpecies rerum materialium cognoſcit res immateriales: in hoc ſenſu verum eſt nihil eſſe in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, quia impoſſibile, quod eſt in intellectu, priús fuit in ſenſu per ſpecies alienas. Obiectum formale & motiuum intellectus eſt ſolúm ens reale, quód manuducit intellectum ad cognóſcendum impoſſibile: hinc patet ad probationem conſequentiæ.

13. Obijcitur tertiò: Non poteſt intellectus ſibi contradicere: ſed cognoſcendo impoſſibile nimirum Hircoceruum, ſibi contradicit, ergo non poteſt cognoſcere impoſſibile. Minor probatur. Sibi contradicere formaliſſimè eſt affirmare contradictoria: ſed cognoſcere Hircoceruum eſt formaliſſimè affirmare contradictoria, quia affirmatur Hircoceruum eſſe Hircum & non eſſe Hircum, ergo &c.

14. Reſpondetur: conc: maiorem, & nego minorem: ad eius probationem diſtinguo maiorem: ſibi contradicere eſt affirmare abſolutè contradictoria: concedo maiorem: eſt affirmare conditionatè, iterum diſtinguo: conditionatè ſub hypotheſi poſsibili: nego ma: impoſſibili: conc: ma: & diſt: min: cognoſcere Hircoceruum, eſt affirmare abſolutè contradictoria; nego minorem: condi-

tio-

tionaté ſub hypotheſi impoſsibili: concedo minorem, & nego conſequentiam. Qui cognoſcit Hircoceruum includentem in ſuo formali conceptu eſſe hircum, & non eſſe hircum, affirmat abſolutè Hircoceruum non eſſe hircum; ratio eſt euidens, quia impoſsibile abſolutè non eſt poſsibile; ſed Hircoceruus eſt aliquid impoſsibile; & hircus eſt aliquid poſsibile; ergo Hircoceruus abſolutè non eſt hircus; ergo &c. Conditionaté affirmat Hircoceruum eſſe hircum, & ſimul non eſſe hircum, quia in hypotheſi impoſsibili, in qua exiſteret Hircoceruus, verè eſſet iſte Hircus, & verè non eſſet iſte Hircus: In hac re intellectus ſibi non contradicit, quia affirmat contradictoria ſub hypotheſi impoſsibili, hoc eſt in eo ſtatu, in quo eſſent contradictoria; quæ autem contradictio eſt affirmare contradictoria in eo ſtatu futura in quo eſsent contradictoria.

15. Obijcitur quartó: qui affirmat contradictoria ſub hypotheſi impoſsibili ſibi contradicit: ergo diſtinctio nulla. Antecedens probatur. Sibi contradicere eſt dicere rem eſſe & ſimul non eſſe; ſed hoc idem dicit, qui dicit, quod Hircoceruus eſſet hircus, & non eſſet hircus, ergo &c.

16. Reſpondeo: nego antecedens. Ratio, cur ſibi non contradicat, eſt euidens, quia nemo ſibi contradicit, dum dicit rem eſſe eo modo, quo eſt; ſed qui affirmat contradictoria ſub hypotheſi impoſsibili, dicit conditionatè rem forè eo modo, quo forét, quia in prædicta hypotheſi res eſſet & non eſſet: ergo ſibi non contradicit, ſicuti ergo ſibi contradicit, adeoque falſum dicit, qui affirmat abſolutè rem eſſe & non eſſe, quia dicit rem eſse aliter ac eſt, nullus enim eſt ſtatus abſolutus in quo idem ſimul ſit, & non ſit, ita ſibi non

con-

contradicit nec falſum dicit, qui conditionatè dicit ſub hypotheſi impoſsibili rem eſse, & non eſſe; quia hæc eſt natura hypotheſis impoſsibilis, vt inferat vtrumque contradictorium. Ad probationem antecedentis: diſtinguo maiorem, eſt dicere abſolutè rem eſſe & non eſſe: concedo maiorem: eſt dicere conditionatè ſub hyeotheſi impoſsibili: nego maiorem & diſtincta minori nego conſequentiam. Hircoceruus in hypotheſi, in qua exiſteret, eſt enim hypotheſis impoſsibilis, eſſet Hircus, & non eſſet Hircus: indè eſt, quód id conditionatè affirmare eſt verum dicere, adeoque non eſt ſibi contradicere.

17. Obijcitur quintó: veritas vnius contradictorij eſt falſitas alteriùs contradictorij: vt dictum eſt in Summulis, ergo intellectus non poteſt affirmare contradictoria quin dicendo verum dicat falſum, adeoque ſibi contradicat. Conſequentia probatur; per illud præcisè falſificatur Petrum non eſſe, per quod verificatur, Petrum eſſe, ergo illud ipſum, quod verificat Hircoceruum eſſe hircum, falſificat Hircoceruum non eſſe hircum: ſed intellectus, qui concipit Hircoceruum, concipi id, quod eſſet hircus, & non eſset hircus, ergo &c.

18 Reſpondetur: diſt: antec: veritas vnius contradictorij eſt abſoluté falſitas alterius: concedo antec: eſt conditionatè ſub hypotheſi impoſſibili: nego antec: & diſtinguo conſequens: ergo intellectus non poteſt affirmare abſoluté, duo contradictoria: concedo conſequentiam: conditionatè ſub hypotheſi impoſſibili: nego conſequentiam. Tota æquiuocatio argumenti & ſimilium in hac materia, in qua non poteſt argui niſi ſophiſticé, conſiſtit in eo, quód arguens confundit ſtatum abſolutum, in quo non poſſunt verificari contradictoria,

ria,

ria, cum ſtatu conditionato ſub hypotheſi impoſſibili hoc eſt cum eo ſtatu, qui foret in ſuppoſitione impoſſibili. Non eſt dubium, an in ſtatu abſoluto, qui eſt ſtatus præſcindens ab omni ſuppoſitione impoſſibili, veritas vnius contradictorij ſit falſitas alterius; & eſſe formaliter excludat ipſum non eſſe rei, quia idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: in ſtatu veró conditionato ſub hypotheſi impoſſibili, hoc eſt in eo ſtatu, qui eſſet, ſi foret aliquid impoſſibile, veritas vnius contradictorij non eſt falſitas alterius, neque eſſe excludit non eſſe; quia in tali ſtatu eſt ſimul eſſe & non eſſe. Hircoceruus igitur, qui abſoluté non eſt idem cum Hirco poſſibili, adeóque eſt impoſſibilis; ſi exiſteret, eſſet idem cum Hirco poſsibili, & ſimúl non eſſet idem; adeóque eſſet impoſsibilis ſimúl & poſsibilis, contradictoria enim verificarentur ſimul, & non verificarentur. Hinc eſt, quód in eo ſtatu eſſe Hircum non excluderet non eſſe Hircum, neque identitas cum Hirco excluderet negationem identitatis, quia ille ſtatus talis eſt, vt in eo idem ſimul eſſet & non eſſet, adeóque vnum contradictorium non falſificaret aliud. Intellectus quandó cognoſcit Hircoceruum, cognoſcit eum abſoluté impoſſibilem: adeóque cognoſcit non eſſe idem cum Hirco, & ſimul cognoſcit conditionaté, quód ſi exiſteret, eſſet poſsibilis & impoſsibilis, eſſet idem, & non idem cum Hirco. Ad probationem conſequentiæ in forma diſtinguo antecedẽs: per illud præcisé falſificatur abſoluté Petrum eſſe, per quod verificatur, non eſſe: concedo antecedens: falſificatur conditionaté ſub hypotheſi impoſſibili: nego antecedens & conſequentiam.

19 Patet igitur ex dictis (quod eſt diligenter notandum) intellectum, qui cognoſcit impoſſibile,

videlicet hominem equum; Deum creatum, & ſimilia, non affirmare & negare idem abſoluté, ſed ſolúm cõditionatè in hypotheſi impoſsibili,in qua exiſteret homo identificatus cum equo, quia abſoluté homo habens identitatem cum equo non eſt homo, ſed eſſet homo & ſimul non eſſet homo, ſi exiſteret. Neque dicas: homo realis non eſt equus; ſed ille homo qui tunc exiſteret,eſſet equus: ergo ille homo, qui tunc eſſet, non eſſet homo realis: diſtinguo enim maiorem: Homo realis non eſt abſoluté equus: concedo maiorem: non eſt equus cõditionaté ſub hypotheſi impoſsibili:nego maiorem, & conceſſa minori diſtinguo conſequens: ergo non eſſet homo realis & ſimul eſſet: concedo conſequentiam: eſſet tantúm: nego conſequentiam. Sed de hac re dicam plura in quæſt.4. vbi oſtendam, quomodo ſint veræ duæ propoſitiones contradictoriæ, quæ formantur de obiecto impoſſibili.

20 Obijcitur vltimó: Impoſsibilè non poteſt eſſe verbum mentis: ergo non poteſt concipi. Antecedens probatur ex illis verbis, quæ narrat Lucas Euangeliſta dixiſſe Angelum,cum Virginem Mariam ſalutauit: *Non eſt impoſſibilè apud Deum omne verbum*: ergo,&c.

21 Reſpondetur: nego antecedens. Ad eius probationem dico Angeli Gabrielis verba facere hunc ſenſum: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne id quod non inuoluit implicationem terminorum*, vt eſt manifeſtum ex S. Thoma qui in prima parte quæſt.21. artic.3. in hunc modum prædicta verba interpretatur. Neque nobis aduerſatur S.Doctor, dum ibidem ait *id enim quod contradictionem inuoluit verbum eſſe non poteſt, quia nullus intellectus poteſt illud concipere*: nobis, inquam, non aduerſa-

uerſatur, quia ibi loquitur, vt patet ex contextu, de conceptione affirmatiua, quà vtique non poteſt intellectus concipere & iudicare abſoluté aliquam rem ſimul eſſe & non eſſe, non poteſt enim præſtare aſſenſum duobus contradictorijs, vt nos etiam demonſtrauimus cúm Philoſopho in diſp. 1 quæſt. 2. numer. 8. & ſequen. Hanc eſse mentem S. Thomæ dubitari minimé poteſt, ſi videantur ea, quæ docet in quæſtionibus diſputatis quæſt. 1. de potentia, vbi fuſius exponit eiuſdem Angeli verba.

QVAESTIO II.

Vtrum incognoſcibile poſſit cognoſci.

1 QVi opinantur impoſsibile non poſse cognoſci, exiſtimant in eadem ſe naui cum nobis nauigare, quaſi idem argumentum nos vrgeat, quo ipſi vrgentur, dum negant poſse cognoſci impoſſibile: Aiunt enim: ſi euincitur cognoſci impoſsibile hoc ipſo quód negatur cognoſci, cum id quod ignóratur, negari non valeát: quid dicendum nobis erit de incognoſcibili, de quo formari poteſt in hunc modum idem argumentum: vel enim negas, vel affirmas te cognoſcere incognoſcibile: ſi affirmas, tibi contradicis, qui dicis te cognoſcere quod non poteſt cognoſci: ſi negas, eo ipſo cognoſcis, ne cogaris negare id quod non cognoſcis, adeóque ex alio capite tibi contradicis: vides igitur in eiſdem anguſtijs nos eſse, in quas redegimus aduerſarios, adeóque eſse nos & illos in eadem naui.

2 Ad hunc nodum enodandum hanc in præ-

ſenti quæſtionem data opera inſtituo,quam nullius momenti ducerem, ſi magnum momentum non eſſet ſophiſmata diſſoluere, quæ ſolent eſſe cauſa, cur intellectus non poſſit verū á falſo internoſcere: id enim habet ſophiſma vt retardet intellectum ab aſſenſu rei cætera euidentis. Ex noſtra doctrina ſatis conſtat, nihil eſſe,quod non poſſit cognoſci, quia nihil eſt quod non ſit poſſibile vel impoſſibile: ſed vtrumque poteſt cognoſci: ergo nihil eſt, quod non poſſit cognoſci. Quó fit,vt ratio entis cognoſcibilis ſit ratio ſupertranſcendens, adeóque eius contradictorium quod eſt incognoſcibile, ſit impoſſibile: id enim habet terminus ſupertranſcendens, vt eius contradictorium ſit Chimæra; ſicuti idem habet locum in terminis tranſcendentibus, qui non habent alium terminum cuntradictorium, præter terminum Chimæricum, vt breuiſſimè oſtendo, quod in tractatu de negationibus diſput.6. quæſt.3., num. 20. pluribus demonſtraui. Contradictorium entis eſt non ens:ſed nō ens eſt chimæra:ergo contradictorium termini tranſcendentis eſt terminus chimæricus. Minor probatur: Chimæra eſt id, quod ſi eſſet, includeret ſimul & excluderet eſſe, ſed non ens oppoſitum contradictorié enti ſi eſſet, includeret ſimul & excluderet eſſe, includeret enim eſſe, quia veré eſſet, non includeret, quia negaret omne eſſe, negaret enim rationem abſtractiſſimā entis,atque adeó negaret ſuum eſſe; ergo, &c. In intelligibile igitur ſiue incognoſcibile,quod opponitur contradictorié cognoſcibili, eſt aliquid,quod eſt ſimul cognoſcibile & incognoſcibile, hoc enim ipſo, quód eſſet, foret cognoſcibile ſimul & incognoſcibile. Sermo eſt in præſenti de incognoſcibili, quod nullo modo neque perfecté, neque imper-

fecté

fectè ſit intelligibile, quia non eſt dubium, plurima eſſe, quæ non poſſunt á nobis perfectè intelligi. Cæterum nihil eſt, de quo non poſſit aliqua propoſitio formari, adeóque nihil eſt, quod non poſſit eſſe terminus alicuius cognitionis. Hinc habes, quid reponas illi argumento quod in hunc modum opponitur ad probandum non poſſe cognoſci impoſſibile: *Incognoſcibile non poteſt cognoſci: ergo impoſſibile non poteſt cognoſci*: antecedens enim ex doctrina tradita laborat falſa ſuppoſitione, adeóque eius ſuppoſitum eſt falſum; incognoſcibile enim, quod eſt ſuppoſitum antecedentis, eſt impoſſibile.

3 Poteſt tamen ex hac doctrina iuſtantiús vrgeri: incognoſcibile eſt impoſſibile: ergo poteſt cognoſci, quia nullum eſt impoſſibile, quod non poſſit cognoſci: ergo incognoſcibile eſt cognoſcibile: Conſequens eſt euidenter falſum: ergo & antecedens. Falſitatem conſequentis in hunc modum demonſtro. Hæc propoſitio *incognoſcibile eſt incognoſcibile* eſt euidenter vera, quia eſt identifica, ſicuti *Petrus eſt Petrus*: ergo hæc alia propoſitio *incognoſcibile eſt cognoſcibile* eſt euidenter falſa, quia contradicit antecedenti. Prætereá repugnat, vt aliquid impoſſibile euadat poſſibile hoc ipſo, quód cognoſcitur: ſed incognoſcibile, quod eſt aliquid impoſſibile, hoc ipſo, quód cognoſcitur, euadit poſsibile, quia euadit cognoſcibile: ergo, &c.

4 Vt ſoluas hanc difficultatem, debes diſcurrere de incognoſcibili perindè ac de quolibet impoſsibili: Incognoſcibile enim eſt vnum impoſſibile, non minús quàm homo habens identitatem cum equo, quia vtrumque inuoluit in ſtatu conditionato ſub hypotheſi impoſsibili prædicata con-

tradictoria, illud enim diſcrimen, quod eſt inter vtrumque, non variat naturam rei impoſsibilis. Prædicata igitur contradictoria, quæ haberet incognoſcibile, ſi eſſet, ſunt cognitum & non cognitum; ſicuti prædicata, quæ haberet homo idem cum equo, ſi eſſet, ſunt homo, & non homo. Hinc illa cognito, quæ denominat cognitum ſimul & non coguitum incognoſcibile, eſt ſine dubio cognito chimærica, ſuſtinet enim prædicata contradictoria, adeòque non poteſt eſſe in intellectu ſubiectiuè, fieri enim non poteſt, vt cognito chimærica ſit ſubiectiuè in intellectu,de hac enim cognitione diſcurre, ſicuti diſcurris de illa cognitione, quà cognoſcis te cognoſcere, & non cognoſcere, quæ ſine dubio eſt chimærica, atque adeó non po eſt eſſe ſubiectiuè in intellectu. Huiuſmodi cognitio,quæ non poteſt eſſe in intellectu ſubiectiué, vt oſtenſum eſt, poteſt eſſe in intellectu obiectiuè, quia poteſt eſſe obiectum cognitionis, quæ cognoſcit cognitionem impoſsibilem. Cognitionem, qua modó cognoſco cognitionem impoſsibilem, appello cognitionem ſignatam, quia habet pro obiecto aliam cognitionem, ſuprà quam reflectit, nimirum cognitionem impoſsibilem. E' contrarió cognitionem impoſsibilem voco cognitionem exercitam, ſicuti qui cognoſcit Petrum, cognoſcit exercité; qui veró cognoſcit ſe cognoſcere, cognoſcit ſignate; cognitio enim directa eſt cognitio exercita, & reflexa ſignata.

5. Quandò igitur ſermo eſt de cognitione cognoſcente incognoſcibile, diſtingue cognitionem exercitam á cognitione ſignata, ſiué cognitionem exiſtentem ſubiectiué à cognitione exiſtente obiectiuè. In cognitione ſignata & exiſtente ſubiectiué, nullam inuenies contradictionem, quia eſt cognitio,

gnitio, quæ ſine contradictione cognoſcit contradictoria: in cognitione exercitá & exiſtente obiectiuè inuenies proculdubiò contradictoria, quia inuenies cognitum & non cognitum, cognoſcibile & non cognoſcibile. Si hanc duplicem cognitionem optimè diſtingues, te facilé expedies á ſophiſmate propoſito,á quo plurimi torquentur;quia nihil obſtat, quo minús ſit poſsibilis cognitio ſignata illius, cuius non eſt poſsibilis cognitio exercita, adeóque illud quod eſt exercité incognoſcibile, ſit cognoſcibile ſignatè. Quandó ergo cognoſcis incognoſcibile, quid cognoſcis ſignaté? Id quod non potes exercité cognoſcere: ſicuti quando cognoſcis te ſimul cognoſcere & non cognoſcere Petrum, quid cognoſcis? An cognoſcis & non cognoſcis? Minimè verò: quia hoc repugnat: ſed cognoſcis ſignaté Petrum exercité cognitum & non cognitum exercité, adeòque ſignaté cognoſcis, quod non potes exercité cognoſcere. Eodem pacto dic arguenti, te, qui cognoſcis incognoſcibile, cognoſcère ſignaté, quod non potes cognoſcere exercité; adeóque te cognoſcentem incognoſcibile denominare ſignaté cognoſcibile ipſum exercité incognoſcibile.

6. In formá igitur ad argumentum: concede ant: & diſt: conſeq: ergo incognoſcibile exercité cognoſcitur ſignaté: conc: conſeq: incognoſcibile exercitè cognoſcitur exercité: nega conſeq: Iſta propoſitio *incognoſcibile exercitè eſt incognoſcibile exercitè* eſt propoſitio identica, neque fa1ſificatur, quando cognoſcitur incognoſcibile, quia non cognoſcitur exercité, hoc eſt non cognoſcitur illa cognitione, quæ conſtituit incognoſcibile cognitum ſimul & non cognitum: é contrarió hæc propoſitio *incognoſcibile exercitè eſt incognoſcibile ſi-*

gnatè non eſt identica, adeóque poteſt falſificari, ſicuti veré falſificatur per cognitionem ipſius incognoſcibilis: quòd propterá eſt cognoſcibile. Indé eſt,quod nullum impoſſibile èuadit poſſibile, eò quòd cognoſcitur:incognoſcibile enim,quod ſignaté, cognoſcitur non euadit cognoſcibile exercité.

7. Quod ſi quæras, an ſit cognoſcibile in actu ſignato ipſum incognoſcibile in actu exercito & ſignato, dico eſſe plures actus ſignatos, ſicuti ſunt plures actus reflexi, adeóque incognoſcibile in vno actu ſignato eſſe cognoſcibile alio actu ſignato, in quo nulla eſt repugnantia. At in cognoſcibile in omni actu ſignato, & exercito eſt ne cognoſcibile? Dico eſſe cognoſcibile in actu ſignato, quia licet tu dicas in cognoſcibile in omni actu ſignato & exercito, hoc ipſum non potes exercité dicere, quia non potes exercité negare illam eamdem cognitionem, per quam tú modo cognoſcis id, quod ſi eſſet in omni actu ſignato incognoſcibile, eſset ſimul cognoſcibile & non cognoſcibile. Idem dic de illo, qui cognoſcit ſe nihil cognoſcere, & dicit ſe nihil dicere, quia licet aliquis poſſit ſignatè cognoſcere, ſe nihil cognoſcere, & ſignaté dicere ſe nihil dicere, non poteſt exercité cognoſcere ſe nihil cognoſcere, & exercitè dicere ſe nihil dicere, quia non poteſt exercité negare illam cognitionem,quam habet. Hinc conſtat omnia contradictoria in cognoſcendo incognoſcibile verificari in ſtatu conditionato ſub hypotheſi impoſsibili: nulla verificari in ſtatu abſoluto:quod ſatis eſt ad oſtendendum cognoſci ſine contradictione quodcumque impoſsibile: quod erat demonſtrandum.

QVAESTIO III.

Vtrum omnis intellectus cognoſcat impoſſibile.

1. FVit huc vſque oſtenſum, nihil impedire, quominús intellectus illud cognoſcat, quod ne diuinâ quidem virtute poteſt fieri: terminus enim facultatis cognoſcentis eſt longé amplior, quám potentiæ phyſicæ, quiá hæc non poteſt producere quidquid poteſt intellectus cognoſcere. Dubium reſtat: an ille intellectus, qui habet facultatem conoſcendi quidquid fieri non poteſt, ſit tantúm humanus, quia poſito, quód impoſsibile cognoſcatur, non eſt dubium, an cognoſcatur ab humano intellectu. Eſt controuerſum de Angelico, quia eſt longé perfectior, quám humanus; & potiori iure de Diuino, qui eſt omnium perfectiſsimus.

2. Ad hanc controuerſiam decidendam neceſsarium exiſtimo, vt res tota repetatur ab altioribus principijs, an videlicet humanus intellectus cognoſcat impoſsibile ex capite perfectionis, an veró illud cognoſcat ex capite imperfectionis; licet enim cognoſcere ſit meliús, quám non cognoſcere; fieri poteſt vt modus, quo aliquid cognoſcitur, melior ſit non ipſe, quám ipſe; atque adeó talis modus cognoſcendi habeat originem ex defectu potiús, quám ex perfectione cognoſcendi. Hoc innumeris exemplis conſtat: cognoſcere naturam in vniuerſali eam á ſingularibus ſeparando cognitione præciſiua ſpectat ad aliquem modum cognoſcendi; id enim eſt proprium mentis humanæ in eo ſtatu, in quo ſpeculatur phantaſmata, vt docui

cum

cum philoſopho in tom 1 diſp.5. quæſt.3 .num.8. & in tom.3. diſp.15. quæſt.2. num.5. Quis autem eſt, quem lateat originem huius cognitionis eſſe defectum cognitionis? Idcircó ille intellectus, in quo nullus eſſe poteſt in genere cognitionis defectus, non modó non cognoſcit; ſed neque poteſt cognoſcere naturam in vniuerſali; ob manifeſtam repugnantiam cognitionis confuſæ, & præciſiuæ reſpectu illius intellectus, qui eſt comprehenſiua cognitio rerum omnium, vt tom 1.diſp 5 quæſt.3. nu.12. demonſtratum eſt. Præterea opinari, diſcurrere, & iudicare componendó vnam veritatem cum alia eſt proculdubió cognoſcere: hoc autem cognoſcere non eſt indubitanter melius ipſum, quám non ipſum; immó eſt melius non ipſum, eó quód ſit longè præſtantiús cognoſcere ſine vllá neceſſitate vel potentiá opinandi & diſcurrendi, quám opinari, & diſcurrere, & ratio à priori eſt, quiá opinari, & diſcurrere eſt formaliſsimé cognoſcere contractum ad certum & peculiare genus cognoſcendi per aliquod prædicatum includens defectum cognitionis; perfectio autem contracta per defectum perfectionis conſtituit rem imperfectam, quæ proinde non eſt melior ipſa, quám non ipſa, vt ex ipſa rerum notione ſatis liquet: cognoſcere igitur opinando, & diſcurrendo eſt imperfectum cognoſcere; quod originem habet ex defectu cognitionis, & imperfectione. Poſſunt plurima alia in eamdem rem produci, quæ non eſt operæ pretium longiùs proſequi: itáque in dubium vertitur, an cognitio, qua impoſſibile ab intellectu noſtro cognoſcitur, ad hoc genus cognitionum pertineat, quod eſt argumentum virtutis cognoſcentis limitatæ & defectuoſæ. Qui ſunt in ea ſententia, quód impoſsibile poſsit eſſe terminus cognitionis huma-

næ

næ non veró diuinæ, opinantur eſſe cognitionem imperfectam, quæ cognoſcit naturam ex prædicatis viciſsim oppoſitis coalitam, ad quod opinandum his argumentis ducuntur.

3. Primò: cognitio, quæ fingit, eſt imperfecta in genere cognitionis; ſed cognitio, quæ cognoſcit impoſsibile, eſt cognitio, quæ fingit: ergó cognitio, quæ cognoſcit impoſsibile, eſt imperfecta in genere cognitionis. Maior eſt manifeſta: minor probatur, tùm quia ad cognoſcendum id, quod non poteſt eſſe in rerum natura, opus eſt aliquo figmento ipſius intellectus; ſi enim aureum montem non poſſumus niſi fingendo imaginari, quà ratione fieri poterit, vt hircoceruum, & hominem cum equo identificatum, aliaquè id genus intellectus ſine vlla fictione apprehendat? tùm quià nihil eſt aliud fingere, quàm tribuere alicui rei prædicatum, quod eidem repugnat, hoc autem manifeſté reperitur in ea cognitione, quæ verſatur circa hominem cum equo identificatum, & hircum identificatum cum ceruo, quià nihil magis repugnat homini, quàm identitas cum equo; atqui operà intellectus cognoſcentis identitatem inter hominem & equum identificatur equus cùm homine; intellectus igitur, qui cognoſcit hanc identitatem, fingit.

4. Secundò: apud omnes ſcholaſticos inualuit, vt chimæra, ſiuè quælibet natura ex rebus viciſſim pugnantibus compoſita dicatur antonomaſticé ens fictitium, ſiuè ab intellectu fictum; quòd autem omnibus videtur, eſt verum, vt ex communi omnium opinione docet Ariſtoteles, & in præſenti vrget efficaciùs, quià conſenſus omnium ſapientum eſt maximum veritatis indicium: intellectus igitur, qui cognoſcit impoſsibile, non poteſt illud cog no-

cognoſcere niſi aliquid fingat. Adde, hoc ipſum ſatis conſtare ex ipſa natura rei impoſsibilis, quæ non poteſt habere aliud eſſe, præter eſſe obiectuum in intellectu; quod autem eſt tale, vt non poſsit habere aliud eſſe præter eſſe obiectiuum in intellectu, non poteſt cognoſci ſine aliqua fictione intellectus, quare neceſſe eſt vt fingat intellectus, qui cognoſcit obiectum impoſsibile.

5. Tertiò: componere ea, quæ opponuntur, eſt fingere; ſed cognoſcere impoſsibile eſt componere ea, quæ opponuntur: ergo cognoſcere impoſsibile eſt fingere. Maior videtur ſatis certa, quia ſi Pictor fingit, cum *humano capiti ceruicem iungit equinam*, aut *Delphinum appingit ſiluis & fluctibus aprum*, vt inquit vates Lyricus, quis negabit, intellectum fingere, cum duas naturas viciſsim oppoſitas in vnam cogit? Minor etiam conſtat ex ijs, quæ docuimus in quæſt. 1. de modo, quo intellectus cognoſcit impoſsibile, intellectus enim vt cognoſcat obiectum impoſsibile, debet componere res oppoſitas, nimirùm formam & carentiam eiuſdem formæ: eſſe ſimul & non eſſe.

6. Quartò: cognoſcere componendo eſt imperfectè cognoſcere; ſed cognoſcere impoſsibile eſt cognoſcere componendo: ergo cognoſcere impoſsibile non eſt perfectio: adeóque intellectus diuinus non poteſt cognoſcere impoſsibile. Maior patet, tùm quia omnis compoſitio eſt imperfectiæ; defectus enim perfectionis eſt imperfectio; compoſitio autem eſt defectus ſimplicitatis, quæ vtique eſt perfectio; igitur & compoſitio eſt imperfectio, tùm quia intellectus humanus ideo eſt imperfectus in genere intellectus, quia non poteſt affirmare vel negare niſi componendo, vel diuidendo, vt demonſtrat S. Thomas in lib. 2. cap. 76.

ſum-

ſummæ contra gentes & in primâ parte ſummæ Theologicæ quæſt. 79. art 2. Minor etiam eſt maniſeſté, quiá ad cognoſcendum hominem equum neceſſe eſt componere hominem cum equo.

7. Quintò: cognitio eſſentialiter falſa eſt cognitio imperfecta in genere cognitionis; ſed cognitio, quæ cognoſcit impoſsibile, eſt cognitio eſſentialitér falſa: ergo eſt imperfecta in genere cognitionis. Minor probatur, quia cognitio, quæ cognoſcit eſſe equum id, quod eſſentientaliter non eſt equus, eſt cognitio eſſentialiter falſa; ſed cognitio, quæ cognoſcit hominem equum, cognoſcit eſſe equum id, quod eſſentialiter non eſt equus, cognoſcit enim hominem, qui eſſentialiter non eſt equus, eſſe equum: ergo &c.

8. Sextó: cognitio, quæ non eſt intuitiua, eſt eſſentialiter cognitio imperfecta; ſed cognitio, quæ cognoſcit impoſsibile, non eſt neque poteſt eſſe intuitiua: ergo huiuſmodi cognitio eſt imperfecta. Maior eſt certá; eatenús enim cognoſcimus imperfecté Angelum & Deum, quatenús vtrumque cognoſcimus per ſpeculum, & in ænigmate, vt inquit Apoſtolus in primá ad Corinticos 3. ex quo ſequitur, cognitionem abſtractiuam, qualis eſt cognitio, quæ cognoſcit Deum ænigmaticé, eſſe imperfectam; cognitio autem, quæ non eſt intuitiua, ſine dubiò eſt abſtractiua, quia omnis cognitio, vel eſt intuitiua, vel abſtractiua. Minor etiam demonſtratur, quia illud, quod neque in ſe ipſo, neque in ſuá cauſá exiſtit, non poteſt cognoſci intuitiué, at impoſsibile neque in ſe ipſo, neque in ſua cauſa exiſtit, igitur non poteſt cognoſci intuitiué.

9. Septimó: medium, in quo Deus cognoſcit omne id, quód cognoſcit, eſt eſſentia Diuina, quia obie-

obiectum formale, á quo ſpecificatur cognitio Dei, non poteſt eſſe aliud, præter eſſentiam Dei, alioquin Deus non haberet eſſe à ſe, quod maniſeſté repugnat; illud igitur, quòd non cognoſcitur à Deo in eſſentia Diuina, tanquam in medió cognito, ſiué tanquam in obiecto formali ſpecificatiuo cognitionis, nullo pacto cognoſcitur á Deo; ſed obiectum impoſsibile non poteſt cognoſci á Deo in eſſentia Diuina, tùm quia non continetur in eſsentia Diuina, quæ opponitur contradictoriè obiecto impoſsibili; negatio enim formaliter excludens chimæram eſt eſsentia Diuina, illud nimirùm ens, quod non poteſt non eſse; tùm quia eſsentia Diuina eſt omne eſse, nullam habens connexionem cum illo obiecto, quod includit eſse ſimul & non eſse, adeóque excludit illud ipſum, quod includit: ergo &c.

10. Vltimò: vel Deus non poteſt cognoſcere impoſsibile, vel eſt falſum hoc principium naturæ lumine omnibus compertiſsimum; *Idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*, ſiué quod eodem reuoluitur. *Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera, vel ſimul falſa* in cuius principij veritate nititur tota Metaphyſica, vt oſtenſum fuit in diſp 1. quæſt. 1. num. 5. 6. & 7. repugnat autem iſtius principij falſitas, repugnat igitur impoſsibile á Deo cognoſci. Maior demonſtratur, quia Deus cognoſcendo chimæram, videlicet hircoceruum, cognoſcit eſse veram, vtramque ex iſtis propoſitionibus, *hircoceruus eſt hircoceruus, hircoceruus non eſt hircoceruus*: ſed huiuſmodi propoſitiones ſunt contradictoriæ, vt omnibus conſtat; ergò cognoſcit veritatem vtriuſque contradictorij: ergo ex cognitione Diuina ſequitur eſse verum vtrumque contradictorium, atque adeó falſum hoc principium *contradictoria*

non

non poſſunt eſſe ſimul vera: cum ergo antecedens non poſſit eſſe verum, ex quo ſequitur conſequens falſum; manifeſtum eſt cognitionem Diuinam de obiecto impoſsibili eſſe impoſſibilem, perindè vt eſt impoſsibile, quodlibet impoſsibile.

11. Hæc ſunt argumenta, quæ ſuadent fieri non poſſe, vt chimæra habeat eſſe intentionale in mente Diuinâ & Angelicâ; an verò perſuadeant illud ipſum, quod ſuadere contendunt, opus eſt ſubtiliori examine. Antequam demonſtrare aggrediar, quantum ponderis & momenti omnia ſingillatim habeant; neceſſe habeo ſententiam contrariam, & non ſolùm multò probabiliorem, ſed etiam apud me veram, exponere ſimul & confirmare, in quam inclinant plurimi Doctores magni nominis, quibus enumerandis ſuperſedeo, ne ſim nimiùs in re parui momenti.

12. Dico igitur impoſſibile vel non eſſe cognoſcibile, vel ex capite perfectionis eſſe cognoſcibile.

13. Vt autem habeas veram intelligentiam huius aſſertionis, eam non debes ità intelligere, quaſi ex aliqua perfectione, quæ eſt in obiecto impoſſibili oriatur cognitio, quæ cognoſcit impoſſibile: quomodò enim fieri poteſt, vt oriatur ex perfectione illius rei, quæ nullám habet, nec habere poteſt perfectionem? Impoſsibile autem, vt ex ipſa terminorum expoſitione eſt omnibus manifeſtum, nec habet nec habere poteſt vllam perfectionem; contradictorium enim formale, ſiuè formalis negatio rei impoſsibilis habet omnem perfectionem, vt conſtat ex tractatu de ente negatiuo diſp 6. quæſt.3. num.7: ergo &c. Spectat ad perfectionem facultatis cognoſcentis poſſe cognoſcere impoſsibile, adeòque poſſe cognoſcere impoſsibile eſt perfectio melior ipſa quàm non ipſa, ſicuti

eſt

eſt meliús cognoſcere, quàm non cognoſcere, viuere, quám non viuere, & alia id genus. Hæc eſt germana noſtræ ſententiæ expoſitio, quæ pluribus argumentis poteſt demonſtrari.

14. In primis eſt meliús poſſe negare exiſtentiam obiecti impoſsibilis, quàm illam non poſſe negare; ſed poſse negare exiſtentiam obiecti impoſsibilis eſt formaliſsimé poſse cognoſcere obiectum impoſsibile: ergó eſt meliús poſse cognoſcere, quàm non poſse cognoſcere obiectum impoſsibile: ergò obiectum impoſsibile, vel non poteſt cognoſci, vel ex capite perfectionis poteſt ac debet cognoſci.

15. Hic diſcurſus eſt optimus, & cauſam vincit, dummodo conſtet de veritate vtriuſque præmiſsæ. Primam tibi clariſsimè demonſtro hac ratiocinatione. Quid eſt meliús poſse, an non poſse negare id, quód eſt re verá negandum? Vtique eſt meliùs poſse: ſicuti enim eſt meliùs poſse affirmare, quàm non poſse affirmare rem veré affirmandam, itá eſt longè meliús poſse negare, quàm non poſse negare rem verè negandám. Ratio á priori huius veritatis eſt, quia eſt meliùs poſse cognoſcere aliquod verum, quám illud non poſse cognoſcere: poſse autem negare rem veré negandam eſt formaliſsimé poſse cognoſcere aliquod verum, quia cognoſcere verum eſt cognoſcere rem ſicuti eſt: quid autem eſt negare rem verè negandam, niſi cognoſcere rem ſicuti eſt? Quiá veró idem eſt negare chimæram eſse, & negare rem verè negandam, vt omnibus liquet; ideò poſse negare chimæram eſse eſt meliús, quám non poſse negare.

16. Alteram præmiſſam tibi in hunc modum eadem perſpicuitate oſtendo. Negare eſt formaliſsi-

liſsimé cognoſcere, quia iudicium, quo intellectus negat, eſt vna eiuſdem cognitio: poſſe igitur negare, eſt formaliſsimè poſse cognoſcere, atque adeó poſse negare exiſtentiam chimæræ eſt formaliſsimè poſse cognoſcere chimæram. Id totum eſt adeò certum, vt quicumque ignorat curſum Petri, non poſsit meritò illum negare, ne nimirùm exponatur periculo negandi id, quod ignorat, an re vera ſit negandum.

17. Deindè quis poteſt dubitare, an ſit perfectio, quæ nullam inuoluit imperfectionem, negare exiſtentiam alterius Dei? Nonne eſt perfectio melior ipſa, quàm non ipſa affirmare Diuinam exiſtentiam? Cur hoc? Quia neceſse eſt Deum exiſtere: ſi ergo eſt perindè neceſsarium alium Deum non eſse, ſicuti eſt neceſsarium Deum eſse: qui negat alium Deum eſse, non minùs eſt laude dignus, quàm qui affirmat Deum eſse: quin fieri minimé pôteſt, vt quis aſserat eſse in rerum natura vnum Deum, qui eſt ens optimum, neceſsarium, & perfectiſsimum, & ſimul non enunciet alium Deum non eſse, quia neceſse eſt ens optimum & perfectiſsimum eſse vnicum, quare non poteſt in dubium verti, an ſpectet ad perfectionem facultatis intelligentis ferre hanc ſententiam de vno Deo ab omnibùs ſummá religione adorando, quòd nimirùm præter ipſum non ſit alius Deus. Id autem contingere non poteſt, niſi intellectus cognoſcat alium Deum, qui ſine dubió eſt obiectum impoſsibile: quia non poteſt negari exiſtentia alterius Dei, niſi mente concipiatur alterius Dei exiſtentiá, vt demonſtratum eſt in quæſt. 1. num. 3. ſed exiſtentia alterius Dei eſt impoſsibilis: eſt igitur perfectio ſubſtantię intelligentis cognoſcere rem impoſsibilem.

18. Prætereà: poſse cognoſcere ampliſsimam rationem entis & ſcire totam eius amplitudinem eſt in genere cognitionis pura perfectio, ideó enim intelligere, quatenús intelligere, eſt perfectiús cognoſcere quám ſentire, quatenús ſentire, quia intelligere eſt percipere totum eſſe: è contrarió ſentire eſt tantùm percipere ens ſenſibile, quod non éſt totum eſſe, ſed eſſe limitatum; potentia autem cognoſcendi obiectum impoſsibile eſt formaliſsimé potentia cognoſcendi ampliſsimam rationem entis, quia facultas, quæ non poteſt pertingere ad cognoſcendam rationem abſtractiſsimam entis, non poteſt cognoſcere prædicata contradictoria; atque adeó non poteſt cognoſcere obiectum, quod conſtat ex prædicatis viciſsim oppoſitis; repugnat enim peruenire ad cognoſcendam chimæram eam facultatem, quæ habet modum cognoſcendi adeó anguſtum & definitum, vt non poſsit cognoſcere formam & carentiam fomæ. Quód autem hæc duo prædicata, videlicet *non poſſe attingere totam rationem entis, & non poſſe cognoſcere terminos contradictoriè oppoſitos*, reciprocentur, eſt ſatis perſpicuum, túm ex ipſa natura cognitionis, quæ percipit ens in quantùm ens, ſiuè ampliſsimam entis latitudinem; túm étiam ex natura cognitionis limitatæ ad percipiendum aliquem gradum inferioris entis. Hoc enin eſt diſcrimen, vt conſtat ex tom.3. diſput.15. quæſt.1. num.7. inter geminas fucultates vnam ſententiem, & alteteram intelligentem, quód ſenſus eſt limitatus ad cognoſcendum colorem, ſonum & alia id genus, quæ cadunt ſub experientiam: intellectus autem omnia percipit, & ſuam virtutem extendit ad totam entis amplitudinem.

19. Hu-

18. Huiuſmodi virtus eſt indubitanter neceſſaria ad cognoſcendum hominem & non hominem; quia cognoſcere non hominem eſt formaliſsimé cognoſcere quidquid eſt diſtinctum ab homine: ergo cognoſcere hominem & non hominem eſt cognoſcere hominem, & quidquid eſt ab homine diſtinctum. Sed cognoſcere hominem, & quidquid eſt ab homine diſtinctum, eſt formaliſsimé cognoſcere totam amplitudinem entis, quiá nihil eſt, quod non ſit homo, vel aliquid ab homine diſtinctum, ergo cognoſcere hominem & non hominem eſt formaliſsimé cognoſcere totum eſſe.

19. Adde, quod omnis oppoſitio contradictoria fundamentum habet in illa oppoſitione, quæ inuenitur inter eſſe, & non eſſe, quęcumque enim opponuntur hoc genere oppoſitionis, inuoluunt eſſe & non eſſe, vt conſtat in homine & non homine, in luce & non luce, homo enim & non homo inuoluit formaliſsimé eſſe hominem, & non eſſe hominem. Non eſt autem dubium, an cognitio, quæ cognoſcit eſſe & non eſſe, ſit formaliſsimè cognitio, quæ cognoſcit omne eſſe, vt oſtenſum eſt in tom. 3. diſp. 16. qu. 1. num. 6. Eſſe enim abſtractiſsimè conſideratum complectitur omne eſse eo pacto, quo genus complectitur quamlibet ſpeciem & terminus ſuperior inferiorem. Eſt igitur neceſſe cognoſci totum eſse ab illa facultate, quæ poteſt cognoſcere hominem, & non hominem, cæteraque id genus. quæ continent affirmationem & negationem.

20. Hæc eſt ratio, vt ibidem docui num. 8. propter quam nulla ſubſtantia, præter illam, quæ intelligit, poſsit ſeipſam cognoſcere, & cognoſcendo ſe formare intra ſe verbum ſui ipſius expreſſiuum dicendo *ego*, qui enim cognoſcit ſe debet

cognoſcere quidquid eſt diſtinctum a ſe, eaque propter debet cognoſcere non ſe, comparando ſuum eſſe cum omni eo, quod non eſt ſuum eſſe; quia ſe cognoſcere, eſt cognoſcere identitatem ſui cum ſe, & negationem identitatis inter ſe & quodlibet non ſe, vt eſt ſatis apertum: quia veró cognoſcere ſe & quidquid eſt diſtinctū á ſe eſt formaliſsimé cognoſcere omne eſſe: & nulla ſubſtantia præter intelligentem poteſt cognoſcere omne eſſe, cum percipere omne eſſe ſit formaliſsimé intelligere, ſequitur nullam eſſe facultatem ab intelligente diſtinctam, quæ poſsit cognoſcere ſe.

21. Vt igitur eó reuertamur, vnde fueramus profecti, eſt manifeſtum facultatē chimæræ cognoſcendæ eſſe formaliſsimé facultatem intelligendi omnia, quæ ſine controuerſia eſt melior ipſa, quám non ipſa; atque adeo poſſe cognoſci impoſsibile ex perfectione, non ex defectu cognitionis.

22. Neque infirmat hunc modum arguendi exemplum ſatis familiare facultatis diſcurentis, quæ eſt formaliſsimé facultas intelligendi, cum diſcurrére quatenús diſcurrere ſit intelligere, & tamen huiuſmodi facultas, quæ inuoluit facultatem meliorem ipſam, quám non ipſam, non eſt melior ipſa, quám non ipſa: hoc enim exemplum cætera veriſsimum non eſt ad rem, vt perſpicue conſtabit ſpeculantibus naturam facultatis diſcurrentis. Quid enim eſt, quod diſcurrere non ſit melius, quàm non diſcurrere, ſi intelligere, á quo non præſcindit ipſe diſcurſus, eſt meliús, quam non intelligere? Illud idem eſt in cauſa, quod obſtat, quominús ens creatum ſit meliùs ipſum, quám non ipſum; licet inuoluat eſſe, quod eſt meliús ipſum, quám non ipſum. Cur eſſe creatum non eſt meliús ipſum, quam non ipſum, ſi eſſe eſt me-

meliús ipſum, quám non ipſum? Quia id, quod contrahit eſse ad eſse creatum, eſt formaliſsimè non eſse, adeoque eſse creatum limitat illam ipſam rationem entis, quám in ſeipſo includit. Eadem omninó cauſa ſubeſt in diſcurſu: id quod contrahit rationem abſtractiſsimam cognitionis ad naturam diſcurſus, eſt formaliſsimé defectus cognitionis, cum enim diſcurrere nihil aliud ſit, quám á notis ad ignota procedere, neceſſe eſt cedi, quám ignorationem inuolui in ipſo diſcurſu; non eſt igitur mirum, quód diſcurſus non ſit melior ipſe, quám non ipſe, quamuis cognitio, á qua diſcurſus non præſcindit, ſit melior ipſa, quám non ipſa. Oppoſitum accidit in ea cognitione, quæ cognoſcit impoſſibile: quia illud, quod contrahit rationem abſtractiſſimam intelligendi ad hanc ſpeciem intellectionis, non eſt defectus intellectionis; vt enim intelligam cognitionem, quæ intelligit impoſſibile; non eſt neceſſe á me intelligi aliquem defectum cognitionis; quia cognoſcere, quód eſt diſtinctum ab omni poſsibili, nimirum impoſsibile, non inuoluit in ſuo formali conceptu ignorationem alicuius poſſibilis, vt videtur notum ex terminis; ſicuti cognoſcere, quod eſt diſtinctum ab homine, non eſt ignorare hominem: cur enim non poſſum cognoſcere hominem & ſimul cognoſcere id, quod eſt ab homine diſtinctum? Adde, quód tantùm abeſt, vt inuoluat defectum cognitionis; cognitio, quæ cognoſcit impoſſibile, vt potius inuoluat exceſſum cognitionis inuoluit enim aliquid cognoſci præter id, quod cognoſcitur ab eo, qui cognoſcit, quod eſt tantùm poſſibile.

23. Ex quibus efficitur, nullam eſſe imperfectionem in formali conceptu cognitionis, quæ co-

gnoſcit obiectum impoſsibile, adeoque eſſe puram perfectionem poſſe cognoſcere impoſſibile; ſicuti eſt pura perfectio poſſe omnia cognoſcere. Hinc diuinús intellectus habet neceſſitatem cognoſcendi impoſsibile, quia ſpectat ad naturam entis optimi & perfectiſſimi neceſſitas metaphyſica cuiuſcumque perfectionis purę; ſed cognoſcere impoſſibile eſt pura perfectio, vt demonſtratum eſt nu. 15. & 16. neceſſitas igitur cognoſcendi impoſſibile ſpéctat ad naturam entis optimi, & perfectiſsimi, adeoque ad intellectum diuinùm.

24. Sunt etiam alia plurima, ex quibus conſtat à Deo cognoſci impoſsibile: primó neceſſe eſt, vt quicumque cognoſcit ſe neceſſarió cognoſcat negationem ſui incompoſsibilem cum ſe: Deus igitur, qui eſt perfectiſſima cognitio ſui, neceſſarió cognoſcit negationem ſui incompoſsibilem cum ſe; ſed negatio Dei incompoſsibilis cum Deo eſt formaliſsimè chimæra, quia ſicuti neceſſe eſt Deum eſse; ità impoſsibile eſt Deum non eſſe; ergo neceſse èſt, vt Deus cognoſcat chimæram, ſiue obiectum impoſsibile. Secundò, quia Deus eſt negatio cuiuſcumque chimæræ, eſt enim formale contradictorium omnis chimæræ vt oſtenſum fuit in diſp. 6. qu. 3. num. 5. & 6. ſed Deus neceſsarió cognoſcit ſe, ergo neceſsarió cognoſcit negationem cuiuſcumque chimæræ: ſed cognoſcere negationem cuiuſcumque chimæræ eſt neceſsarió cognoſcere quamlibet chimæram, quia non poteſt cognoſci negatio lucis ſine cognitione lucis negatæ, ergo &c. Tertiò quia Deus eſt ipſa actualis impoſsibilitas omnis impoſsibilis vt dictum eſt in diſp. 4. qu. 4. num. 7. Sed actualis impoſsibilitas omnis impoſsibilis non poteſt cognoſci ſine cognitione cuiuſcumque impoſsibilis ſicut

actna-

actualis poſsibilitas omnium poſsibilium non poteſt cognoſci ſine cognitione omnium poſsibilium; Deus igitur cognoſcit omne impoſsibile cognoſcendo ſeipſum, qui eſt actualis impoſsibilitas omnium impoſsibilium. Quartó Deus neceſſarió cognoſcit id quod cognoſcit intellectus humanus, ſed intellectus humanus cognoſcit obiectum impoſsibile, vt oſtenſum eſt quæſt. prima numer. 5. ergo Deus neceſsarió cognoſcit obiectum impoſsibile.

25. Hoc vltimum argumentum eſt efficaciſsimum ad confirmandam hanc ſententiam, quia licet Deus non cognoſcat in vniuerſali naturam, quam intellectus humanus cognoſcit in vniuerſali, nihilominus ex eo, quód cognoſcat, id quod nos cognoſcimus, dum chimæram cognoſcimus, ſequitur chimæram á Deo cognoſci, quia cognoſcere in vniuerſali naturam, eamque ſeparare á ſingularibus eſt cognoſcere eo modo imperfecto, quo nos cognoſcimus, vt conſtat ex tomo primo diſput. 5. qu. 3. num. 10. Sed Deus etiam ſi cognoſcat, id quod nos cognoſcimus, & modum, quo cognoſcimus, non cognoſcit eo modo, quo nos cognoſcimus: ergo Deus cognoſcendo, quod nos cognoſcimus, non cognoſcit naturam in vniuerſali. E contrarió vt cognoſcat impoſsibile cognoſcendo, quod á nobis eſt cognitum, non eſt neceſse vt cognoſcat eo modo, quo nos cognoſcimus; ſicuti vt cognoſcat veritatem á nobis cognitam non eſt neceſse, vt eam cognoſcat eo modo, quo á nobis eſt cognita: in ſubiecta igitur materia conſecutio eſt optima: *Deus cognoſcit quod à nobis cognoſcitur cognoſcentibus impoſſibile; ergo cognoſcit impoſſibile.*

26. Similibus argumentis euincitur ab intel-

lectu Angelico poſse cognoſci impoſsibile, quia intellectus angelicus licet in ſe non debeat continere omnem puram perfectionem mentis diuinæ; hanc tamen perfectionem, de qua in præſenti eſt ſermo, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet habere: tùm quia non eſt tanta perfectio, vt non poſsit copulari cum mente finita & limitata, qualis eſt mens angelica, tùm quia hæc perfectio reperitur in mente humana, quæ eſt multó imbecillior, quám angelica.

27. Hinc eſt modum, quo Deus cognoſcit chimæram, eſse longè altiorem modo, quo eamdem cognoſcit Angelus, & homo, quia modus, quo Deus cognoſcit chimæram, habet ſummam proportionem cum modo, quo cognoſcit omnia; ſed modus, quo Deus cognoſcit omnia, eſt longè altior, quam modus, quo cognoſcit omnia intellectus angelicus, vel humanus, ergo etiam modus, quo Deus cognoſcit chimæram, eſt longè altior, quám modus, quo eam cognoſcit Angelus, vel homo. Ratio vlterior eſt, quia neceſſe eſt vt modus, quo chimæra cognoſcitur ab intellectu angelico, vel humano, inuoluat aliquam imperfectionem; cum modus intelligendi humanus perindè vt angelicus non poſsit ſeparari ab imperfectione. Hanc imperfectionem procul dubio excludit ille modus, quo intellectus diuinus cognoſcit chimæram, quia hanc legem debemus obſeruare traditam á Dionyſio cum ab humanis ad diuina progredimur, vt eam perfectionem, quám in rebus creatis intuehimus cum aliqua mixtura imperfectionis, ab omni defectus labe ſegregatam Deo tribuamus. Indé eſt, quód intellectus creatus, & præſertim humanus poteſt ita imperfectè cognoſcere chimæram, vt eam cognoſcendo

fin-

fingat; quia poteſt credere eam eſse poſsibilem; hanc imperfectionem, & fingendi facultatem nullatenus neceſsariam ad veram chimæræ cognitionem non habet diuinus intellectus eſsentialiter determinatus ab infinito lumine, quod habet, ad cognoſcendas res omnes prout verè ſunt: vnde patet, quid ſit dicendum ad argumenta partis contrariæ.

28. Ad primum: conc: ma: & nego mi: Non eſt neceſse, vt intellectus fingat, dum cognoſcit chimæram; quia poteſt chimæra cognoſci per cognitionem veram, & per cognitionem falſam; vt conſtat in eo, qui iudicat poſse exiſtere rem, quæ verè non poteſt exiſtere; & in eo qui iudicat non poſse exiſtere rem, quę verè non poteſt exiſtere: vterque cognoſcit chimæram, quia vterque cognoſcit rem, quæ non habet aliud eſſe præter eſſe obiectiuè in intellectu; ſed vnus cognoſcit chimęram cognitione vera, alius falsā; repugnat autem vt cognitio, quæ eſt vera, ſit cognitio, quæ fingit; quia iudicare rem vt verè eſt, non eſt fingere: vnus igitur cognoſcit chimæram cognitione, quæ fingit, & alius eamdem cognoſcit cognitione, quæ non fingit Quare cognitio, quæ attingit. Chimæram, ex ſuo formali conceptu abſtrahit a cognitione, quæ fingit & a cognitione, quæ nonfingit.

29. Hinc cognoſcere chimæram, & non fingere non ſunt formalitates oppoſitæ: poſſunt igitur in vna & eadem cognitione componi; atque adeo formalitas cognitionis eſſentialiter non fingentis, quæ eſt formalitas eſſentialis cognitioni diuinæ, poteſt ſtare cum formalitate cognitionis attingentis chimæram. Non poteſt igitur ex capite neceſſitatis, quæ eſt in diuina mente, vt cognoſcendó non fingat, concludi repugnantia cognoſcendi obiectum impoſſibile.

30. Cæ-

30. Cæterum ille diſcurſus, quo arguens contendit intellectum fingere dum cognoſcit impoſſibile, neque vincit cauſam, neque eſt ad rem; quia nemo in dubium vertit, an obiectum impoſſibile, ſit ens quod non eſt ens; atque adeo an poſſit, & debeat in hoc ſenſu appellari ens fictum quia nihil eſt magis fictum, quàm id, quod non poteſt in rerum natura exiſtere: hinc vſus apud Philoſophos, obtinuit, vt ens generatim acceptum quatenùs ſonat id, quód obijcitur cognitioni, diuidatur in ens reale, quod poteſt eſſe terminus facultatis non ſolùm cognoſcentis, verum etiam aliquid extra ſe operantis; & in ens fictum, quod eſt magis argumentum rei, quám vera res; quia non poteſt re ipſa exiſtere, & ob id non eſt terminns alicuius potentiæ Phyſicæ. Cum igitur in re præſenti ratio entis ficti, & ratio entis impoſsibilis ſint rationes conuertibiles; neceſse eſt, vt indè habeat rationem entis ficti chimæra, vnde habet rationem entis impoſsibilis habeat ab intellectu, cum Hircoceruus non ſit impoſsibilis ex capite cognitionis cognoſcentis Hircoceruum impoſsibilem, vt eſt omnibus perſpicuum; idcircó non habet chimæra formalitatem entis ficti á cognitione, quæ intelligit ipſam chimæram. Hoc ipſum, quod à nobis ſtat confirmatur, illo eodem argumento, quod in rem ſuamproponit arguens de illa facultate, quæ imaginatur montem aureum; hæc enim non fingit, etiamſi rem fictam apprehendat; quia ſunt rès valde diuerſæ fingere, & rem fictam cognoſcere; vnum non poteſt, alterum veró poteſt haberi ſine cognitione falſa, ſicuti ergo huiuſmodi facultas quæ inter ſentientes eſt ſuprema, vt conſtat ex tomo 3. diſp. 19. qu.1. num.9. poteſt vti imagine mon-

montis, & imagine auri fabricatis ſeuſuum miniſterio ad formandam imaginem montis aurei, quæ imago eſt vera imago rei fictæ, hoc eſt montis aurei, qui non eſt, licet eſſe poſsit in rerum natura: cur intellectus, qui eſt virtutis in cognoſcendo ampliſsimæ, non poterit imagine hominis, & imagine equi, vel aliquo alio modo nobis occulto vti ad repræſentandum hominem equum, rem nimirùm neceſſarió fictam, vt poté incapacem exiſtendi nulla fictione exiſtente in illo actu, qui repreſentat rèm eo modo, quo debet repreſentari.

31.. At intellectus, qui cognoſcit chimæram, identificat hominem cum equo, non enim poteſt aliter cognoſcere hominem equum: identificare autem hominem cum equo eſt manifeſtè fingere, non poteſt igitur cognoſcere chimærám intellectus niſi fingendo; vt hoc argumentum ſoluas, adhibere debes diſtinctionem inter actum, qui ſignaté identificat, et actum qui exercite identificat; actus enim qui cognoſcit chimæram non identificat exercité hominem cum equo, ſicuti ex pluribus hominibus vnum exercité conſtituit, qui cognoſcit vniuerſale, quia homo conſtituitur vniuerſalis formaliſsimè per illum actum, quo cognoſcitur obiectum non cognitis ſingularibus; è contrarió homo non conſtituitur identificatus cum equo per cognitionem, quæ cognoſcit hominem equum, cum ſeclúſa omni cognitione homo impoſſibilis, de quo in præſenti eſt ſermo, ſit homo, qui non eſt homo. Quomodo igitur hominem cum equo identificat, qui hominem equum cognoſcit? identificat ſignaté, quia identificare ſignatè nihil eſt aliud, quám obiectum huius cognitionis eſſe identitatem hominis cum equo; ſed obie-

obiectum huius actus eſt identitas hominis cum equo, quàm propterea intellectus non efficit; ſed præſupponit; qui ergo cognoſcit chimæram; identificat ſignaté hominem cum equo, identificare autem ſignaté hominem cum equo non eſt fingere, quia identificare ſignaté, eſt cognoſcere identitatem, eamque non facere, cognoſcere autem identitatem, quæ foret hominis cum equo, ſi re vera eſſet homo idem cum equo, nimirùm homo chimæricus, non eſt fingere, vt conſtat ex terminis, illa igitur identificatio hominis cum equo, quæ eſt neceſſaria ex parte intellectus cognoſcentis hominem impoſſibilem, nullam inuoluit fingendi neceſſitatem. Hinc eſt, quod licet homini poſſibili, ſiue homini, qui eſt, aut veré eſſet hypotheſi poſſibili, non conueniat eſſe equum, homini tamen impoſsibili, ſiué homini, qui eſſet in hypotheſi impoſsibili, conuenit eſſe equum; quia eidem conuenit eſſe hominem, & ſimul non eſſe hominem: cum hæc ſit natura hypotheſis impoſſibilis, vt includat vtrumque contradictorium. Quo fit, vt intellectus nihil fingat, cúm ait hominem in hypotheſi impoſsibili, in qua ſine dubio eſſet homo impoſsibilis, futurum hominem ſimul & non hominem. In forma igitur ad argumentum diſtinguo maiorem. Qui cognoſcit chimæram identificat exercité hominem cum equo: nego ma: identificat ſignate: conc: ma: & diſtincta eodem pacto minori, nego conſequentiám.

31. Ad ſecundúm conſtat ex doctrina ſuprà tradita, quæ nam fuerit omnium ſapientum ſententia de ente ficto; cum ſermo incidit de chimærá; non enim repugno communi opinioni, quæ à vetuſtiſsimis Philoſophis vſque ad noſtram ætatem de natura chimæræ emanauit: quia ea vtor ad meam

meam ſententiam ſtabiliendam, quod nimirùm nulla neceſsitas intellectum vrgeat ad fingendum, licet illud, quod obijcitur cognitioni entis impoſſibilis, ſit aliquid fictitium; id nimirùm, quod non poteſt habere áliud eſſe præter eſſe obiectiuũ in intellectu, ea enim eſt natura entis, quod eſſet ſimul & non eſſet, ſi haberet exiſtentiam exercitam, ſiue in actu exercito, atque adeo non habet nec habere poteſt, niſi exiſtentiam ſignatam, ſiue in actu ſignato, quæ exiſtentia eſt intentionalis, & obiectiua.

33. Ad tertiúm: diſt: ma: componere compoſitione exercita ea, quæ opponuntur, eſt fingere: conc: ma: componere compoſitione ſignata: nego ma: & diſt: mi: cognoſcere impoſsibile, eſt componere compoſitione exercita: nego mi: compoſitione ſignata: conc: mi: & nego conſeq: Hoc argumentum laborat eadem æquiuocatione, confundit enim actum, qui exercité componit res oppoſitas cum actu, qui componit ſignaté, ille vtique fingit, vt optimé concludit arguens; iſte nullo pacto fingit; quia componere ſignaté res oppoſitas eſt idem formaliſsimé, ac habere cognitionem, quæ repræſentat rem compoſitam ex rebus viciſsim oppoſitis, atque adeo conſtantem ex terminis, quorum vnus alteri contradicit.

34. Ad quartùm: diſt: ſimiliter maiorem: cognoſcere componendo exercité: eſt imperfecté cognoſcere: conc: ma: cognoſcere componendo ſignaté; nego ma: & diſtincta eodem pacto minori: nego conſ: An obiectum impoſsibile ſit aliquid ſimplex, vel compoſitum eſt apud Philoſophos controuerſum, hanc controuerſiam decidere, non eſt huius loci, quia non facit ad rem præſentem: mihi eſt longé probabilius eſſe vnicam ſimplicem rem,

rem, quæ ſibi identificat vtrumque contradictorium, ſicuti enim animalitas, & rationalitas ſunt partes Metaphyſicæ hominis, eaſque ſibi identificat eſſentia hominis; itá homo & equus ſunt partes Metaphyſicæ huius chimæræ, quæ vocatur *homo equus*: eaſque ſecùm identificat illa eſſentia, quæ eſt eſſentia hominis equi, Quidquid tamen ſit de hac re: argumentum nullius eſt ponderis, quia dato etiam chimæram eſſe rem compoſitam, nihil inde poteſt argui ad compoſitionem exercitam, quaſi opus ſit compoſitione exercita ad componendum ſignatè, ſiuè ad habendam pro obiecto cognitionis rem compoſitam. An Deus, quia non poteſt ita cognoſcere vt exercité componat, nón cognoſcit res compoſitas: atque adeo non componit ſignaté. Quis itá deſipit, vt in hac re poſsit hæſitare? Cur ergo non poterit ſignaté componere ſine vllá compoſitione exercitá, dum cognoſcit impoſsibile; quod ex prædicatis contradictorijs componitur.

35. Ad quintum; conc: ma: & nego mi: quia cognitio, quæ cognoſcit eſſe equum id, quod non eſt equus; ſed eſſet equus, ſi exiſteret hypotheſis impoſsibilis, non ſolúm non dicit falſum; ſed eſſet falſa ſi oppoſitum diceret; adeoque dicit verum in eo ipſo in quo arguitur falſa: quia dicit id, quod verè eſſet, ſi eſſet illa hypotheſis, quæ non poteſt eſſe; atque adeó argumentum retorquetur. Poſſunt in hanc rem ea recoli, quæ in quæſtione prim. nu. 10. diſputata ſunt de veritate cognitionis vtrumque contradictorium affirmantis futurum conditionaté in hypotheſi impoſsibili.

36. Ad ſextum: maior debet vel abſoluté negari, eſt enim vniuerſaliter falſa, vel diſtingui ad tollendam omnem æquiuocationem: quia ſi eſt

ſer-

ſermo de illa re, de qua poteſt formari cognitio intuitiua, in quo numero ſunt omnes res, quæ exiſtunt, vel ſaltem poſſunt exiſtere; non eſt dubium an ſit imperfecta cognitio, quæ non eſt intuitiua. Quod ſi velimus loqui de illa re, de qua non poteſt ob eius defectum formari cognitio intuitiua; nulla eſt imperfectio in illa cognitione, quæ non cognoſcit intuitiué hanc rem: immo foret imperfecta, ſi cognoſceret. Huiuſmodi eſt ens impoſsibile, quod non tantùm non eſt, ſed nec poteſt eſſe non eſt igitur mirum, quod non poſſit cognoſci intuitiué; cum illud ſolúm poſsit cognoſci intuitiué, quod poteſt mouere intellectum ad ſui cognitionem, eaque propter poteſt eſſe cauſa obiectiua alicuius cognitionis. Quis autem non intelligat, genus cauſæ neutiquam cadere in chimærã eſt enim eſſentialiter imperfecta vt conſtat ex tomo 3. diſp. 14. qu. 4. num., cum igitur ex defectu ipſius chimæræ oriatur vt non poſsit cognoſci cognitione intuitiua, non eſt imperfecta cognitio, quæ cognoſcendo chimæram non eſt iutuitiua. An veró huiuſmodi cognitio appellanda ſit abſtractiua, non poteſt eſſe niſi controuerſia de voce, ſatiùs eſt eam non appellare abſtractiuam, quia nomen cognitionis abſtractiuæ ſonat defectum perfectionis, qui nullus eſt in cognitione abſtractiſſimé conſideratata, quæ cognoſcit obiectum impoſsibile.

37 Ad ſeptimum: eſſentia Diuina ſicuti eſt ratio formalis, quæ mouet vel quaſi mouet intellectum diuinum ad cognoſcendum omne poſſibile; ità eſt ratio formalis, quæ mouet, vel quaſi mouet eumdem intellectum ad cognoſcendum quodlibet impoſſibile. Ratio eſt vtrobique eadem: quia eſſentia diuina non minus eſt impoſſibilitas

cuiuslibet impoſſibilis; quám ſit poſſibilitas cuiuslibet poſſibilis; eſt enim neceſſitas, vt poſſibile ſit poſſibile, & impoſſibile ſit impoſſibile: ſed eſſentia diuina quatenùs impoſſibilitas cuiuslibet poſſibilis eſt ratio, cur intellectus diuinus cognoſcat quodlibet poſſibile: ergo eadem eſſentia, quatenùs impoſſibilitas cuiuslibet impoſſibilis, eſt ratio, cur Diuinus intellectus cognoſcat quodlibet impoſſibile. Præterea impoſſibile eſt negatio omnis perfectionis, negatio autem omnis perfectionis eſt talis, vt multúm ad eam cognoſcendam conducat omnis perfectio: quemadmodum enim qui cognoſcit lucem, ſtatim cognoſcit negationem lucis, & qui cognoſcit aliquam perfectionem continuò cognoſcit defectum oppoſitum eidem perfectioni, ita qui cognoſcit omnem perfectionem ſtatim cognoſcit defectum omnis perfectionis, ſed eſſentia diuina eſt omnis perfectio, & chimæra eſt defectus omnis perfectionis: ergo intellectus diuinus, qui cognoſcit eſſentiam diuinam, ſtatim cognoſcit chimæram. Neque obſtat chimæram non contineri neque formaliter, neque eminenter in ipſa eſſentia diuina, quæ continet eminenter omnes creaturas poſſibiles; quia eſſentia Diuina poteſt mouere intellectum Diuinum ad cognoſcédum obiectum diſtinctum ab ipſa eſſentia diuina, vel quia hoc obiectum eminenter in ipſa continetur, vel quia nullatenùs participat eamdem eſſentiam; & quòd nihil aliud inuoluit niſi defectum; hinc eſt, quód ex illo eodem capite Deus cognoſcit Chimæram, ex quo arguitur eam non cognoſcere; quiá id, quod in ſuo formali conceptu inuoluit omnem perfectionem, debet cognoſci per illud eſſe, quod habet omnem perfectionem, ſed eſſe Diuinum habet omnem perfectionem, & chimæra

mæra habet omnem imperfectionem : Diuinus igitur intellectus, qui comprehendit ſe ipſum, debet per ſuum eſſe cognoſcere ipſam chimæram.

39 Ad vltimum: ex cognitione ſiue diuiná, ſiue humaná entis impoſſibilis non ſequitur falſitas illius principij de cuius veritate nota ex terminis omnibus conſtat: *Idem non poteſt eſſe ſimul & non eſſe*; quia cùm verum non repugnet vero, & vtrùmque ſit verùm, nimirùm á Deo cognoſci obiectum impoſsibile, & idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe; conſequens eſt, vnum alteri non repugnare, atque adeó ex veritate vnius non ſequi falſitatem alterius. Cæterùm ex eo, quód repugnat idem ſimul eſſe, & non eſſe, non repugnat vt aliquid obijciatur intellectui includens eſſe & non eſſe; immò, quàntùm ego exiſtimo, non poteſt ab intellectu cognoſci repugnantia, vt idem ſit & non ſit, niſi cognoſcatur ipſum eſſe, & non eſſe; & quia nomine chimæræ nihil aliud ſignificatur, præter ipſum eſſe & non eſſe, neceſſe eſt, vt qui cognoſcit idem non poſſe ſimul eſſe, & non eſſe, ipſam Chimæram cognoſcat. An veró ſequatur ex iſta cognitione, duas contradictorias eſſe nunc veras, opus eſt altioris indaginis, quod erit in ſequenti quæſtione diſcutiéndum.

QVEASTIO QVARTA.

Vtrum cognitio entis impoſſibilis inferat duplicem propoſitionem contradictoriam nunc veram.

1 CErtum eſt vel impoſsibile non poſſe cognoſci, vel poſſe cognoſci obiectum

quod includit duo contradictoria; cum neceſſe ſit, vt obiectum impoſsibile inuoluat vtrumque contradictorium, vt ex natura ipſius impoſsibilis omnibus conſtat. Quid enim eſt impoſsibile niſi aliquid ab omni poſsibili diſtinctum? illud autem in omnium ſententia eſt poſsibile, ex quo non ſequitur idem ſimul eſſe, & non eſſe: quia veró non repugnat, vt logicé ſiuè intentionaliter exiſtat id, vndé ſequitur idem ſimul eſſe, & non eſſe; ideò repugnat,vt obiectum impoſsibile phyſicé exiſtat, non repugnat, vt idem cognoſcatur, ſiuè quod in idem recidit, intentionaliter exiſtat.

2 Quód ſi ea eſt natura chimæræ, vt ſequatur ex ipſá chimæra vtrumque contradictorium; non poteſt cognoſci chimæra, niſi ea cognitio, quæ cognoſcit chimæram, præbeat aſſenſum vtrique contradictorio, adeóque duæ propoſitiones, quæ ab intellectu in præſenti enunciantur de obiecto impoſſibili, ſint modó veræ; quod repugnat cuilibet intellectui, & præſertim diuino, cui eſſentialiter repugnat cognitio vera ſimul & falſa; qualis eſt indubitanter cognitio quæ affirmat vtramque partem contradictionis. Hinc poteſt naſci dubium de quolibet intellectu, & potiſſimum de Diuino, an cognoſcat impoſſibile: vt igitur de hac re tollam omnem dubitationem; neceſſe habeo ea diſcutere, quæ poſſunt in vtramque partem proponi: indé enim conſtabit quid ex veró ſit opinandum.

3 Authores, qui negant poſſe de chimæra vllam cognitionem formari, diuinam, vel humanam; in eam curam incumbunt; vt duo demonſtrent, quæ ſunt neceſſaria ad opinionem ſuam ſtabiliendam. Vnum eſt, ſequi ex huiuſmodi cognitione duas contradictorias eſſe veras: alterum eſt,

fieri

fieri non poſſe, vt inueniantur duæ propoſitiones ambæ contradictoriæ, & ambæ veræ; Neceſſitas inquam incumbit huiuſmodi Philoſophis vtriuſque partis probandæ; ſicuti enim alterutrâ non ſatis probatâ nihil concluditur, ita vtriuſque probatio vincit cauſam: libet igitur ſingula proponere argumenta, quæ poſſunt proponi ad vnam & alteram ſtabiliendàm:

4 Quæ probant primam partem, nimirùm manifeſtam conſecutionem duplicis propoſitionis contradictoriæ ſimul veræ ex cognitione entis impoſſibilis, ſunt huiuſmodi. Primò: ſi poteſt cognoſci hircoceruus, poteſt formari de hircoceruo cognito hæc duplex propoſitio; *hircoceruus eſt hircoceruus*: *hircoceruus non eſt hircoceruus*; vtraque eſt neceſſarió vera, & vna alteri contradicit; ſi ergo cognoſcitur hircoceruus;neceſſe eſt vtramque propoſitionem ex ijs, quæ ſibi contradicunt, eſſe veram, ergo ex cognitione chimæræ ſequitur duas propoſitiones viciſſim oppoſitas eſſe veras. Vtramque propoſitionem eſſe veram eſt mánifeſtum, quia hæc propoſitio *hircoceruus eſt hircoceruus* eſt identica, adeóque vera: hæc alia propoſitio *hircoceruus non eſt hircoceruus* eſt etiam vera, tùm quia hircoceruus eſt hircus, qui non eſt hircus, & Ceruus qui non eſt ceruus: ſed hircus qui non eſt hircus,& Ceruus qui non eſt Ceruus,eſt hircoceruus, qui non eſt hircoceruus, ergo iſta propoſitio *Hircoceruus non eſt hircoceruus* eſt vera, tùm quia hircoceruus eſt id, quod eſſet in ea hypotheſi, in quâ eſſet hircoceruus, ſed in ea hypotheſi, in qua eſſet hircocéruus, non eſſet hircoceruus, quia hircoceruus, ſicuti quælibet alia chimæra poſito quód foret, eſſet ſimul, & non eſſet, impoſſibile enim eam habet naturam, vt ne-

ceſſariò inferat vtrumque contradictorum, ergo hircoceruus non eſt hircoceruus,eſt igitur vera hęc propoſitio, quæ formatur de hirco ceruo, *hircoceruus non eſt hircoceruus*.

5 Secundò de homine identificato cum equo eſt verum, eſſe hominem & non eſſe hominem, quia equus eſt non homo: ſed homo identificatus cum equo eſt equus:ergo homo identificatus cum equo eſt non homo, ſed homo qui eſt non homo, eſt homo qui non eſt homo; ergo homo identificatus cum equo eſt homo, qui non eſt homo: ergò de homine, qui habet identitatem cum equo, eſt verum eſſe hominem, & ſimul eſt verum non eſſe hominem: ſed iſtæ duæ propoſitiones *homo habens identitatem cum equo eſt homo, & homo habens identitbtem cum equo non eſt homo*, ſunt propoſitiones contradictoriæ, ergo vel non cognoſcitur homo identificatus cum equo, vel ſunt veræ nunc duæ propoſitiones contradictoriæ: ergo, &c. Eodem modo poteſt argui, nullam chimęram excogitari quin intellectus affirmet duas propoſitiones contradictorias.

6 Oſtenſa prima huius diſcurſus parte, quæ videtur ſatis manifeſta, reſtat vt alteram partem de neceſſitate, ne duæ propoſitiones contradictoriæ ſint veræ, oſtendant quicumque arbitrantur non poſſe ſine manifeſta contradictione chimæram cognoſci, id autem pluribus conantur oſtendere.

7 Primò: eſt neceſſe, vt ex duobus, quorum vnus negat id, quod alter affirmat, vnus verum, & alius falſum enunciet: hinc nemo dubitat, an Petro negante, & Paulo è contrariò affirmante curſum Petri, vterque dicat verúm: eſt enim ex ipsa rerúm notione perſpectum, vtrobique veritatem

tem non eſſe, ſed iſta oratio *hircoceruus non eſt hircoceruus* negat, quod affirmat hæc alia; *hircoceruus eſt hircoceruus*; ergo neceſſe eſt, alterutram ſolúm eſſe veram: repugnat igitur eſſe vtramque veram.

8 Secundó: qui ait hircoceruum non eſſe hircoceruum, perindè negat id, quod aſſerit, qui ait hircoceruum eſſe hircoceruum, vt qui ait Petrum non currere, illud negat, quod affirmat, qui ait Petrum currere, ſed repugnat vtrumque dicere verùm, tám qui aſſerit, quám qui negat curſum Petri: ergo repugnat, vt verùm dicat, qui affirmat, & qui negat identitatem hircocerui cum hirco cerno.

9 Tertió: Veritas formalis vnius contradictorij eſt falſitas formalis alterius: atque adeó illud ipſum, quod efficit veram affirmationem curſus, efficit falſam eiuſdem negationem, ſed hircoceruũ, non eſſe hircoceruum contradicit dicenti hircoceruum eſſe hircoceruum: ergo id, quod verificat hircoceruum eſſe hircoceruum, falſificat hircoceruum non eſſe hircoceruum: ergo vtrumque non poteſt eſſe verúm, aliter foret generatim falſum, veritatem vnius contradictorij eſſe alterius falſitatem.

10 Quartó: Nulla eſt materia, in qua non habeat locum hoc principium omnibus notiſſimum; *Quodlibet eſt vel non eſt*, quia ſeclusá quacumque materia neceſſe eſt, quodlibet eſſe vel non eſſe, & impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, atque adeó inualuit apud omnes, vt hoc principiũ cenſeatur indubitanter verúm ratione formæ, & non tantúm ratione materiæ, alioquin eſſet aliqua materia, in qua deberet falſificari principium eſſentialiter, & neceſſarió verificabile. Hinc ſequitur,

 nihil

nihil poſſe ab intellectu cognoſci, de quo ſit vera vtraque propoſitio contradictoria. Sed chimæra eſt talis, vt de ipſa ſit vera vtraque propoſitio contradictoria: ergo chimęra non poteſt ab intellectu cognoſci.

11. Vltimò: regugnat vtramque ex iſtis propoſitionibus *hircocervus eſt*: *hircocervus non eſt*, eſſe veram, & vtramque falſam neceſſe eſt enim vnam eſſe veram, & alteram falſam; ergo pariter repugnat vtramque ex iſtis propoſitionibus *hircocervus eſt hircocervus*: *hircocervus non eſt hircocervus eſſe veram*, adeóque vna debet eſſe neceſſarió vera alia, neceſſarió falſa. Conſequentia probatur: non minús contradicunt ſibi propportiones antecedentes, quám conſequentes; non minús illæ, quám iſtæ verſantur circa rem impoſſibilem; ſi ergo impoſſibilitas obiecti non impedit, quominús ex antecedentibus vna ſit vera & alia falſa iuxtá leges obſeruandas in propoſitionum oppoſitione, neque impediet quominús ex conſequentibus vna etiam ſit vera, & alia falſa.

12. Hæc ſunt argumenta, quibus aliqui mouentur ad opinadum, non poſſe chimæram ab intellectu Diuino cognoſci, quia neceſſe eſt duas propoſitiones contradictorias eſſe veras, & vtramque ab intellectu Diuino verá affirmari, ſi fieri poteſt, vt huiuſmodi intellectus cognoſcat obiectum diſtinctum ab omnibus poſſibilibus. Antequam oſtendam, quantùm momenti ſit in huiuſmodi rationibus, quas ſentio valde infirmas, non poſsum non monere, vel nihil euinci ſimilibus argumentis, vel ſaltem concludi repugnantiam omnis cognitionis Diuinæ, vel humanæ, quæ cognoſcat obiectum impoſſibile, quia ea eſt cuiuslibet intellectus natura, vt prædicata, quæ ſibi contradicunt,

cogni-

cognita vt talia, non poſſunt ſimul affirmari, vt demonſtratum eſt diſp.1. quæſt.2. num.6.7. & ſeq. Neceſſe igitur habeo in præſenti demonſtrare id in quo vertitur cardo totius controuerſiæ; nimirúm huius principij veritatem *contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera* optimè ſtare cum vtriuſque contradictorij veritate futura tantúm in hypotheſi impoſſibili. Hanc rem omnibus intelligentibus terminos ſatis perſpicuam demõſtro ex ipſo eiuſdem principij conceptu hoc ſyllogiſmo. Contradictoria non poſſe eſſe ſimul vera, eſt formaliſſimè nullam eſſe poſſibilem hypotheſim, in qua duo contradictoria ſint ſimul vera; ſed nullam eſſe poſſibilem hypotheſim, in qua duo contradictoria ſint ſimul vera non ſolúm non contradicit; ſed optimè cohæret cum veritate vtriuſque contradictorij extituri in hypotheſi impoſſibili: ergo veritas huius principij Metaphyſici, de quo eſt ſermo; optimè ſtat cúm vtróque contradictorio verificando in hypotheſi impoſſibili. Minor euidenter demonſtratur, quiá idem formaliſſimé eſt aliquid eſſe futurum in hypotheſi impoſſibili, ac non poſſe abſoluté aliquid eſſe; ſiué nullum eſſe poſſibilem ſtatum, in quo conditio tranſeat in ſtatum abſolutum: qui ergo dicit contradictoria verificari in hypotheſi impoſſibili, non contradicit dicenti contradictoria non poſſe verificari; immó illud ipſum dicit, quòd dicit, qui ait non poſſe verificari. Quid eſſe poteſt hac veritate euidentiús? Quín addo non eſſe verum illud principium, quod apud omnes eſt veriſſimum, niſi conſequenter ſit verum contradictoria in hypotheſi impoſſibili verificari, quiá non poteſt eſſe verum contradictoria no poſſe verificari; niſi verum ſit in ea tantúm hypotheſi, quæ non poteſt tran-

tranſire in ſtatum abſolutum, contradictoria eſse vera.

13. Quia veró obiectum impoſſibile inuoluit contradictoria in ea hypotheſi extitura, in qua exiſteret ipſum obiectum impoſſibile, ideó non repugnat huic principio *contradictoria non poſsunt eſse ſimul vera*, quód obiectum impoſſibile ſit tale, vt contradictoria eſſent ſimul vera in ea hypotheſi, in qua ipſum obiectum impoſſibile verè exiſteret, quia huiuſmodi hypotheſis non poteſt eſſe, & non poſſe illam hypotheſim eſſe, quæ ſi eſſet, duo contradictoria eſſent ſimul vera, eſt duo contradictoria non poſſe eſſe ſimul vera; neceſsitas enim, vt ex duobus contradictorijs vnum ſit verum, & aliud falſum, eſt impoſsibilitas, vt exiſtat illa hypotheſis, quæ ſi erit, duo contradictoria erunt ſimul vera.

14. Qui ergó cognoſcit obiectum impoſsibile, & eius natnram aſsequitur, debet cognoſcere, quid re verà eſset in ea hypotheſi, in qua eſset obiectum impoſsibile; quia hoc ſpectat ad cognitionem, quæ cognoſcit naturam cuiuslibet rei, vt cognoſcat, quid fieret in ea hypotheſi, in qua huiuſmodi res eſset, itá qui cognoſcit naturam hominis, debet cognoſcere quid foret in ea hypotheſi, in qua eſset homo: eodem pacto philoſophandum eſt de cæteris rebus: quiá verò in ea hypotheſi, in qua exiſtit homo, exiſtit animal rationale, ideó intellectus, qui cognoſcit naturam hominis, affirmat fore animal rationale in ea hypotheſi, in qua foret homo. Similiter, quia in ea hypotheſi, in qua foret obiectum impoſsibile, re verà eſsent duo contradictoria; idcirco cognoſcere naturam obiecti impoſsibilis eſt formaliſsimé idem, ac affirmare duo contradictoria in ea

hypo-

hypotheſi exſtitura, in qua exiſteret obiectum impoſsibile. Sicuti ergò non contradicit huic principio; *duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera*, neceſsitas vt ſint duo contradictoria in ea hypotheſi, in qua eſt obiectum impoſsibile, vt demonſtratum fuit ex ipſa impoſsibilitate hypotheſis, itá eidem principio non contradicit neceſsitas vt intellectus affirmet duo contradictoria in eádem hypotheſi extitura. Addo tantúm abeſſe, vt vnum alteri contradicat, vt potiús vnum ex altero ſequatur neceſſarió neceſsitate conſequentiæ, vt paucis demonſtro. Neceſsitas vt duo contradictoria non ſint ſimul vera infert impoſsibilem illam hypotheſim, in qua contradictoria ſunt ſimul vera: ergò iſtæ duæ veritates *neceſſe eſt contradictoria non eſſe ſimul vera*, *neceſſe eſt in ea hypotheſi, quæ non poteſt eſſe, duo contradictoria eſſe ſimul vera* ſunt vicisſim connexæ, & vna ſequitur ex alia. Quomodo ergó fieri poteſt vt vna alteri repugnet, ſi vna infert alteram.

15. Ratio á priori huius diſcurſus peti debet ex Metaphyſica neceſsitate, vt hoc principium ſit verum; ideó enim neceſſe eſt duo contradictoria non eſſe ſimul vera, quia fieri non poteſt, vt illa hypotheſis veré exiſtat, in qua idem ſit, & ſimul non ſit; ſi enim fieri poſſet, vt duo contradictoria eſſent ſimul vera, fieri etiam poſſet, vt illa hypotheſis exiſteret, quæ ſi exiſteret, duo contradictoria eſſent ſimul vera, & conſequenter verum dicit, qui modo enunciat duo contradictoria in eadem hypotheſi verificanda, nulla igitur eſt alia ratio, propter quam intellectus, qui affirmans duo contradictoria in aliqua hypotheſi verificanda dicit fieri non poſſe, vt re ipſa exiſtat huiuſmodi hypotheſis, niſi quia cognoſcit illam ineluctabilem neceſ-

neceſsitatem, ne prædicata contradictoria ſint ſimul vera. Hinc eſt, quòd intellectus, qui affirmat metaphyſicam neceſsitatem, ne duo contradictoria ſimul verificentur, ſibi non contradicit, cum ſimul dicit contradictoria debere ſimul verificari in ea hypotheſi, quæ nec debet, nec poteſt eſſe. Ratio eſt ſatis manifeſta ex diſcurſu prædicto: quiá hoc dicendo non falſificat illud ipſum, quod dicit, cúm dicit contradictoria non poſſe ſimul verificari, quiá dicere contradictoria eſſe ſimul vera in ea hypotheſi, quæ non poteſt eſſe, eſt dicere contradictoria non poſſe ſimul verificari: ſed hoc dicere non eſt contradicere dicenti, eſſe metáphyſicam neceſsitatem, vt contradictoria non ſint ſimul vera, vt ex terminis patet: ergó &c.

16. Ex hac doctriná, quæ non poteſt in dubium vocari, debemus præſentem controuerſiam decidere, an nimirùm ſequatur ex cognitione chimæræ duas propoſitiones contradictorias eſse ſimul veras, & hoc ipſum repugnet: nec ne: hinc enim pendet alia controuerſia hic potiſsimum diſcutienda, an intellectus Diuinus poſsit cognoſcere chimæram.

17. Hac ſuper re opus eſt diſtinguere, quod ſatis patet ex doctriná traditá, ex vna parte propoſitiones, quæ enunciant aliquid eſſe, vel non eſſe in ſtatu abſoluto, vel ſi vis, etiam in ſtatu conditionato, dummodó hic ſtatus inuoluat hypotheſim abſoluté poſsibilem, ex alia veró parte eas propoſitiones, quæ enunciant aliquid eſſe, vel non eſse in ſtatu conditionato ſub hypotheſi impoſsibili, qui ſtatus nunquam poteſt tranſire in ſtatum abſolutum, vt patet ex ipſa intelligentia hypotheſis impoſsibilis.

18. Poſitá hac diſtinctione, quæ debet accu-

ratè obſeruari, dicendum repugnare veritatem à vtriuſque contradictoriæ, ſi propoſitiones enunciant ſtatum abſolutum, vel conditionatum ſub hypotheſi poſsibili, qui propterea poteſt fieri abſolutus. Ratio eſt ſatis perſpicua: neceſse eſt, vt in nullo ſtatu poſsibili contradictoria ſint ſimul vera, quia neceſse eſt, vt quodlibet in eſse rei ſit, vel non ſit in eſse rei: quod principium debet itá intelligi, vt nullus ſtatus poſsit eſse, in quo idem ſit & non ſit: ſed aliquid poſset ſimul eſse & non eſse, ſi duæ propoſitiones contradictoriæ de re abſoluté & conditionaté futura ſub hypotheſi poſſibili, eſsent ſimul veræ, vel ſimul falſæ: ergo repugnat, vt duę propoſitiones vel abſolutæ, vel conditionatæ ſub hypotheſi poſsibili ſint veræ, ſi vna alteri contradicit. Hinc nihil fuit, nihil eſt, nihil erit vel abſoluté, vel conditionaté ſub hypotheſi poſsibili, in quo non ſit optima conſequentia á veritate vnius contradictorij ad falſitatem alterius. Ratio eſt ſatis manifeſta, quia nullus eſt ſtatus præſens, præteritus, futurus, vel poſsibilis, in quo vnum contradictorium poſsit ſtare ſimul cum alio: qui ergo enunciat aliquid eſse, fuiſse, & futurum abſoluté vel conditionaté ſub hypotheſi poſsibili, debet neceſsarió ex duobus prædicatis contradictorijs vnum affirmare, & alterum negare: qui ergó enunciat hominem extiturum abſoluté vel conditionaté ſub hypotheſi poſsibili, neceſsarió affirmat hunc hominem futurum animal rationale, & neceſsarió negat futurum aliquid ab animali rationali diſtinctum: quia repugnat de homine abſoluté vel conditionaté futuro ſub hypotheſi poſsibili verificari animal rationale, & ſimul verificari non animal rationale, ſiué aliquid diſtinctum ab animali rationali.

19. Di-

19. Dicendum prætereá veritatem vtriuſque propoſitionis contradictoriæ ex ijs, quæ nunc formantur de aliqua re conditionaté futura ſub hypotheſi impoſsibili, non modò non eſsè impoſſibilem, verúm eſſe neceſsariam.

20. Veritatem huius aſsertionis demonſtro ex doctriná hucuſque traditá hoc ſyllogiſmo: neceſſe eſt ex duabus propoſitionibus de re abſoluté vel conditionaté futura ſub hypotheſi poſsibili vnam eſse veram & alteram falſam, ſed neceſsitas vt vna ex huiuſmodi propoſitionibus ſit vera & altera falſa, eſt neceſsitas vt vtraque ſit vera, quando propoſitio enunciat rem conditionaté futuram ſub hypotheſi impoſsibili: ergó neceſse eſt ex duabus propoſitionibus contradictorijs, quæ aliquid enunciant futurum cōditionaté ſub hypotheſi impoſsibili neceſse eſt vtrámque eſse veram. Minor demonſtratur, quiá neceſsitas vt non ſint veræ nunc duæ contradictoriæ de aliqua re nunc exiſtente, eſt impoſsibilitas, vt illa hypotheſis exiſtat, qua exiſtēte ſunt veræ nunc duæ contradictoriæ de re nunc exiſtente, ſed impoſsibilitas vt exiſtat, nunc illa hypotheſis; qua exiſtente ſunt veræ nunc duæ contradictoriæ de re nunc exiſtente eſt neceſsitas, vt ſint veræ nunc duæ contradictoriæ de aliqua re futura ſub hypotheſi impoſsibili: ergo &c. Maior eſt ſatis manifeſta, quiá eſse neceſsariū, ne verificentur nunc propoſitiones contradictoriæ, quæ verſantur circá rem, nunc exiſtentem, & eſse impoſſibile, ne illa hypotheſis exiſtat, qua exiſtente, nunc eſsent veræ duæ propoſitiones contradictoriæ de re nunc exiſtente, ſunt termini conuertibiles. Minor etiam eſt vera, quiá hoc ipſo, quòd datur neceſsitas, vt ſint veræ nunc duæ contradictoriæ de aliqua re futura ſub hypotheſi impoſſibi-

ſibili, datur poſsibilitas, vt nunc exiſtat illa hypotheſis, quæ ſi exiſteret, duæ contradictoriæ de re nunc exiſtente eſſent veræ: ergò huiuſmodi impoſsibilitas infert illam neceſsitatem; & vice verſá illa neceſsitas infert hanc impoſsibilitatem.

21 Ex hoc ratiocinio conſtat, de obiecto impoſsibili poſse formari diuerſas propoſitiones; aliquæ nimirùm ſunt, quæ enunciant id, quòd eſſet in ea hypotheſi, in qua eſſet obiectum impoſsibile: huiuſmodi ſunt vel formaliter vel æquiualenter conditionatæ; videlicet *Hircocerums ſi eſſet, eſſet hircocerums*, vel *hircocerums eſt hircocerums*; quæ æquiualet primæ, verbum enim ſubſtantiuum in hac propoſitione ſumitur in vi copulæ, ſicut in hac propoſitione *homo eſt animal rationale*, quæ propterea habet hunc ſenſum; *homo ſi eſſet, eſſet animal rationale*. Aliæ propoſitiones formantur de obiecto impoſſibili, quæ de eodem obiecto nunc enunciant id, quòd eſt nunc; huiuſmodi propoſitiones procul dubió ſunt abſolutæ; nimirùm *Hircocerums nunc eſt*: *hircocerums nunc eſt actu poſſibilis*: *Chimæra currit*, & aliæ ſimiles, quæ poſſunt ad arbitrium fingi. Si ſermo eſt de propoſitionibus primi generis; neceſſe eſt duas contradictorias, quæ nunc formantur, eſſe ſimul veras, atque adeó neceſſe eſt illas propoſitiones *Hircocerums eſſet hircocerums, ſi eſſet*: *hircocerums non eſſet hircocerums, ſi eſſet*, ſiue has duas illis æquiualentes *Hircocerums eſt hircocerums*: *hircocerums non eſt hircocerums* eſſe veras. Ratio eſt, quia vel non eſt neceſſe, vt ex iis, qui enunciant aliquid de re nunc exiſtente, & vnus alteri contradicit, vterque non dicat verum, vel eſt neceſſe vt verum dicant, qui dicunt pugnantia de re, quæ foret in hypotheſi impoſſibili, adeóq; veré non poteſt nunc eſſe,

ſed

ſed primum eſt neceſſarium:ergo etiam ſecundum. Quod ſi eſt ſermo de propoſitionibus ſecundi generis duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe veræ, ratio eſt, quia neceſſe eſt duas contradictorias, quæ aliquid enunciant de qualibet re in ſtatu abſoluto, qui ſine dubiò eſt ſtatus poſſibilis, non eſſe ſimul veras; repugnat enim idem ſimul eſſe & non eſſe: hinc eſt, quód ex iſtis propoſitionibus contradictorijs de obiecto impoſſibili *Hercocerus eſt: hircocerus non eſt* vna eſt neceſſarió vera, & alia neceſſarió falſa; vtraque enim non poteſt eſſe vera, ſicuti ex iſtis propoſitionibus *Chimæra eſt actu poſſibilis, chimæra eſt actu impoſſibilis*, vna debet eſſe vera, & alia debet eſſe falſa. Multum igitur intereſt inter propoſitiones iſtas, quæ de chimæra poſſunt formari: *chimæra eſt actu poſſibilis: chimæra non eſt actu poſſibilis, chimæra ſi actu eſſet, eſſet actu poſſibilis: chimæra ſi actu eſſet, non eſſet actu poſſibilis*; primæ enim propoſitiones nequeunt eſſe ſimul veræ, ſecundæ & poſſunt, & debent eſſe ſimul veræ;ratio à priori eſt, quiá primæ illud enunciant de chimæra, quod in ſtatu poſſibili prędicatur de chimęra,é contrarió ſecundæ illud tantúm enunciant, quod in ſtatu impoſſibili de chimæra prædicatur; enunciant enim de chimæra poſito, quod iſta exiſtat, qui ſtatus eſt indubitantér impoſſibilis: cum ergó illud inter ſtatum poſſibilem, & impoſſibilem interſit, quod ibi nulla ſunt contradictoria, hic omnia, conſequens eſt, propoſitiones contradictorias, quæ aliquid enunciant de re impoſſibili pro ſtatu poſſibili, non poſſe eſſe ſimul veras, & propoſitiones contradictorias, quæ aliquid enunciant de re impoſſibili pro ſtatu impoſſibili, debere eſſe ſimul veras.

22. Ex

22. Ex hac doctriná habes, quid reponas opponentibus cognitioni Diuinæ verſanti circà chimæram veritatem vtriuſque contradictoriæ ex eadem cognitione conſequentem, quæ enim producta ſunt ad demonſtrandam veram vtramque contradictoriam ex ijs propoſitionibus, quæ formantur de hircoceruo; verum dicunt, ſi de illis propoſitionibus loquuntur, quæ dicunt nunc pro tunc id, quód de hircoceruo enunciant: falſum, ſi de illis loquuntur, quæ dicunt nunc pro nunc id, quod de eodem enunciant. Quid eſt dicere nunc pro tunc id, quód enunciatur de hircoceruo? eſt nunc dicere id, quód tunc eſſet hircoceruus; ſi veré eſſet: & quia hircoceruus, ſi veré eſſet, eſſet & ſimul non eſset, ideó qui dicit nunc hircoceruum in ea hypotheſi, in qua eſſet, futurum, & ſimul non futurum hircoceruum; nunc verum dicit; quia nunc pro tunc dicit, quod tunc veré eſſet: quid è contrarió eſt nunc pro nunc dicere id, quód enunciatur de chimæra? eſt nunc dicere id, quód nunc prædicatur de chimęra, eique conuenit, & quia nunc eidem conuenit non eſse, & eſse actu impoſſibilem, non conuenit eſse, & non eſse actu impoſsibilem, ideò qui dicit nunc chimæram non eſse, & eſse actu impoſſibilem, verum dicit, & qui eidem contradicit dicendo, chimæram eſse, & eſse actu poſſibilem, dicit falſum. Vndé patet, quid ſit dicendum ad argumenta prioris partis, reliquum eſt, vt ea, quæ ad alteram ſpectant ſoluamus, contendunt enim repugnare, vt ſint veræ nunc duæ contradictoriæ, quæ aliquid futurum enunciant in hypotheſi impoſſibili.

23 Ad primúm, diſtinguo maiorem: eſt neceſse, vt ex duobus, quorum vnus negat, quod alter affirmat futurum ſub hypotheſi impoſſibili, vnus verùm

rúm,& aliùs dicat falſum:nego maiorem,futurum ſub hypotheſi poſſibili:concedo maiorē: & diſtincta eodem pacto minori, nego conſequentiam, ſi mihi dicenti Petrum currere, tu contrá dicis, & dicis Petrum non currere, manifeſtum eſt me, vel te falli, quia támego, quàm tu aliquid de Petro, enunciamus in ſtatu actualis exiſtentiæ, qui vtique eſt ſtatus poſſibilis. Quód ſi mihi dicenti Hircoceruum eſse hircoceruum, tù contradicis dicendo Hircoceruum non eſse hircoceruum, nec mihi nec tibi vitio vertitur, vterque enim dicit verúm, quia vterque dicit id, quod eſset hircoceruus in ea hypotheſi, in qua eſset, hæc autem hypotheſis eſt apertè impoſſibilis. Hæc enim propoſitio *Hircocervus eſt hircocervus* itá explicandá eſt; *Hircocervus ſi eſſet, eſſet hircocervus.*

24 Ad ſecundúm conſtat ex dictis, quia multùm diſcrepant illæ propoſitiones, quæ aliquid enunciant nunc pro nunc, ab illis quæ aliquid enunciant nunc pro tunc: illud nimirúm quod eſset in hypotheſi impoſſibili: immò repugnantia, vt ſint veræ duæ propoſitiones contradictoriæ, quarum altera nunc enunciat Petrum currere nunc, altera nunc enunciat Petrum non currere nunc, eſt neceſſitas, vt ſint veræ duæ contradictoriæ, quarum altera nunc enunciat Hircoceruùm futurum in hypotheſi impoſſibili hircoceruum, & altera nunc enunciat eumdem in eadem hypotheſi non futúrum hircoceruum: quia neceſſitas vt in hypotheſi impoſsibili exiſtat vtrumque contradictorium, eſt impoſsibilitas vt nunc exiſtat vtrumque contradictoriū; atque adeó quilibet intellectus, qui cognoſcit neceſsitatem, vt nunc non exiſtat vtrumque contradictorium, debet exercitè cognoſcere neceſsitatem, vt duo contradictoria exiſtant in hypotheſi

potheſi impoſsibili, quare argumentum retorquetur.

25 Ad tertiúm diſtinguo maiorem: veritas formalis vnius contradictorij nunc pro nunc affirmabilis, eſt falſitas alterius: concedo maiorem: nunc pro tunc affirmabilis in hypotheſi impoſsibili: nego maiorem, & conceſsa minori, nego conſequentiam. Dicere Hircoceruum eſse Hircoceruum, eſt affirmare veré Hircoceruum tunc futurum Hircoceruum, cum eſset in rerum natura: dicere hircoceruum non eſse hircoceruum, eſt negare nunc Hircoceruum tunc futurum hircoceruum, cùm in rerum natura eſset: qui hoc dicit, vtique contradicit illi, qui álterum dicit: non propcereá alteruter tantúm dicit verúm, vterque enim dicit verúm, quia vterque nunc enunciát id, quod tunc eſset, ſi chimæra eſset, quia tunc Hircoceruus veré eſset, & ſimul veré non eſset hircoceruus; ideó vterque dicit vérùm, etiamſi vnus contradicat alteri; immò hoc ipſo, quòd vnus alteri contradicit, vterque verùm dicit. Ratio á priori eſt, quia ſicuti neceſse eſt, cum á duobus, qui ſibi contradicunt, & aliquid enunciatur nunc pro nunc, ab vtroque non dici verúm, itá neceſse eſt ab vtroque dici verúm, cum vterque ſibi contradicit, & vterque dicit nunc rem pro tunc in hypotheſi impoſsibili extituram. Eadem eſt vtrobique ratio, quia nunc verificatiuum formale vnius contradictorij eſt falſificatiuum formale alterius, tunc autem, videlicet in hypotheſi impoſsibili, verificatiuum formale vnius contradictorij non eſt falſificatiuum formale alterius: neque hoc debet eſse admirationi, quia huiuſmodi hypotheſis eſt impoſsibilis, immò mirum eſset, ſi hoc non contingeret, vt nemo dubitabit, niſi aperté deſipiat.

26 Ad quartúm; non repugno, quo minús hoc principium omnibus notiſsimum *quodlibet eſt, vel non eſt*, ſit verùm ratione formæ, adeóque in quacumque materia ſit verúm: quó ſit, vt nihil poſsit in mentem venire ſiue poſsibile, ſiue impoſsibile, de quo nō debeat veré aſſirmari quód ſit, vel non ſit: hinc neceſſe eſt, vnam ex iſtis propoſitionibus *chimæra eſt, chimæra non eſt*, eſſe veram, & áliam falſam, ſicuti ex iſtis *Petrus eſt, Petrus non eſt*, vna eſt neceſſarió vera, & alia neceſſarió falſa. Indè tamen non ſequitur, ex iſtis propoſitionibus *chimæra eo ipſo quòd eſſet, eſſet: chimæra eo ipſo quod eſſet, non eſſet*, non poſſe vtramque eſse veram, quia ſi volùmus altiús inueſtigare naturam conſequentiæ, debet ſequi óppoſitum, vt paucis demonſtro. In hypotheſi impoſſibili idem ſimul eſt, & non eſt: ſicut in hypotheſi poſsibili quodlibet eſt, vel non eſt, cum inter omnes doctos & indoctos, ſapientes perindè ac inſipientes conueniat de natura vtriuſque hypotheſis: hinc nihil eſt, de quo nunc aliquid pro nunc enuncietur, ſiue, quod eodem reuoluitur, in hypotheſi poſsibili, & non debeat vnum ex prædicatis contradictorijs affirmari, aliud verò negari; ſicuti nihil eſt, de quo nunc aliquid pro tunc, ſiue in hypotheſi impoſsibili enunciatur, & non debeat vtrumque contradictorium veré aſſirmari. Quapropter quod eſt verúm ex iſtis contradictorijs: *chimæra dormit, chimæra non dormit*? alterutrum, quia vtrumque non poteſt eſse verúm; Quemadmodúm enim repugnat, vt Petrus nunc dormiat, & ſimúl non dormiat, vel neque dormiat neque non dormiat: itá repugnat Chimæram nunc dormire ſimúl & non dormire, vel neque dormire, neque non dormire. Quód ſi in hunc modum

quis

quis format terminos contradictorios? *Chimæra ſi eſſet dormiret* : *chimæra ſi eſſet non dormiret* : quid ex iſtis eſt verúm? Vtrumque:neceſse eſt enim vtrumque contradictorium ſequi ex hypotheſi impoſsibili. Numquid igitur non erit vniuerſaliter verúm hoc principium *quodlibet eſt vel non eſt*? Veriſsimum planè: quia nihil obſtat, quominús in qualibet materia ſit verúm, quod tantúm falſificatur in hypotheſi impoſsibili: immó quia debet falſificari in hypotheſi impoſsibili, eſt neceſſarió, & in omni materia verúm, adeòque nullus eſt ſtatus poſsibilis,in quo poſsit falſificari.

27 Ad vltimúm: ſatis conſtat ex doctrina huc vſque traditá; arguens enim confundit propoſitiones, quæ enunciant aliquid nunc pro nunc; & propoſitiones, quæ enunciant aliquid nunc pro tunc, ſiue conditionaté futurum in hypotheſi impoſſibili. Non dubito, (quis enim poteſt niſi ſtulté de hoc dubitare?) quin vnus verûm, & alius falſum enunciet; ideó enunciant aliquíd nunc pro nunc, & ſibi contradicunt, ſiue res de qua aliquid enunciant, ſit poſſibilis vel impoſſibilis; quia ſicuti non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, ſiue hoc ſit poſsibile, ſiue impoſsibile, itá duæ propoſitiones, quæ circa rem poſsibilem vel impoſsibilem verſantur, & de ipſa nunc enunciant aliquid pro nunc, nequeunt eſſe ſimul veræ, ſi vna alteri contradicit. Secùs diſcurrendum de propoſitionibus ſibi viciſsim contradicentibus, quæ affirmant de qualibet re aliquid futurum in hypotheſi impoſsibili, quia eo pacto, quo in hypotheſi impoſsibili idem ſimul eſset, & non eſset, propoſitiones quæ nunc affirmant,quod tunc eſset,verúm dicunt,licét ſibi contradicant, immó verúm ambæ dicunt,quia ambæ ſibi contradicunt.

QVAESTIO VLTIMA.

Quid ſit id, quod nunc veram facit vtramque contradictoriam hypotheticam ſub hypotheſi impoſſibili.

1 OStenſo, vtramque contradictoriam ex illis propoſitionibus, quæ formantur de qualibet re conditionaté futura in hypotheſi impoſſibili eſſe nunc veram; quæritur in præſenti, vndé habeant, vt ſint veræ: licét enim omnes conueniant, quód vtraque ſit vera, non omnes conſentiunt in ea re,quæ vtramque verificat,ſunt enim, qui opinantur nihil eſſe nunc, quod ſit cauſa, cur vtraque ſit vera: rogati enim quomodo poſſit fieri, vt ſint veræ nunc, ſi nunc nihil eſt, quod eas verificat, aiunt eodem prorsús modó fieri poſſe, vt ſint veræ per id, quod nunc non eſt, eo ferme pacto, quo liber ab amico donandus in hypotheſi petitionis efficit veram hanc propoſitionem,quam in præſenti formo;*ſi peterem ab amico librum,daret*; vt nos etiam docuimus in tomo 1. diſp.13.quæſt.3. num. 5.

2 Argumenta, quibus nititur hæc ſententia, quæ in hunc modum philoſophatur de duabus cōtradictorijs nunc veris de obiecto conditionaté futuro ſub hypotheſi impoſſibili, ſunt plurima. Primó, tum quia nihil eſt nunc, vndé ſint veræ propoſitiones, quæ nunc affirmant id, quod tunc eſſet, ſi eſſet hypotheſis, quæ non poteſt eſſe, tùm quia ſatis eſt ad earum veritatem, vt res tunc fo-

ret,

rêt, ſicuti nunc enunciatur futura, ſi enim vt verúm dicam, cum dico librum ab amico donandum, ſatis eſt, quód amicus verè donaret,poſito, quód cum rogárem, cur etiam verúm non dico, cum dico hircoceruum futurum ſimul & non futurum hircoceruum, ſi qualibet ália re ſecluſa, tunc hircoceruus hoc ipſo quód foret, eſſet hircoceruus & ſimul non eſſet hircoceruus:nihil ſanè poteſt adduci,quod vnum magis, quám aliud reddat ſimillimúm veró.

3 Secundó. Nihil eſt nunc, quod non ſit incompoſſibile cum re impoſſibili, ſed nihil incompoſſibile cum re impoſſibili poteſt verificare propoſitiones, quæ formantur de re impoſſibili: ergo nihil eſt nunc, quod huiuſmodi propoſitiones poſſit verificare, ergo iſtæ duæ propoſitiones, quæ nunc de hircoceruo formantur *hircoceruus eſt hircoceruus*, *hircoceruus non eſt hircoceruus*, vel non ſunt veræ, vel non ſunt veræ per aliquid, quod exiſtat nunc. Maior eſt euidens, quia nullum poſſibile poteſt componi cum impoſſibili, cum ergo nihil eſt nunc, quod non ſit poſſibile, quidquid eſt nunc eſt incompoſſibile cum impoſsibili. Minor probatur, quia necesſitas vt ſit conditionatum poſita conditione, verificat propoſitiones hypotheticas neceſſarió veras: ſed nihil incompoſsibile cum ipſo conditionato eſt neceſsitas, vt ſit conditionatum poſita conditione: ergo nihil incompoſsibile cùm ipſo conditionato verificat propoſitiones hypotheticas neceſſarió veras circá ipſum impoſsibile: ſed nihil eſt nunc, quod non ſit incompoſsibile cum ipſo impoſsibili: ergo nihil eſt nunc, quod poſsit verificare propoſitiones hypotheticas neceſſarió veras circá ipſum impoſsibile, ſed iſtæ propoſitiones *Hircoceruus eſt hircoce-*

rnus : bircocernus non eſt bircocernus ſunt propoſitiones hypotheticæ neceſſariò veræ de aliquo impoſsibili : ergo nihil eſt nunc quod poſsit eas verificare.

4 Tertiò : quod verificat propoſitiones contradictorias de re futura ſub hypotheſi impoſsibili, ſuſtinet prædicata contradictoria: ſed repugnat eſſe nunc aliquid, quod ſuſtineat prædicata contradictoria: ergo repugnat eſſe nunc aliquid,quod verificat huiuſmodi propoſitiones : ergo vel nunc non ſunt veræ,vel nunc ſunt veræ per aliquid,quod non eſt nunc. Maior demonſtratur, quia verificare propoſitiones contradictorias eſt formaliſsimè ſuſtinere prædicata contradictoria,ſicuti enim non poteſt non ſuſtinere prædicata contradictoria id,de quo formantur propoſitiones contradictoriæ, ità debet ſuſtinere prædicata contradictoria id, quod verificat propoſitiones contradictorias. Adde, quód verificare propoſitiones contradictorias eſt eſſe obiectum duplicis contradictoriæ propoſitionis, quarum vtraque eſt vera, eſſe autem obiectum duplicis propoſitionis contradictoriæ,vtriuſque veræ,eſt ſuſtinere prædicata contradictoria, idem eſt igitur verificare propoſitiones contradictorias, & ſuſtinere prædicata contradictoria.

5 Quartó : nihil eſt nunc vel contingens, vel neceſſarium, quod facit veram vtrámque contradictoriam de obiecto futuro ſub hypotheſi impoſſibili : ergo huiuſmodi propoſitiones non ſunt veræ nunc per aliquid nunc exiſtẽs. Antecedens probatur, quiá verificatiuum propoſitionis neceſſariò veræ non poteſt eſſe aliquid contingens ; ſed vtraque contradictoria de obiecto futuro ſub hypotheſi impoſsibili vel non eſt vera nunc, vel eſt neceſſariò vera nunc:ergo nihil eſt nunc contingens,

quod

quod eam poſsit verificare. Quód autem nihil ſit neceſſarium nunc, quod verificet vtramque contradictoriam demonſtratur, quia nullum eſt ens neceſſarium niſi Deus, ſed Deus non verificat vtramque contradictoriam de obiecto futuro in hypotheſi impoſsibili, quia Deus non verificat id, quod eſſet, poſito quod ipſe Deus non eſſet, alioquin verificaret illud ipſum, quod affirmatur de negatione Dei, in ea hypotheſi, in qua Deus non eſſet: ergo, &c.

6 Quintó: Neceſsitas, vt duæ propoſitiones contradictoriæ non ſint veræ, non eſt neceſsitas, vt duæ contradictoriæ in aliqua hypotheſi ſint veræ, ſed Deus eſt neceſsitas, vt duæ contradictoriæ in aliqua hypotheſi ſint veræ, ergo Deus non verificat iſtas contradictorias *hircoceruus eſt Hircoceruus: hircocerruus non eſt hircocerruus.*

7 Sextò. Impoſsibilitas, vt idem ſit, & ſimul non ſit, non eſt neceſsitas, vt idem in aliqua hypotheſi ſit ſimúl & non ſit, ſed Deus eſt impoſsibilitas, vt idem ſit & ſimúl non ſit, ergo non eſt neceſsitas, vt idem in aliqua hypotheſi ſit ſimúl & non ſit. Minor eſt certa, quia impoſsibilitas omnium impoſsibilium eſt impoſsibilitas vt illud ſit, quod ſit eſset, idem eſset ſimul, & non eſset. Sed Deus eſt impoſsibilitas omnium impoſsibilium: ergo eſt impoſsibilitas, vt idem ſit, & ſimul non ſit.

8 Septimó: Duplicem contradictoriam de Chimæra in ea hypotheſi in qua chimæra eſſet, vel nihil, vel ſola chimæra verificat: ergo Deus non verificat. Antecedens probatur, quia cognitionem affirmantem vtrumque contradictorium futurum in hypotheſi impoſſibili vel nihil verificat, vel ſola contradictoria ſunt, quæ verificant, illud

enim verificat,quod affirmatur futurum;ſed vtrumque contradictorium eſt id, quod affirmatur futurum:ergo,&c.

9 Vltimò: Propoſitio, quæ vel non eſt vera nunc, vel eſt vera nunc, quia affirmat aliquid, quod non poteſt eſſe nunc,non eſt vera per aliquid quod eſt nunc, ſed propoſitio, quæ affirmat Hircoceruum eſſe, & ſimul non eſſe hircoceruum, vel non eſt vera nunc, vel eſt vera nunc, quia affirmat aliquid, quod verè eſſe non poteſt; ergo huiuſmodi propoſitio non eſt vera per aliquod, quod ſit nunc: ergo Deus non verificat hanc propoſitionē. Confirmatur, quia tunc eſt verum contradictoria eſſe, quando eſt verum duas contradictorias eſſe veras,ſed nunc eſt verum duas contradictorias eſſe veras:ergo nunc etiam eſt verum eſſe contradictoria:ſed repugnat in terminis vt nunc ſit verum eſſe contradictoria: ergo repugnat in terminis vt nunc ſit vérum, per aliquid quod eſt nunc, duas contradictorias eſſe veras.

10. Antequam oſtendam, quám infirma ſint huiuſmodi argumenta, debeo demonſtrare, cur duæ propoſitiones, quæ nunc formantur de qualibet chimæra,& vna alteri contradicit, ſint veræ; & prætereá quid ſit nunc, quod eas verificat.

11. Ratio, cur vtraque ſit nunc vera, ſumitur ex doctrina, quám alibi tradidimus communem cæteris propoſitionibus hypotheticis; eam enim habent naturam huiuſmodi enunciationes, vt illud obiectū quod enunciant,non debeat nunc eſſe, tametſi nunc ſit ipſe actus enunciandi, quia eſt maximum diſcrimen inter actum enunciantem & rem enunciatam; ille enim debet eſſe nunc, alioquin nihil nunc enunciabitur; iſta è contrarió non debet eſſe nunc, aliter enunciatio eſſet abſo-

luta,

luta, non hypothetica: illud enim intereſt inter orationem abſolutam, & hypotheticam, quód abſoluta aliquid, hypothetica nihil ponit in eſſe, vt dialectici loquuntúr. Vt igitur feramus ſententiam de veritate, vel falſitate orationis hypotheticæ, debemus attendere, an poſita hypotheſi foret res, ſicuti enunciatur, ſi enim foret, eſt nunc verum, quod nunc enunciamus, tunc extiturum: ſi non foret, eſt nunc falſum, quod nunc aſſerimus in eo ſtatu futurum. Hinc me verum dicere iudico, cum dico hominem eſſe animal rationale, ſiue, quod in idem recidit, hominem futurum animal rationale in eo ſtatu, in quo eſſet, quia homo, qui nunc ponitur non eſſe, verè eſſet animal rationale, ſi eſſet: é contrarió ſi dico hominem non eſſe animal rationale, dico falſum, quia falſum eſt hominem poſito, quód ſit, non eſſe animal rationale. Eodem ferme pacto, vt feratur iudicium vera ne án falſa ſit hæc duplex propoſitio æquiualenter hypothetica, quàm nunc formo de Hircoceruo. *Hircoceruus eſt Hircoceruus*; *Hircoceruus non eſt Hircoceruus*, inſpiciendum eſt, quid re vera foret, ſi huiuſmodi Hircoceruus eſſet, & quia ſi reuera foret, eo ipſo eſſet Hircoceruus, & ſimul non eſſet Hircoceruus, ideó hæc propoſitio, quam nunc formo *Hircoceruus eſt Hircoceruus*, eſt vera, & rurſus alia contradictoria, quam nunc etiam formo *Hircoceruus non eſt Hircoceruus*, eſt vera. At nonne dicit falſum, qui dicit Hircoceruum fore Hircoceruum poſito, quod Hircoceruus foret, ſi poſito, quod foret, veré non foret Hircoceruus, ſicuti falſum dicit, qui dicit Petrum currere eo non currente? Ad hoc dicendum, non dicere falſum qui dicit Hircoceruum eſſe Hircoceruum, etiamſi exiſtēte Hircoceruo vera ſit hæc propoſitio negatiua

tiua *Hircoceruus non eſt Hircoceruus*, quia exiſtente Hircoceruo non ſolúm Hircoceruus non eſt Hircoceruus, ſed etiam Hircoceruus eſt Hircoceruus: neque obſtat falſum dici ab eo, qui dicit Petrum currere eo non currente, quia Petrus non currit ſimul & currit, ſi ergo non currit, eſt falſum eum currere: hypotheſis autem, in qua ponitur exiſtens Hircoceruus, eſt impoſsibilis, ideó eſt verum vtrumque contradictorium. Hic diſcurſus euincit non ſolúm eſſe nunc veram, ſed etiam eſse neceſsarió nunc veram vtramque propoſitionem, quæ nunc affirmat id, quod eſset in ea hypotheſi, in qua foret chimæra.

12. Quibus poſitis neceſse eſt, vt nunc ſit aliquid, vndé vtraque contradictoria ſit vera, quia iuxtá doctrinam ſuperiús traditam de diſcrimine inter hypotheticam neceſsarió veram, & hypotheticam contingenter veram, relaté ad hypotheticam neceſsarió veram, eſt nunc aliquid, vnde eſt vera, nimirúm illa neceſsitas, quæ nunc eſt, eaque nunc affirmatur, vt conditionatum exiſtat poſita conditione, licet nunc nihil ſit, vnde nunc eſt vera hypothetica contingens, quia nulla nunc eſt ratio, propter quàm exiſtat conditionatum poſita conditione. Quia veró neceſse eſt non minùs eſſe veram hanc propoſitionem: *Hircoceruus ſi eſset, eſſet Hircoceruus & ſimul non eſſet Hircoceruus*, quam hanc aliã *homo ſi eſt, eſt animal rationale*: ſed nunc datur neceſſitas, vt homò ſit animal rationale, ſi eſt, ergo nunc datur neceſsitas, vt Hircoceruus ſi eſset, eſset ſimul, & non eſset Hircoceruus.

13. **Huiuſmodi neceſsitas, ſiue ratio, quę nunc eſt, procul dubio eſt Deus, tùm quód nihil neceſse eſt eſſe præter Deum, qui neceſſarió eſt, ſibi enim**

ſuf-

ſufficit ad exiſtendum ; túm quia neceſſe eſt hanc neceſſitatém , & rationem nunc eſſe , cur Hircoceruus ſi eſſet, eſſet & ſimul non eſſet Hircoceruus , quia hæc neceſsitas de Hircoceruo eſt formaliſſimé neceſſitas , vt homo ſit ánimal rationale, illle enim eſt impoſſibilis, hic poſſibilis, ſed neceſſitas , vt homo ſit animal rationale , eſt aliquid á Deo realiter indiſtinctum ; vt demonſtratum fuit;ergo neceſſitas,vtHircoceruus ſit,& ſimul non ſit Hircoceruus , nihil eſt aliud , quám Deus: Huc adde hanc,neceſſitatem eſſe,qua neceſſe eſt Hircoceruum nòn eſſe ; cum ex hoc antecedenti *Hircoceruus eſt Hircoceruus , qui non eſt Hircoceruus* ſequatur neceſſitate conſequentię iſtud conſequens: *ergo Hircoceruus non eſt* : oppoſitum enim conſequentis infert conſequentia formali oppoſitum antecedentis ; cum neceſſe ſit nihil eſſe , quod nunc veré ſit & tamen ſit ſimul & non ſit , ſi eſt, propter illam Metaphyſicam neceſsitatem , quæ nunc eſt , ne idem nunc ſit, & ſimul non;ſit neceſsitas autem vt Hircoceruus nunc ſit, eſt formalis negatio Hircocerui, túm quia formalis negatio Hircocerui eſt negatio neceſſaria,eſt enim negatio,quæ negat eſſe rem,quę non poteſt eſse;ſed negatio neceſsaria eſt formalis neceſſitas,ne ſit res, quā negat eſſe,neceſſitas igitur vt Hircoceruus ſit,eſt formalis negatio Hircocerui , túm quiá neceſsitas , ne Hircoceruus ſit , non poteſt componi cum Hircoceruo , adeoque eſt negátio formalis Hircocerui , quæ non poteſt componi cum ipſo Hircoceruo , valet enim conſequentia ab affirmatione huius negationis ad negationem Hircocerui , & ab affirmatione Hircocerui ad negationem eiuſdem negationis ; ſicuti valet conſequentia ab affimatione rei poſsibilis ad negationem rei impoſsibilis , & ab affirmatione

rei impoſsibilis ad negationem rei poſſibilis: cum nullum poſsibile remaneret impoſsibile, ſi aliquod impoſsibile euaderet poſsibile. Quare neceſsitas, vt Hircoceruus nunc ſit, nihil eſt aliud, quàm neceſsitas, vt Deus ſit, quæ neceſsitas ſine dubio eſt Deus, quem propterea ex tractatu de negationibus oſtendemus eſſe formalem negationem cuiuſcumque chimæræ.

14. Hæc doctrina eſt ſatis certa, procedit enim conſequenter ad cætera, quæ in tota noſtra Philoſophia ex vetuſtiſsimis Philoſophis, atque Theologis Ariſtotele, Diuo Auguſtino & Sancto Thoma docuimus de propoſitionibus æternæ veritatis, quæ ſine dubio ſunt veræ, quia affirmant neceſſitatem, quæ nunc eſt, vt quidquid eſt, ſit illud ipſum, quod eſt. Quare cum impoſſibile ſit illud, quod inuoluit eſſe & non eſse, neceſse eſt, vt impoſsibile excludat illud idem prædicatum, quod includit, eaque propter illa propoſitio, quæ formatur de natura rei impoſsibilis, vt ſit neceſſarió vera, & ſempiternæ veritatis, debet affirmare duo contradictoria futura in ea hypotheſi, in qua foret res impoſsibilis, ſicuti enim datur neceſsitas, vt in hypotheſi poſsibili, quodlibet ſit vel non ſit: ità datur neceſsitas, vt in hypotheſi impoſsibili idem ſit & ſimul non ſit, quę eſt neceſsitas, vt huiuſmodi hypotheſis non exiſtat, neceſsitas autem, vt illa hypotheſis non exiſtat, quæ ſi exiſteret, idem ſimul eſset & non eſset, eſt actualis impoſsibilitas chimæræ, quæ eſt talis naturæ, vt hoc ipſo, quód eſt, ſit & ſimul non ſit, quare neceſsitas, vt chimæra poſito, quód exiſtit, ſit & non ſit, nihil eſt aliud, quám Deus, quem oſtendimus eſſe actualem impoſsibilitatem omnium impoſsibilium, & actualem poſsibilitatem omnium poſsibilium.

15. Ex

15. Ex hac doctrina conſtat, quid ſit ad omnia, quæ fuerunt nobis oppoſita dicendum: hæc vt faciliús diluantur, cáueri debet æquiuocatio, quæ in hac materia eſt fácilis circá propoſitiones æternæ veritatis, quæ formantur de cæteris rebus á Deo diſtinctis, ſiue huiuſmodi res ſint actu poſsibiles, ſiue ſint actu impoſsibiles: iſtæ propoſitiónes ſunt conditionatæ circá obiectum, pro quo ſupponunt, ſiue quod ſignificant in recto, quia nihil abſolutè enunciant de huiuſmodi obiecto; ſunt abſolutæ circa illud obiectum, quod tantúm ſignificant in obliquo, quia de hoc obiecto aliquid enũciant abſolutè: ideo hæc propoſitio homo eſt animal rationale, quæ eſt propoſitio æternæ veritatis, affirmat hominem futurum animal rationale in ea hypotheſi in qua eſset, prætereá affirmat neceſſitatem, vt homo ſit animal rationale: homo eſt obiectum, quod ſignificatur in recto, & pro quo ſupponit obiectum affirmatum in hac propoſitióne: neceſſitas vt homo ſit animal rationale, eſt obiectum, quod ſignificatur in obliquo: de homine nihil aliud affirmatur, niſi id, quod eſset in ea hypotheſi, in qua homo exiſteret, adeoque propoſitio eſt vera, etiamſi homo non ſit: de neceſsitate veró affirmatur eam nunc eſse, quia etiamſi homo non ſit, nihilominus nunc eſt neceſsitas, vt homo quando eſt, ſit animal rationale. Idem contingit in hac propoſitione, quam formo æternæ veritatis de chimæra *Hircoceruus eſt Hircoceruus, & non eſt Hircoceruus*, obiectum pro quo ſupponit hæc propoſitio eſt Hircoceruus, quem affirmo futurum Hircoceruum & ſimul non futurum Hircoceruum in ea hypotheſi, in qua eſſet, obiectum ab hac propoſitione tantúm ſignificatum eſt neceſsitas, quám nunc affirmo eſse, vt Hir-

Hircoceruus eſset Hircoceruus, & ſimul non eſset Hircoceruus, poſito quòd eſset in rerum natura.

16. Hinc in hac, cæteriſque propoſitionibus, vbi verbum habet vim copulæ, magis, quàm verbi relatè ad rem in recto affirmatam, eſt opus diſtinguere illud, quod eſt nunc, & veram conſtituit propoſitionem, quæ affirmat neceſſitatem nunc exiſtentem, vt ſubiectum ſuſtineat intrinſecè hoc predicatum in ea hypotheſi, in qua exiſtit & illud, quod veram efficeret propoſitionem abſolutam, quàm intellectus formaret de ipſo conditionato poſita conditione, hoc eſt in eo ſtatu in quo poneretur hypotheſis, adeoque ſtatus conditionatus tranſiret in abſolutum; hæc enim duo ſunt valdè inter ſe diuerſa, ſicuti diuerſæ ſunt propoſitiones, quarum vna conditionatè affirmat id, quod eſſet, ſi eſſet conditio, & alia abſolutè affirmat id, quod eſt, conditione poſita: illa eſt in materia neceſſaria, iſta in materia contingenti, illa neceſsariò, iſta contingenter vera, ſi nimirum conditio eſt contingens: vt contingit in omnibus propoſitionibus æternæ veritatis de rebus, quæ poſſunt eſſe, & poſsunt non eſſe. Exemplum habes ſatis manifeſtum in eo, qui affirmat hominem eſſe animal rationale, quidquid ſit, an homo ſit vel non ſit, id enim minimè curat; hic nihil aliud enunciat de homine niſi animal rationale, quod ineſſet homini, ſi homo eſſet, propter illam indefectibilem neceſsitatem, quæ re vera eſt, vt homo quando eſt, ſit animal particeps rationis. E contrariò, qui de homine nunc exiſtente enunciat eum eſſe animal rationale; ait hominem eſſe nunc, eumque eſſe intrinſecè animal rationale, quod vtique eſt contingens, quia contingens eſt nunc eſse id, quod eſt animal rationale, hinc homo, qui eſt nunc

nunc verificat propoſitionem contingentem, quæ affirmat hominem exiſtentem nunc eſſe ánimal rationale. Hoc itaque eſt diſcrimen intér hanc propoſitionem hypotheticam *homo ſi eſt, eſt animal rationale*, & hanc abſolutam *homo qui eſt, eſt animal rationale*, quód homo ibi non verificat, hic verificat propoſitionem, licet vtrobique idem homo affirmetur, vt in re ſimili conſtat ex illis propoſitionibus, quarum vtráque affirmat hominem, una cognitum, alia exiſtentem, quæ enim ait hominem exiſtere, eſt vera per ipſum hominem, quem affirmat, quæ veró ait hominem cognitum, eſt vera, non per hominem, quem affirmat, ſed per cognitionem, quæ denominat cognitum hominem. Eodem modo eſt diſſerendum de iſta propoſitione hypothetica, & veritatis ſempiternæ *Hircocerus ſi eſt, eſt Hircocerus, & non eſt Hircocerus*, quæ affirmat contradictoria futura in ea hypotheſi, in qua eſſet Hircocernus, ſed non verificatur per contradictoria, quæ affirmat futura conditionatè, verificatur enim per neceſsitatem, vt contradictoria eſſent in ea hypotheſi, in qua eſſet Hircoceruus. E contrarió ponamus exiſtere Hircoceruum, & purificari conditionem huius hypotheticæ *Hircocerus ſi eſſet, eſſet & ſimul non eſſet Hircocerus*, ſtatim erit vera huiuſmodi propoſitio abſoluta *Hircocerus eſt actu Hircocerus, & non eſt actu Hircocerus*: quid verificat hanc propoſitionem? illud ipſum, quod hæc propoſitio affirmat, nimirúm prædicata contradictoria, quæ ſunt in rerum natura; ſi talis conditio purificatur; hæc conditio eſt impoſsibilis, ideó non poteſt purificari, adeoque nullus intellectus poteſt formare illam propoſitionem abſolutam, quam non poſsúnt verificare

niſi

niſi prędicata contradictoria,quæ phyſicé exiſtunt. Summa huius doctrinæ, quæ diluit omnia partis contrariæ argumenta in eo conſiſtit, quód aliud eſt affirmare illud ipſum, quod foret; ſi eſset illa hypotheſis, quæ non poteſt eſse: aliud affirmare illud ipſum, quòd eſt, eo ipſo quod conditio exiſtit: primum non ſolùm eſt poſsibile, verùm etiam neceſsarium, quia eſt neceſse, vt ex hypotheſi, quæ non poteſt eſse, ſequatur vtrumque contradictorium. Secundùm neque eſt neceſsarium, neque poſsibile, quia ſicuti non eſt poſsibile nunc exiſtere vtramque partem contradictionis, ità non eſt poſsibile illam propoſitionem formari, quæ non poteſt eſse vera niſi vtraque pars contradictionis nunc exiſtens eam verificet.

17. Ad 1.non minùs eſt neceſſe,vt exiſtẽte hypotheſi impoſsibil exiſtat vtraq; pars contrad: quam quod tantúm vna ſit exiſtente hypotheſi poſſibili: ſi ergo nunc eſt id, vnde eſt neceſsarium, vt ea hypotheſi exiſtente, quæ poteſt eſse, vna tantùm exiſtat pars contradictionis, cur non erit nunc id, quo neceſse eſt vtramque partem contradictionis ſequi ex hypotheſi impoſsibili? Ratio enim eſt eadem vtrobique: cur enim eſt nunc aliquid, quod indirectè affirmatur, cum dicitur hominem futurum animal rationale in ea hypotheſi, in qua exiſteret? quia nunc eſt neceſse hominem eſse animal rationale: ſed etiam eſt neceſse Hircoceruum futurum, & ſimul non futurum Hircoceruum, ſi eſſet, eſt igitur nunc aliquid, quod indirectè affirmatur, cum hoc de Hircoceruo enunciatur futurum in ſtatu conditionato. Illud,quod tunc eſset, ſi eſset hypotheſis, quæ non poteſt eſse,non verificat hanc propoſitionem hypotheticam: Hircoceruus ſi eſset, eſset & ſimul non eſset Hircoceruus,

quia

quia id,quod non verificat,eſt aliquid neceſſarium, cum propoſitio ſit neceſſariò vera, id autem,quod tunc eſſet, eſt aliquid impoſſibile nimirùm vtraque pars contradictionis, quæ ex hypotheſi impoſſibili ſequeretur: hinc eſt diſpar ratio inter propoſitionem hypotheticam in materia contingenti, quæ non eſt neceſſarió vera, & propoſitionem hypotheticam neceſſarióveram de obiecto impoſſibili, illa enim nihil indirectè nunc affirmat:vnde verum ſit id, quod eſſet, ſi eſſet hypotheſis, iſta è contrarió aliquid indirectè affirmat vt demonſtratum eſt.

18. Ad ſecundùm: conc: ma: & nego mi: neceſsitas vt Hircoceruus eſſet ſimulque non eſſet Hircoceruus,ſi eſſet,nihil eſt aliud, quám actualis impoſſibilitas Hircocerui, quæ eſt neceſſitas, vt Hircoceruus non ſit in rerū natura: actuális autem impoſſibilitas Hircocerui eſt incompoſſibilis cū ipſo Hircoceruo, vt ſatis conſtat, tùm quia neceſſe eſt actualem impoſſibilitatem Hircocerui nunc eſſe, & eſt impoſſibile nunc Hircoceruum eſſe,tùm quia negatio Hircocerui eſt incompoſſibilis cum Hircoceruo, impoſſibilitas autem Hircocerui eſt negatio Hircocerui, igitur impoſſibilitas Hircocerui eſt incompoſſibilis cum Hircoceruo,ergo neceſſitas vt Hircoceruus eſſet ſimulq;non eſſet Hircoceruus, ſi eſſet, eſt incompoſſibilis, cum Hircoceruo; non eſt igitur mirum, quód actus, qui affirmat Hircoceruum futurum, & ſimul non futurum Hircoceruum in ea hypotheſi in qua eſſet, affirmet in obliquo,aliquid vndè eſt verum incompoſſibile cum obiecto affirmato in recto, quia conſtituilur verus per illam neceſſitatem quæ eſt nunc,& eſt incompoſſibilis cum Hircoceruo. Hinc patet, quid dicendum ad illam propoſi-

tionem, nihil incompoſsibile cum conditionato eſt neceſsitas, vt conditionatum ſit poſita conditione, quam in rem ſuam arguens proponit: hæc enim propoſitio eſt ambigua atque adeo eſt capax duplicis ſignificationis quarum vna eſt vera & alia falſa: nihil incompoſsibile cum conditionato poſſibili eſt neceſsitas vt conditionatum ſit poſita conditione: in hoc ſenſu propoſitio eſt indubitantèr vera, quidquid enim eſt neceſsitas vt conditionatum poſsibile poſita conditione ſit, eſt compoſſibile cum ipſo conditionato: hinc neceſsitas, quæ nunc eſt vt homo ſi eſt, animal ſit, eſt compoſsibilis cum homine, quia hominem eſse eumque eſse animal eſt poſsibile: nihil incompoſsibile cum conditionato impoſsibili, eſt neceſsitas vt conditionatum poſita conditione ſit: propoſitio in hoc ſenſu eſt falſa, quá ſicuti neceſsi tas vt conditionatum poſsibile poſita hypotheſi, debet eſse cum ipſo conditionato compoſsibilis itá neceſſitas vt conditionatum impoſsibile poſita hypotheſi ſit debet eſse cum ipſo conditionato incompoſsibili. Ratio á priori huius diſparitatis eſt, quia neceſsitas vt conditionatum impoſsibile poſita hypotheſi ſit, eſt formalis negatio ipſius conditionati, adeoque incompoſsibilis cum ipſo conditionato, neceſsitas autem vt conditionatum poſsibile poſita hypotheſi ſit, non eſt eſt formalis negatio conditionati, quia poteſt ſtare cum exiſtentia conditionati, & poteſt ſtare cum eius non exiſtentia.

19. Ad tertium: nego maiorem. Neceſſitas vt conditionatum poſita conditione eſſet, ſicuti affirmatur extiturum non debet ſuſtinere illud prædicatum, quod ſuſtineret conditionatum poſita conditione, quia talis neceſſitas eſt forma, quæ

logi-

logicé denominat rem ſub hypotheſi futuram; illius autem formæ, quæ denominat logicè ſiue extrinſecé rem denominatam,éa eſt natura, vt ipſa non ſuſtineat prædicatum, quód ſuſtinet res denominata, itá viſio non ſuſtinet eam denominationem, quám ſuſtinet res, quæ á viſione denominatur viſa, & actualis impoſſibilitas, quam docuimus eſſe formā extrinſecam rei impoſſibili nō denominatur impoſſibilis etiamſi obiectum, quód ipſa denominat ſit impoſſibile; prætereá neceſſitas vt homo ſit animal rationale ſi eſt, quia eſt eidem homini extrinſeca, vt demonſtratum fuit, non debet ſuſtinere illa prædicata, quæ homo ſuſtineret ſi eſſet; quiá homo ſi eſſet, ſuſtineret prædicatum animalis; quod certé non ſuſtinet huiuſmodi neceſſitas; indé eſt, quód illa neceſſitas, quæ nunc eſt, vt chimæra ſi eſset, ſuſtineret prædicata contradictoria, non ſolum non debet hæc prædicata ſuſtinere, ſed etiam debet ea non ſuſtinere, quia hæc eadem neceſſitas eſt negatio illius rei, quæ ſuſtinet prædicata contradictoria, adeóque debet non ſuſtinere id, quód ſuſtinet res negata: argumentum igitur retorquetur.

20. Verificare propoſitiones contradictorias de obiecto, quód eſset in hypotheſi impoſſibili non eſt ſuſtinere prædicata contradictoria, quia verificare huiuſmodi propoſitiones nihil eſt aliud, quám eſse aliquam neceſſitatem, vt impoſsibile ſi eſſet, eſset ſimul & non eſset: ſed hæc neceſsitas non ſuſtinet prædicata contradictoria, vt oſtenſum fuit, igitur verificare huiuſmodi propoſitiones non eſt ſuſtinere prædicata contradictoria. Verificare propoſitiones contradictorias de obiecto, quod eſt in aliquo ſtatu abſoluto, vel ſaltem poteſt eſse in ſtatu abſoluto, nimirúm in ſtatu

conditionato ſub hypotheſi poſsibili, eſt idem ac ſuſtinere prædicata contradictoria, quia verò eſt impoſsibile vt aliquid, quod abſoluté eſt vel poteſt abſoluté eſse ſuſtineat prædicata contradictoria, ideó repugnat verificari eas propoſitiones contradictorias, quæ verſantur circa ſtatum abſolutum, vel conditionatum ſub hypotheſi poſsibili. Eſt igitur æquiuocatio inter propoſitiones contradictorias de obiecto, quód eſset in hypotheſi impoſsibili, & propoſitiones contradictorias de obiecto, quod eſt abſoluté, vel eſset in hypotheſi poſsibili, illæ enim poſsunt & debent; iſtæ nec debent nec poſsunt eſse veræ; quia ergó verificantur nunc propoſitiones contradictoriæ de obiecto, quod eſset in hypotheſi impoſsibili. non de obiecto, quod eſt, vel eſset in hypotheſi poſsibili, ideó quód verificat huiuſmodi propoſitions, quæ nunc verificantur, non debet ſuſtinere prædicata contradictoria, licét id, quód verificaret in hypotheſi impoſsibili propoſitiones contradictorias, quæ in hypotheſi impoſſibili eſſent veræ, deberet ſuſtinere prædicata contradictorié oppoſita. Cæterum in illis propoſitionibus, quæ nunc formantur dé re, quæ eſſet in hypotheſi impoſſibili, & nunc ſunt veræ, debet diſtingui obiectum terminatiuum ab obiecto verificatiuo, illud non eſt nunc, ſed eſſet, & ſuſtineret prædicata contradictoria, ſi eſſet hypotheſis: hoc é contrarió eſt nunc & non ſuſtinet prædicata contradictoria, vnde patet ad probationem antecedentis.

21. Ad quartùm: nego ant: quia oſtenſum eſt illam neceſſitatem, qua neceſſe eſt, non eſſe nunc hircoceruum, eſſe neceſſitatem, qua neceſſe eſt hircoceruum futurum ſimul & non futurum hircoceruum, ſi eſſet; neceſſitas autem vt hircoceruus non

ſit nunc, eſt Deus;igitur neceſsitas vt hircoceruus eſſet, ſimulque non eſſet hircoceruus, eſt Deus, quare Deus eſt, qui verificat eam propoſitionem, quæ affirmat hircoceruum futurum & ſimul non futurum hircoceruum in ea hypotheſi, in qua foret. Hinc debemus philoſophari eodem modo de qualibet chimæra,nimirùm de negatione Dei,quæ ſine dubió eſt chimæra; Deus enim eſt neceſſitas, vt negátio Dei in ea hypotheſi in qua eſſet, eſſet & ſimul non eſſet negatio Dei, adeóque verificat hanc propoſitionem hypotheticam, quám in præſenti formo de negatione Dei in ea hypotheſi in qua Deus non eſſet, eſset enim ſimulque non eſset negatio Dei.

22. Ad quintúm diſt: ma: Neceſsitas vt duæ contradictoriæ de obiecto abſoluté, vel conditionaté futuro in hypotheſi poſsibili non ſint veræ, non eſt neceſsitas, vt ſint veræ duæ contradictoriæ de obiecto conditionate futuro in hypotheſi impoſsibili: nego ma: in hypotheſi poſsibili: concedo ma: & diſtincta eodem pacto min: nego conſequen. Illa eadem ratio, quæ probat duas contradictorias non eſſe veras, probat veras in hypotheſi impoſſibili; ſicuti neceſsitas,qua neceſse eſt, quodlibet eſse vel non eſse in hypotheſi poſsibili, eſt neceſsitas, qua neceſse eſt, idem ſimul eſse & non eſse in hypotheſi impoſsibili.

23. Ad Sextum: diſtinguo pariter maiorem: impoſsibilitas vt idem ſit & non ſit in hypotheſi poſsibili, non eſt neceſsitas, vt idem in aliqua hypotheſi poſsibili ſit & ſimul non ſit: concedo ma: in aliqua hypotheſi impoſsibili: nego maiorem, & conceſsá minori: nego conſequentiam.

24. Ad vltimùm dico aliud eſſe, quod affirmatur tunc futurum cum eſſet hypotheſis impoſ-

ſibilis: aliud, quod affirmatur nunc eſſe, & eſt neceſſitas, vt illud quod affirmatur tunc futurum eſſet ſicuti affirmatur futurum, id, quod verificat propoſitionem affirmantem Hircoceruum futurum & ſimul non futurum hircoceruum poſito eſset, quód non eſt id, quód affirmatur tunc futurum, ſed eſt id, quòd affirmatur nunc eſſe, eo pacto quo id, quód verificat propoſitionem hypotheticam de homine, quód eſſet animal rationale ſi eſſet, non eſt homo, qui eſſet, ſed eſt neceſſitas, quæ nunc eſt, vt homo ſi eſſet, eſſet animal rationale.

25. Ex iis, quæ hactenùs dixi de illá neceſſitate, quá neceſſé eſt, vt ſint veræ duæ propoſitiones cõtradictorię de obiecto impoſſibili, eo modo quo fuit explicatum, libet è re natá ſoluere vnam difficultatem, quæ videretur poſſe vrgeri aduerſus noſtram ſententiam in diſp. 4. quæſt. 3. traditam de actuali impoſſibilitate extrinſecá ſui impoſſibili, quià eſt ſumma inter iſtas opiniones conſenſio.

26. Huiç doctrinæ, quam de hacre huc vſque tradidi ex mente S. Thomæ nihil aliud poteſt opponi, niſi id quód S. Thomas ait in quæſt. 3. diſputatione de Potentia Dei, vndè videtur eſſe in ea ſententia, quód actualis poſſibilitas ſit intrinſeca rei poſſibili, adeóque propoſitio æternæ veritatis non ſit vera per veritatem æternam à Deo indiſtinctam, Hæç ſunt S. Thomæ verba in quæſtione citata: *dicendum quòd ſecundùm Philoſophum in V. Metaphyſicæ poſſibile & impoſſibile dicuntur tripliciter: vno modo ſecundum aliquam potentiam, actiuam vel paſſiuam, ſicuti dicitur homini poſſibile ambulare ſecundùm potentiam greſſiuam; volare verò impoſſibile. Alio modo non ſecundùm aliquam po-*

ten-

tentiam, ſed ſecundùm ſe ipſum, ſicut dicimus poſſibile, quod non eſt impoſſibile eſſe, & impoſſibile dicimus, quod neceſſe eſt non eſſe. Tertio modo dicitur poſſibile ſecundum potentiam mathematicam, quæ eſt in geometricis: Hoc autem poſſibili prætermiſſo circa alia duo conſideremus. Sciendum eſt ergò: quod impoſſibile, quod dicitur ſecundùm nullam potentiam, ſed ſecundùm ſe ipſum dicitur ratione diſcoharantiæ terminorum. Omnis autem diſcoharentia terminorũ eſt in ratione alicuius oppoſitionis: in omni autem oppoſitione includitur affirmatio & negatio, vt probatur 10. metaphyſicæ: vnde in omni tali impoſſibili implicatur affirmationem, & negationem eſſe ſimul; hoc autem nulli actiuæ potentiæ attribui poteſt, quod ſic poteſt: omnis enim actiua potentia conſequitur actualitatem, & entitatem eius cuius eſt: vnumquodque autem agens eſt natum agere ſibi ſimile; vnde omnis actio actiuæ potentiæ terminatur ad eſſe. Hoc autem quod eſt affirmationem & negationem eſſe ſimul, rationem entis habere non poteſt, nec etiam non entis, quia eſſe tollit non eſſe, & non eſſe tollit eſſe; vnde nec principaliter, nec ex conſequenti poteſt eſſe terminus alicuius actionis potentiæ actiuæ.

27. Ex hoc diſcurſu S. Thomæ ſequitur, duobus modis poſſe aliquid denominari impoſſibile: vno modo ex defectu potentiæ actiuæ, quæ illud poteſt producere, alio modo ex intrinſeca terminorum repugnantia, quæ eſt cauſa, cur nulla potentia actiua poſſit illi communicare eſſe propter defectum non potentiæ: ſed ipſius impoſſibilis. Quo fit vt Deus, qui habet infinitam potentiam, poſſit producere ea, quæ ſunt in natura impoſſibilia; adeóque omnia ea, quæ denominantur impoſſi-

bilia ab extrinſeco, hoc eſt ex defectu potentiæ actiuæ, quæ eſt in cauſis ſecundis, licet non poſſit illud impoſſibile producere, quod eſt ab intrinſeco impoſſibile, adeóque eſt impoſſibile propter intrinſecam terminorum repugnantiam: in hanc rem loquitur S. Thomas in eadem quæſtione his verbis: *Ea ergo, quæ ſunt impoſſibilia in natura primo vel ſecundo modo, Deus facere poteſt, quia eius potentia cum ſit infinita, in nullo defectum patitur, nec eſt aliqua materia, quam tranſmutare non poſſit ad libitum: eius enim potentiæ reſiſti non poteſt: ſed id quod tertio modo dicitur impoſſibile, Deus facere non poteſt, cum Deus ſit actus maximè & principale ens: Vnde eius actio non niſi ad ens terminari poteſt principaliter, & ad non ens conſequenter, & ideo non poteſt facere, quod affirmatio & negatio ſint ſimul vera: nec aliquid eorum in quibus hoc impoſſibile includitur. Nec hoc dicitur non poſſe facere propter defectum ſuæ potentiæ, ſed propter defectum poſſibilis, quòd à ratione poſſibilis deficit; propter quod dicitur à quibuſdam, quod Deus poteſt facere, ſed non poteſt fieri.*

28. Eodem modó philoſophandum eſt iuxtá doctrinam S. Thomæ de poſſibili, ac de impoſſibili: ſicuti enim impoſſibile, quód eſt ſimpliciter impoſſibile, non eſt illud, quód non poteſt ab aliqua potentia actiua fieri; ſed illud, quód non poteſt in rerum natura exiſtere propter intrinſecam terminorum repugnantiam: itá poſsibile non dicitur illud, quód extrinſecè denominatur poſſibile à potentia actiua à qua poteſt fieri; ſed illud, quód dicitur intrinſecè poſſibile, eo quód nullam inuoluit intrinſecam terminorum repugnantiam. Indè eſt, quód ad controuerſiam decidendam de

illis

illis rebus, quæ cadunt ſub Diuinam Omnipotentiam, opus eſt attendere connexionem intrinſecam vnius termini cum alio; ex iſta enim connexione debemus ferre ſententiam de illis rebus, quæ poſſunt diuinâ virtute fieri: vnde patet S. Doctorem in ea fuiſſe ſententia, quód poſsibile ſit intrinſecé poſſibile, & impoſſibile ſit intrinſecé impoſsibile, adeóque omnis propoſitio æternæ veritatis, quæ formatur de rebus creatis & contingentibus ſit neceſſarió vera per aliquid eiſdem intrinſecum: quod manifeſté aduerſatur noſtræ ſententiæ de huiuſmodi propoſitionibus, quas contendimus verificari per aliquod prædicatum æternum & neceſſarium ab ipſo Deo realiter indiſtinctum.

29. Vt hanc difficultatem ſoluas, debes duplicem potentiam actiuam ex eiuſdem Sancti Doctoris mente diſtinguere, vnam quæ eſt actiua in vno genere, & aliam, quæ eſt actiua in omni genere: potentia in omni genere actiua eſt longê altior, quám potentia actiua in aliquo genere, vt conſtat ex terminis: illa enim poteſt omnia attingere, hæc non poteſt omnia, quia reſtringitur ad aliquod genus certum & peculiare, quód non poteſt prætergredi: hinc naſcitur diſcrimen diligenter notandum inter potentiam actiuam in omni genere, & potentiam actiuam in aliquo genere, quód illa eſt prima ratio omnium rerum, quas poteſt attingere, iſta é contrarió non eſt prima ratio rerum, quas poteſt producere; præſupponit enim aliam rationem ſimpliciter primam, & independentem ab omni alia ratione.

30. Quandó igitur iudicium ferimus de aliqua re, an ſit poſsibilis, vel impoſsibilis, non debemus ſpectare potentiam actiuam in aliquo genere; ſed potentiam actiuam in omni genere, quia

quia ſunt termini conuertibiles aliquid non poſſe fieri ab alia potentia, quæ eſt actiua in omni genere, & non poſſe ſimpliciter exiſtere. Ratio á priori, cur in hoc iudicio ferendo debeamus attendere, potentiam actiuam in omni genere & non tantúm potentiam actiuam in aliquo genere, eſt manifeſta; quiá illud eſt abſoluté impoſsibile, quód á nulla potentiá poteſt fieri; ſed quód non poteſt fieri ab aliá potentia, quæ eſt actiua in omni genere, á nulla potentia poteſt fieri; repugnat enim in terminis, vt ſit potentia in omni genere actiua, quæ non poteſt facere id, quód poteſt potentia in aliquo genere actiua: ergó illud ſimpliciter non poteſt eſſe, quód non poteſt fieri á potentia in omni genere actiua. E contrarió fieri poteſt, vt aliquid poſsit eſſe, quód non poteſt fieri á potentiá in aliquo genere actiua, quia non poſſe fieri ab áliqua potentia, & á nulla potentia non poſſe fieri, non ſunt termini conuertibiles vt omnibus conſtat: idcircó poteſt aliquid eſſe poſſibile, etiam ſi non poſſet fieri ab alia potentia, quæ eſt actiua in aliquo genere,

31. Quia veró potentia, quæ eſt actiua in aliquo genere, eſt illa potentia, quæ reperitur in natura, & in cauſis ſecundis, & illa potentia, quæ eſt actiua in omni genere, eſt potentia, quæ inuenitur in Authore totius naturæ, & in cauſa prima; ideó poſſibile, vel impoſſibile debet deſumi ex eo, quód poteſt, vel non poteſt fieri á cauſa prima, ſiué ab infinita virtute, quæ eſt in ſupremo ente, non veró á cauſa ſecunda, ſiué ab alia virtute, quæ eſt limitata & finita. Hinc optimé deducit in citata quæſtione S. Thomas, longé plura eſſe, quæ Deus poteſt facere, quàm quæ poſſunt cauſæ ſecundæ; adeóque plurima eſſe, quæ repugnant ſpe-

ctato

ctato curſu naturæ, & ordine præſentis prouidentiæ, eaque nullam inuoluunt repugnantiam ſpectato alio rerum ordine in quo Deus poteſt ad arbitrum exercere infinitam ſuam poteſtatem: in hoc ſenſu docet S. Thomas, eſſe poſſibile, & impoſſibile per denominationem extrinſecam á potentia actiua, quód poteſt, vel non poteſt fieri á potentia actiua in aliquo genere: hoc genus poſſibilitatis & impoſſibilitatis non ſatis eſtad denominandam aliquam rẽ ſimpliciter poſsibilem, vel impoſsibilem, vt eleganter notat idem Angelicus Doctor, quia ſupra potentiam actiuam in vno genere, datur potentia actiua in omni genere, nimirùm ſuprá potentiam creatam, datur potentia increata: potentia autem increata eſt longé maior potentia, quàm potentia creata, potentia igitur increata poteſt facere illud etiam, quòd non poteſt potentia creata. Quód autem poſſibile, vel impoſſibile per denominationem extrinſecam á potentia actiua intelligatur id, quòd poteſt, vel non poteſt fieri á potentia actiua in aliquo genere, ſiué à potentia finita, eſt manifeſtum, quia, licet detur aliquid poſſibile, quod eſt poſſibile per denominationem extrinſecam á potentia in omni genere actiua, & ſicuti eſt aliquid poſsibile, vel impoſsibile per denominationem extrinſecam á potentia actiua iu aliquo genere, nihilominús apud nos illud eſt poſsibile, vel impoſsibile per denominationem extrinſecam a potentia actiua, quòd denominatur poſsibile á potentia actiua in aliquo genere, quia nos non habemus experientiam alterius potentiæ actiuæ præter illam, quæ eſt actiua in aliquo genere; non enim cognoſcimus intuitiuè illam potentiam, quæ eſt actiua in omni genere, adeòque eſt prima ratio cur ſit poſsibile,

quid

quidquid eſt poſsibile, & ſit impoſsibile, quid quid eſt impoſsibile.

32. Ex quo diſcurſu aperté ſequitur, non debere attendi id, quòd eſt poſsibile, vel impoſsibile per denominationem extrinſecam à potentia actiua, quæ ſub experientiam cadit, dum illam controuerſiam decidimus, quæ á ſcholaſticis frequentiſsimé agitatur, an aliquid poſsit, vel non poſsit fieri diuina virtute. Opus eſt igitur, vt notat S. Thomas, attendere repugnantiam, vel non repugnantiam intrinſecam terminorum, quia cum nobis ſit notum á Deo poſse fieri, quidquid non inuoluit huiuſmodi repugnantiam, nos debemus ex imagine rerum creatarum inueſtigare repugnantiam, vel non repugnantiam intrinſecam terminorum, adeóque aſcendere ad cognoſcendum quantùm poſſumus in hac vita, quid poſsit, vel non poſsit facere illa infinita virtus, cuius nullam habemus experientiam, nullamque imaginem, quæ nobis eius naturam claré repræſentet.

33. Cæterum non poſſe inferri ex hac veritate, quæ omnibus eſt notiſsimá, aliquid contrarium illi veritati, quám etiam ex auctoritate S. Thomæ docuimus de poſsibilitate, & impoſsibilitate omnium rerum, eſt ſatis manifeſtum, quia multa ſunt nobis magis nota, quæ tamen ſecundúm ſe ſunt minús nota: vt docet Philoſophus; id enim naſcitur ex defectu noſtræ cognitionis, quám non poteſt mouere niſi res valdé imperfecta: hinc res ſenſibiles, ſunt nobis magis notæ, quám res intelligibiles: licet res intelligibiles ſint ſecundúm ſe magis notæ, quám res ſenſibiles; non eſt igitur, quód ex intrinſecá terminorum repugnantia, vndè nos arguimus, quid poſsit, vel non poſsit á Deo fieri, debeat concludi primam rationem, cur

ſit

ſit poſſibile quidquid eſt poſſibile, & ſit impoſſibile, quidquid eſt impoſsibile, eſſe á Deo indiſtinctam, quaſi poſsit eſſe aliqua ratio, quæ eſt prima ratio, & non ſit ratio diuina, quod eſt apertè impoſsibile. Tota igitur æquiuocatio in re præſenti conſiſtit in eo, quód confunditur id, quód á nobis debet cognoſci, vt cognoſcatur quid poſſit, vel non poſſit á Diuina Omnipotentia,& id, quód eſt prima ratio cur aliquid poſsit eſſe, vel non poſsit eſſe: eſt certum non eſſe aliquod prædicatum diuinum id, quód á nobis cognoſcitur, dum illud cognoſcitur, vndé arguimus Deum in alio rerum ordine poſſe aliquid facere. Eſt etiam certum, eſſe aliquod diuinum id, propter quód Deus poteſt facere, vel non facere; adeóque eſſe prædicatum diuinum actualē poſsibilitatem omnium poſsibilium, & actualem impoſsibilitatem omnium impoſsibilium, tantùm enim abeſt, vt vnum alteri contradicat, vt potiùs vnum ex alio ſequatur ſpectata natura illius imperfectæ cognitionis, qua noſter intellectus res diuinas, & immateriales ſpeculatur, quæ eſt vera, & germana Sancti Thomæ doctrina.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S.SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

DI-

DISPVTATIO NONA.

De Proprietatibus Entis.

ENtis præciſiuè immaterialis, ſiué præſcindentis à materiali, & immateriali naturam ſatis in præteritis diſputationibus explanauimus, vbi omnia, quæ habent res materiales cum immaterialibus communia declarata fuerunt: reliquum eſt, vt aliqua breuiter agamus de proprietatibus entis, quæ conuertuntur cum ente.

QVAESTIO I.

Vtrum omne ens ſit verum bonum, & vnum.

1. VIdetur non eſſe: primò non omne ens habet ordinem ad intellectum, & voluntatem; ergò non omne ens eſt verum, & bonum. Conſequentia eſt manifeſta; quiá illud ſolùm eſt verum, & bonum, quod habet ordinem ad facultatem cognoſcentem, & appetentem, cum bonum ſit appetibile, & verum cognoſcibile. Ant: prob: quia non datur eſſentialis connexio exiſtentiæ phyſicæ, quam habet quælibet res, quando eſt,

eſt cum exiſtentia intentionali in mente cognoſcentis; ergó poteſt aliquid exiſtere, quod non habet ordinem ad intellectum, & voluntatem.

2. Secundó: verum non conuertitur cum ente; ergo non omne ens eſt verum. Ant: prob: quod extenditur ad ens, & non ens non conuertitur cum ente: ſed verum extenditur ad ens, & non ens; quia non ſolùm veré eſt id, quód eſt; ſed etiam veré non eſt, quidquid non eſt; ergo verum cum ente non controuertitur.

3. Tertió: aliquod ens eſt malum; ergo non omne ens eſt bonum. Conſeq: prob: quia malum non eſt bonum; ergó ſi aliquod ens eſt malum, vt re vera eſt; alioquin nihil mali eſſet in mundo, non omne ens eſt bonum.

4. Reſpondetur: tria ſunt, quæ vt paſsim dicitur, emanant á natura rei exiſtentis; vnitas, veritas, & bonitas: quemadmodum enim á natura hominis oritur riſibilitas, quæ eſt in omnibus hominibus; itá á natura entis realis procedit vnitas; illa nimirum ratio formalis, quá vnaquaque res eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa á quolibet alió; ſiue habet cum ſe ipſa realem identitatem, & cum alijs rebus á ſe diſtinctis negationem identitatis. Præterea emanat veritas; illa nimirum ratio formalis, per quam res exiſtens ad intellectum ordinatur, qui poteſt formare veram eiuſdem intelligentiam; deinde oritur bonitas, id eſt ordó ad voluntatem: quæ poteſt eandem appetere: hinc conuertuntur cum ente verum, bonum, & vnum; quidquid enim habet prædicata propria, ſibique intrinſeca, quæ certé habet quidquid exiſtit, eſt verum, bonum, & vnum, cum fieri non poſsit, vt aliquid exiſtat in rerum natura, quod ſimul nō ſit verum, bonum, & vnum: ratio á priori eſt, quia repe-

tit aliquid exiſtere, & non habere identitatem cum ſe ipſo; adeóque realem diſtinctionem á quolibet non ipſo; per illud enim Petrus diſtinguitur á Paulo, per quod habet cum ſe identitatem: ſed habere identitatem cum ſe, & diſtinctionem á quolibet alio, eſt formaliſsimé habere vnitatem; ergo repugnat aliquam rem eſſe, & ſimul non eſſe vnam. Quód ſi nulla eſt res, quæ non ſit vna, nihil eſt, quod non poſsit mouere ad cognitionem ſui facultatem cognoſcentem; cum enim ſit proprium facultátis cognoſcentis fieri omnia, neceſſe eſt, vt facultas cognoſcens poſsit quamcumque rem cognoſcere, adeoque quælibet res debet talis eſſe, vt poſsit imprimere imaginem ſui in facultate cognoſcente, vt oſtenſum fuit in tom. 3. diſp. 13. qu. 3. & diſp. 14. hinc naſcitur ille appetitus, quem habent res omnes, vt cognoſcantur, indiſtinctus ab appetitu quo appetunt exiſtere: per illud enim formaliſsimé habet res cognoſcibilitatem, per quod habet actualitatem: quia veró vnaquæque res eatenùs eſt perfecta; quatenús eſt in actu, cum actus exiſtendi procul dubió ſit perfectio, & nulla eſt perfectio, quæ non ſit amabilis, ſequitur neceſsitate conſequentiæ nihil eſſe, quód bonum non ſit, adeóque amabile; cum idem ſit eſſe perfectum, & eſſe bonum, ea igitur neceſsitate, quá neceſſe eſt verum, & vnum eſſe quidquid eſt, debet eſſe bonum omne id, quód eſt; adeóque bonum, verum, & vnum ſunt proprietates entis conuertibiles cum ente.

5. Conſtat ex hoc diſcurſu, eo plùs veritatis bonitatis, & vnitatis eſſe in rebus, quó plus entitatis in eiſdem inuenitur, adeóque illud ens, quod habet infinitum eſſe, habere vnitatem, bonitatem, & veritatem infinitam; nullum enim eſt ens, quód

ſit

ſit tantùm cognoſcibile, & tantùm amabile,quantúm eſt cognoſcibilis, & amabilis Deus, qui infinité exiſtit,cæteræ veró res eó magis ſunt cognoſcibiles,& amabiles,quó magis accedunt ad participandam exiſtentiam Dei.

6. Ad primùm: nego ant: eſſe reale ordinatur eſſentialiter ad eſſe intentionale; quia omnia, quæ condidit Deus, propter ſubſtantias intelligentes ſunt facta;ratio à priori huius eſſentialis connexionis inter eſſe reale, & eſſe intentionale; quod habet vnaquæque res cumſubſtantia cognoſcente,altiús petenda eſt ex natura ſummi entis, in quo habet identitatem eſſe reale cum eſſe intentionali: Deus enim, qui ſolus eſt ſummum ens, eſt cognitio ſui ipſius; adeóque Deum eſse nihil eſt aliud, quam Deum cognoſci; repugnat enim Deum eſse, & ab intellectu infinito non cognoſci; cum Deus eſsentialiter comprehendat ſe: res igitur creatæ, quæ participant perfectionem huius nobiliſſimi entis, & non poſsunt eam itá participare, vt habeant identitatem eſse realis cum eſse intentionali, debeat participare tále eſse reale, vt ad eſse intentionale ſit eſsentialiter ordinatum: quia veró eſse intentionale non habetur niſi in aliqua mente, vt ex terminis conſtat, ideò quælibet res, quæ habet eſse reale, habet ordinem ad aliquam mentem, vbi habet eſse intentionale.

7. Ad ſecundúm: nego ant: illud enim, quod verè non eſt, denominatur verè non exiſtens per aliquid, quod veré exiſtit, vt demonſtrauimus in diſp. 6. de ente negatiuo, ideò verum cum ente reciprocatur.

8. Ad tertium: nullum eſt malum, quod non habeat aliquam particulam boni, indè eſt, quod

 malum

malum in quantum ens eſt bonum, licet in quantum non ens ſit malum.

QVAESTIO II.

Vtrum veritas, & falſitas ſit in intellectu.

1. DE proprietatibus entis ſingillatim acceptis nihil libet hic dicere præter eá, quæ in toto curſu Philoſophico dicta ſunt; ſi enim vellem hic repetere, quæ alibi tractata ſunt, idem omninó eſset, ác actum agere. De vnitate multa egi in tomo 1. diſp:4. de veritate plurima ibidem docui diſp.12. de bonitate veró diſserui in tomo 2. diſp.11. & tomo 3. diſp.14. Reſtat igitur, vt aliqua de vero & falſo pertractem breuiſſimé in hac quæſtione; quæ in diſp.12. tomi primi fuerunt prætermiſsa: quæ enim de bono & malo non fuerunt in diſp.11. tom.2. diſputata; in quæſtionibus conſequentibus diſputabuntur.

2. Tria in præſenti agitántur circá veritatem, quæ formaliſſimé eſt conformitas cognitionis cum obiecto, & falſitatem, quæ eſt eiuſdem difformitas, primó an ſit in rebus, vel in intellectu: ſecundó an in ſolo intellectu: tertió an in prima, vel ſecunda intellectus operatione.

3. Dico primó: veritas, & falſitas non datur in rebus, ſed in intellectu. Hanc concluſionem tradit Ariſtoteles in 6. metaph.tex.8: vbi hæc habet: *Verum enim, falſumque non ſunt in rebus; vt bonum, & malum; ſed ſunt in mente.* Eandem defendit S. Thom. in prima parte, quæſt.16. art.1.

4. Probatur hoc ſyllogiſmo. Veritas eſt, quæ

datur intentionalis repræſentatio rei, ſicuti res in ſe eſt, & falſitas eſt, quæ datur intentionalis repræſentatio rei aliter; ac in ſe eſt; ſed huiuſmodi repræſentatio intentionalis non datur in rebus; ſed in intellectu; ergó veritas, & falſitas non eſt in rebus; ſed in intellectu.

5. Hinc deduco cum Ariſtriſtotele, & S.Thoma, verum eſſe perfectionem, ſiue bonum intellectus, & falſum eſſe perfectionem, ſiue malum eiuſdem. Ratio eſt; quia perfectio debita intellectui, eſt; quód intelligendó fiat, quodammodo omne intelligibile; ſed intellectus non poteſt intelligendo fieri omne intelligibile; niſi contineat in ſe ſimilitudinem obiecti, quæ illud eo termino repræſentet, quo in ſe eſt; ergó per hanc ſimilitudinem intellectus perficitur, ſicuti omnis potentia perficitur per ſuã operationem, ergó hæc ſimilitudo, per quam cognitum eſt in cognoſcente, ſicuti eſt in ſe, eſt bonum; & perfectio intellectus: é contrarió falſum eſt malum intellectus; eiuſque imperfectio, quia ſicuti animal eſt imperfectum, quando caret debita partium diſpoſitione; ita intellectus eſt imperfectus, qui repræſentat rem aliter, ac eſt. Hæc eſt ratio, propter quam intellectus adeó vehementer appetit ſcire veritatem, & fugit falſitatem, quia vnicuique rei eſt naturaliter inſita vehementiſſima inclinatio ad illud; quod eſt illi bonum, & fuga ab eó; quód eſt illi malum; ideó pulchré Auguſtinus ait, felicitatem, ſiue beatitudinem eſſe gaudium de veritate, cum enim nemo ſit adeó agreſtis, & Barbarus, qui beatus eſſe nolit, conſequens eſt, nullum eſſe, qui de veritate gaudere non velit, cuius euidentiſſimum ſignum eſt; quód nemo vult errare; immó illi etiam; qui errant, veritatem in ſuo

amant errore, quem proindé ægré retractant, ne aliquo modo videantur erraſſe; malunt enim ſemper errare, quám verbum illud proferre humanæ ſuperbiæ inimicum, *erraui*.

6. Prætereá ex hoc diſcurſu deduco, res denominari veras per ordinem ad intellectum, cuius ſimilitudinem imitantur: patet hoc primó in omnibus artefactis: domus dicitur vera domus, quia imitatur ſimilitudinem, ſiué Idæam domus exiſtentem in mente Artificis, & ratio á priori eſt, quia omne artefactum ſuam recognoſcit originem ab aliquo intellectu habente artem, ſiué Idæam rei faciendæ, ergo omne artefactum, eatenús eſt verum artefactum, quatenùs commenſuratur. Idęæ, quæ eſt in mente Artificis: ſecundó patet in omnibus rebus naturalibus, quæ ordinem trahunt á primó, & ſapientiſſimo intellectu; nimirúm diuino, in quo ſunt Idęæ rerum omnium, ergo res omnes naturales in tantúm dicuntur veræ res, in quantúm imitantur ſimilitudinem ſui,ſiué Idæam exiſtentem in mente diuina. Indé eſt, verum, quatenùs dicitur de rebus extrá intellectum, & de intellectu, eſſe terminum analogum, cuius principale analogatum eſt intellectus verus, minús principale ſunt cæteræ res, quæ per ordinem ad intellectum dicuntur veræ, vt explicatum eſt.

7. Dico ſecundó: veritas, & falſitas non datur in ſenſu,neque in prima operatione intellectus; ſed tantùm materialis. Hæc concluſio, quæ eſt expreſsé iuxtá mentem Ariſtotelis.

8. Probatur ſimul, & explicatur declarando, quid ſit veritas formalis, & veritas materialis.

9. Veritas materialis nihil eſt aliud, quàm cóformitas cognitionis cum obiecto, in quo ſenſu omnis

omnis cognitio, per quam attingitur, ſiué repræſentatur obiectum, ſicuti eſt in ſe, dicitur veritas materialis; adeòque in ea potentia, vel natura cognoſcitiua, in qua dátur cognitio repræſentans obiectum, ſicuti eſt in ſe; datur etiam veritás materialis. Hinc eſt quòd in omni natura cognoſcitiua datur veritas materialis, quia nulla eſt natura cognoſcitiua: quæ non poſſit producere cognitionem repræſentatiuam obiecti, ſicuti eſt in ſe: quià veró omnis potentia ſenſitiua, & potentia apprehenſiua ſunt potentiæ cognoſcitiuę; idcircó veritas materialis inuenitur in operationibus cuiuſcumque potentiæ ſenſitiuæ, & apprehenſiuæ, in quo ſenſu negari non poteſt, quin veritas pertineat ac primam intellectus operationem, & ad ſenſum, quia oculus videndo parietem album, vtique producit viſionem, quæ repræſentat parietem album ſicuti in ſe veré eſt albus: intellectus apprehendendo, hominem eſſe animal rationale, procul dubio habet apprehenſionem veram hominis, quia apprehendit hominem, ſicuti eſt in ſe.

10. Veritas formalis eſt ipſa conformitas actus cum obiecto, cognita vt talis, adeóque formaliter perficiens naturam cognoſcitiuam ideó veritas formalis non datur, niſi in illa operatione, per quám natura cognoſcitiua cognoſcit, & iudicat ipſam conformitatem ſimilitudinis, quæ eſt in cognoſcente cum obiecto cognito. Hinc eſt, quód ad conſiderandum, an potentia cognoſcitiua per aliquam ſuam cognitionem verum percipiat; non eſt ſatis perpendere, vtrùm conceptus formatus per talem cognitionem ſit verus, vel falſus: quia neceſſe eſt, omnem conceptum formatum á facultate cognoſcitiua eſſe adęquatum, vel non eſſe adæ-

quatum obiecto cognito, adeóque eſſe verum, vel falſum; ſed prætereà explorandum eſt; vtrúm conformitas actus cum obiecto per illam cognitionem repræſentetur; producere enim conceptum, qui ſit adæquatus obiecto, eſt habere conceptum materialiter verum, & formare conceptum, qui repræſentet ipſam adæquationem cognitionis cùm obiecto, eſt poſſidere intentionaliter veritatem, adeóq; habere conceptum formaliter verum.

11. Ex hac doctrinâ, quę deſumpta eſt à S. Thoma in pr. par. quæſt. 16. art. 2. & in primo contra gentes cap. 50. vt egregié, & ingenioſiſſimè S. Doctoris mentem ibidem exponit Ferrarienſis in ſuis commentarijs, colligitur, neque in ſenſu, neque in primâ intellectus operatione eſſe formaliter veritatem; túm quia intellectus per apprehenſionem ſimplicem, vel complexam, licet formet conceptum obiecto conformem, adeóque verum, non cognoſcit ipſam veritatem, quia non comparat vnum prædicatum cum alio, túm quia ſenſus, qui eſt potentia materialis, non poteſt reflectere ſupra actum á ſe productum, adeóque non poteſt cognoſcere, & intentionaliter poſſidere veritatem, quæ inuenitur in ſuo actu, pertinet enim ad intellectum, qui cognoſcit omnes actus formatos á potentijs ſenſitiuis cognoſcere, & poſſidere intentionaliter veritatem, quæ reperitur ſolùm materialiter in ſenſibus.

12. Dico tertió: veritas formalis, ſiuè formaliter accepta, & falſitas formalis, ſiué formaliter accepta, eſt in ſolo intellectu componente, & diuidente, & quia intellectus componens, & diuidens, eſt intellectus affirmans, & negans, ideó in ſolo intellectu affirmante, & negante datur formaliter veritas, & falſitas.

13. Pro-

13. Probatur primò auctoritate Ariſtotelis, qui in 6. metaph. probat, verum, & falſum conſiſtere principaliter in compoſitione, & diuiſione, ſiuè in affirmatione, & negatione: quòd autem ibi Ariſtoteles loquatur de vero, & falſo in ſenſu formali, hoc eſt de verò cognito vt verò, eſt manifeſtum, quia alibi oſtendit, intellectum ſimplicem, hoc eſt illam cognitionem, per quam cognoſcitur quidditas rei, eſſe veram, vbi loquitur de veritate materiali cognoſcenda, & iudicanda per intellectum componentem, diuidentem, ſiuè affirmantem, & negantem. Accedit ad auctoritatem Philoſ. S. Thomas, qui loco citato hæc habet: *veritas poteſt eſſe in ſenſu, vel in intellectu cognoſcente, quod quid eſt rei, vt in quadam re vera, non autem vt cognitum in cognoſcente, quod importat nomen veri; perfectio enim intellectus eſt verum vt cognitum, ideò propriè loquendo veritas eſt in intellectu componente, & diuidente, non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente, quod quid eſt rei*. Hæc S. Thomas.

14. Probatur ſecundò ratione: veritas formalis eſt veritas cognita, vt talis; ſed in intellectu cõponente,& diuidente datur veritas cognita vt talis: ergo &c. Min:prob:quia intellectus componens eſt intellectus,qui coniungit per affirmationem prędicatum cum ſubiecto, ſed intellectus; qui coniungit prædicatum cum ſubiecto, neceſſariò cognoſcit; prædicatum eſſe in ſubiecto, adeòque ipſam veritatem cognoſcit, ergo &c. Idem dico de intellectu diuidente, qui ſeparat vnum terminum ab alio per negationem, non poteſt autem ſeparare prædicatum à ſubiecto; niſi iudicet prædicatum non eſſe in ſubiecto; adeòque niſi cognoſcat veritatem; ergo ad intellectum componentem,

& diuidentem poteſt cognoſcere veritatem; ergo in ſolo intellectu componente, & diuidente, ſiué affirmante, & negante datur formaliter veritas.

15. Confirmatur: veritas proprié, & formaliter ſignificatur per voces complexas, non veró incomplexas, itá propriè non dicit verum, qui dicit; *Petrus homo*, ſed qui dicit; *Petrus eſt homo*, ergo apari veritas proprié, & formaliter inuenitur in affirmatione, & negatione; quæ ſignificatur per voces complexas, non verò in apprehenſione, quæ ſignificatur per incomplexas.

16. Notandum eſt ſermonem hic eſſe de veritate, quæ eſt in humano intellectu, qui propter coniunctionem cum corpore ſpeculatur Phantaſmata; adeòque neceſſe habet componere, & diuidere, vt veritatem aſſequatur, eſt enim certum, quód in intellectu Angelico, & multó minús in Diuino, veritatem propriam, & formaliter talem non conſiſtere in compoſitione, & diuiſione.

17. Obijcies primò: eſſe verum, & eſſe ens conuertuntur; ſed omne eſſe non eſt in intellectu, quià plura habent eſſe extrá intellectum: ergo non omne verum eſt in intellectu; ergo &c. Confirmatur, quiá omnia, quæ habent eſſe, habent verum eſſe; ergo habent veritatem, ſed hæc veritas non eſt per ordinem ad intellectum; quia habet identitatem cum reali entitate, quæ non eſt per ordinem ad intellectum: ergo &c.

18. Reſp. diſt: ma: verum tranſcendentale, ſiué obiectiuum, & ens conuertuntur: concedo ma: verum formale: nego ma: & conceſſâ min: diſt: conſeq: igitur verum tanquam principale analogatum non eſt in intellectu: nego conſeq. verum, quod ſignificant analógata minùs principalia: concedo conſeq: veritas tranſcendentalis, ſiué obiectiua,

ctiua, vt docui quæſt. 1. num. 6. eſt vna proprietas entis, adeòque verum identificatur cum omni ente, ſicuti bonum, & vnum: hoc tamen non obſtante veritas priùs eſt in mente, quàm ſit in rebus, quia quælibet res dicitur vera per ordinem ad intellectum eſsentialiter verum; á quo dependet, & cuius ſimilitudinem, ſiué veritatem imitatur quantùm poteſt: hic autem intellectus, eſt intellectus Diuinus, cuius Idæas præconceptas omnia imitantur. Hinc patet ad confirmationem, conceſso enim primó enthimemate: nego ant: ſubſumptum.

19. Obijcies ſecundó: ſi veritàs, & falſitas eſt in ſolo intellectu, ſequitur intellectum non eſse verum, aut falſum, qui eſt conformis, vel difformis obiecto; ſed potiùs obiectum eſse verum: quia eſt conforme intellectui; conſequens eſt falſum, quia Philoſophus dicit, propoſitionem eſse veram vel falſam ab eo, quó res eſt, vel non eſt; ergo & antec.

20. Reſp. diſtin: ma: ſequitur, omnem intellectum non eſſe verum, quia eſt conformis obiecto: nego ma: aliquem intellectum: concedo ma: & eodem modo diſtincta min: nego conſequentiam. Intellectus humanus, qui accipit cognitionem á rebus, vt docet Ariſtoteles, accipit etiam á rebus veritatem; ideó intellectus humanus eſt verus, quia conformatur rebus, eſt falſus, quia difformatur: in hoc ſenſu locutus eſt Ariſtoteles, dum ait, propoſitionem dici veram, vel falſam ab obiecto. Intellectus veró diuinus, qui non accipit cognitionem, neque veritatem á rebus; ſed per cognitionem ſui, rerumque omnium cum ſua entitate identificatam largitur eſſe rebus omnibus, non dicitur verus per ordinem ad res, qui-

bus

bus conformatus; ſed potiùs dicuntur veræ res omnes, quia imitantur cognitionem Diuinam, quæ eſt earum Idæa. Hinc patet, euidens diſparitas diligenter notanda inter cognitionem veram Diuinam, & humanam: vtraque cognitio eſt ſimilitudo obiecti, ſed cognitio Diuina eſt ſimilitudo per modum exemplaris, cognitio humana per modum imaginis, & quia exemplatum, tunc dicitur verum exemplatum, quomodo conformatur exemplari, ideò omnes res dicuntur veræ, quia conformantur cum Diuina cognitione, quæ eſt Idea, & exemplar rerum omnium.

21 Obijcitur ſecundò. Hinc ſequitur, eſſe veram ſententiam eorum, qui, vt narrat Ariſtoteles in primo Metaphyſicorum, text. ſexto, dixerunt, contradictoria eſſe ſimul vera, & ſimul falſa, quia ſtatuebant hoc principium, *illud ſolùm eſſe verùm, quod apparet intellectui, ſiue quod videtur intellectui verùm*: ex hoc principio inferebāt, vtrumque contradictorium eſſe verùm, quia vni intellectui videtur verùm vnum extremum, alij intellectui videtur verùm contradictorium, ergo ſententia, quæ dicit verùm, & falſum eſſe in intellectu, incidit in errorem iſtorum Philoſophorum, quos euidenter impugnat Ariſtoteles.

22 Reſpondetur. Nego antecedens. Ratio eſt, quià res non dicuntur veræ per ordinem ad Intellectum creatum, cui videntur veræ, ſed per ordinem ad Intellectum diuinum, à quo eſſentialiter dependent, iuxtà illud vulgare dictum: *vnaquæque res tanta eſt, quanta in conſpectu Dei eſt*. Hoc argumentum probat euidenter contrà Atheiſtas, cauſam Mundi non eſſe fortunam, vel caſum, ſed Intellectum ſapientiſſimum, quem negantes nonnulli ſtulti Philoſophi in eum error prola-

prolapſi ſunt, de quo euidenter, & meritó redarguuntur ab Ariſtotele.

23 Obijcitur quartò: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, ſed omnis actus Intellectus accipit veritatem á rebus, adeóque dicitur verus, vel falſus per conformitatem, vel difformalitatem cum rebus: ergo verum magis eſt in rebus, quám in Intellectu. Confirmatur, quia non minús actus voluntatis denominantur boni, vel mali, quám actus Intellectûs veri, vel falſi: ergo ſicuti bonum, & malum eſt in rebus, non in voluntate, ita verûm, & falſum eſt in rebus, non in Intellectu.

24 Reſpondetur, concedo maiorem, & diſtinguo minorem; per conformitatem cum rebus, quæ ſunt veræ per ordinem ad Intellectum diuinum, concedo minorem, quæ ſunt veræ ſine hoc ordine; nego minorem, & conſequentiam. Licèt humanus Intellectus accipiat veritatem á rebus, non inde ſequitur, res denominari magis veras, quám Intellectum, quiá notanter Philoſophus dixit: *ab eo, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa*: quód ſi dixiſſet, ab eo, quod res eſt vera, argumentum bené procederet, ſed dicendo, *ab eo, quòd res eſt*, voluit ſignificare, veritatem humani Intellectus haberi per adæquationem eiuſdem cum rebus, quæ dicuntur veræ per ordinem ad Intellectum, á quo eſſentialiter dependent, & quem propterea imitantur. Ad confirmationem dico, euidentem eſſe diſparitatem inter verúm, & bonum, eáque aſſertur à Sancto Thoma, qui ait, verúm eſſe obiectum Intellectus, & bonum voluntatis; quia veró hoc diſcrimen eſt inter Intellectum, & voluntatem, quòd Intellectus trahit obiectum ad ſe, cuius ſimilitudinem in ſe habet,

bet, dum cognitum eſt in cognoſcente, & voluntas trahitur ab obiecto, in quod per amorem transfunditur, iuxtá illud : *animus magis eſt, vbi amat, quàm vbi animat*, ideò verùm eſt in Intellectu, & per ordinem ad Intellectum datur in rebus, bonum eſt in rebus, & per ordinem ad res datur in voluntate.

25 Obijcitur vltimò. Verùm, & falſum eſt in ſenſu: ergo non eſt in ſolo Intellectu. Antecedenter probatur: Oculus, qui videt aliquem colorem eſſe album, qui veré eſt albus, verùm iudicat non minùs, quàm verùm iudicat Intellectus, qui dicit, Petrum currere eo currente, prætereá idem oculus, qui iudicat, eſſe fractum remum, quem videt in aqua, dicit falſum, quia remus veré non eſt fractus, licét appareat fractus: ergo, &c.

26. Reſpondetur. Diſtinguo antecedens: Eſt materialiter, concedo antecedens, formaliter, nego antecedens, & conſequentiam. Offenſum eſt, quomodo inueniatur in ſenſibus verùm & falſum, ſi tamen ſenſus poſſunt errare, quod non facit ad rem præſentem; hæc veritas eſt in ſenſibus ſolùm materialiter, quia eam non poſſident, non enim attingunt conformitatem ſui cum obiecto propter defectum reflexionis ſupra ſuos actus.

QVAESTIO III.

Vtrùm malum conſiſtat in aliquo prædicato poſitiuo.

1 Videtur conſiſtere in prædicato poſitiuo primò: ratio formalis mali non eſt ratio formalis non entis, ſed ratio formalis prædi-

prædicati negatiui, eſt ratio formalis non entis: ergo ratio formalis mali non eſt ratio formalis prædicati negatiui: ergo malum formaliter eſt aliquid poſitiuum. Maior probatur, ratio formalis rei creatæ eſt ratio formalis rei malæ, & imperfe-ctæ: ſed ratio formalis rei creatæ non eſt ratio formalis non entis, quia ens creatum eſt formaliſſimé ens: ergo, &c.

2 Secundò: datur aliquod malum, cuius fore malis conceptus eſt ens poſitiuum, ergo non omnmalum conſiſtit in prædicato negatiuo: ergo, &c. Antecedens probatur, dolor, quem parit præſentia rei moleſtæ, eſt malus, vt eſt indubitatum: Sed hic dolor formaliſſimé eſt ens poſitiuum, eſt enim actus vitalis: ergo, &c.

3 Tertiò: Malum pœnę eſt malum, ſed malum pœnæ conſiſtit in prædicato negatiuo: ergo malum non conſiſtit in prædicato negatiuo. Minor probatur; quia malum pœnæ debet repugnare inclinationi patientis pœnam; ſed aliquod poſitiuum poteſt repugnare inclinationi patientis pœnam, ſicuti enim inclinationi materiæ, quam habet ignis ad ſui conſeruationem, contradicit aqua; cur non poterit inclinationi elicitæ, quam habet ſubſtantia rationalis ad bené eſſe reſpondere aliqua forma poſitiua; ergo aliquod malum pœnæ eſt in prædicato poſitiuo.

4 Quartò: malum culpæ eſt malum in generé moris, ſed non omne malum culpæ conſiſtit in prædicato negatiuo: ergo non omne malum eſt aliquid negatiuum. Minor probatur, quia malum culpæ formaliſſimè conſiſtit in receſſu à lege; ſed non omnis receſſus a lege conſiſtit in prædicato negatiuo, quia lex prohibēs comeſtionem carnis violatur per actum poſitiuum comedendi; ergo, &c.

5 Quin-

5 Quintò: præciſo quocumque alio & intellectá comeſtione intelligitur tranſgreſſio legis prohibẽtis comeſtionem carnium; ſed intellecta tranſgreſſione legis intelligitur malum culpæ: ergo præciſo quocunque negatiuo intelligitur malum culpæ:

6 Vltimò: malum culpæ quatenùs tale, eſt liberum, ſed liberum quatenùs liberum eſt aliquod poſitiuum: ergò malum culpæ quatenùs malum culpæ eſt aliquod poſitiuum. Minor eſt certa, quia ratio formalis liberi eſt ratio formalis determinationis; quæ vtique eſt forma poſitiua.

7 Reſpondetur: malum opponitur bono, vt conſtat ex terminis, ideó conceptus formalis mali eſt oppoſitus formali conceptui boni, conceptus autem formalis boni eſt conceptus formalis entis; quia bonum reciprocatur cum ente, neque enim fieri poteſt, vt ibi ſit bonum, vbi non eſt perfectio, quæ procul dubio ſequitur realem exiſtentiam; igitur conceptus formalis mali eſt conceptus non entis. Quia veró conceptus non entis eſt conceptus negatiuus, ideó conceptus mali eſt conceptus negatiuus, adeóque malum formaliter eſt in aliquo prædicato negatiuo. Ratio á priori eſt, quia bonum, & ens conuertuntur: ſed malum quatenùs malum non eſt bonum: ergò malum quatenús malum non eſt ens. Indé eſt, quód ſi ratio formalis, quæ conſtituit aliquam rem malam, eſſet ratio entis, ratio formalis mali conſtitueret formaliter rem malam, quia ratio formalis entis eſt ratio formalis boni; repugnat autem, vt rem malam conſtituat ratio formalis boni, ſicuti repugnat aerem conſtitui tenebroſum à luce.

8 Ex quo diſcurſu conſtat, malum formaliſſimé conſiſtere in defectu boni; adeóque non poſſe intelligi rem malam, niſi eadem intelligatur aliquo

bono deſtituta. Id apertè conſtat ex illa celebri diuiſione, qua ſolemus partiri ens abſtractiſſimé acceptum in ens creatum, & ens increatum: ens enim increatum eſt tale bonum, vt nullam habeat mixturam mali, contrà verò ens creatum inuoluit eſſentialiter aliquam mali mixturam, quia nimirùm ens creatum non continet in ſe quid quid perfectionis inuenitur in ente increato, adeòque ens creatum eatenùs dicitur bonum malo permixtum, quatenùs eſt bonum deficiens ab infinita perfectione, quæ reperitur in ente increato. Hinc ratio mali extenditur ad omnes res creatas; vt ratio boni vagatur per omnia rerum genere; eo enim pacto, quo fieri non poteſt; vt aliquid exiſtat in rerum natura, quòd bonitatem diuinam non participat, neceſſe eſt, vt res omnes creatæ habeant defectum alicuius bonitatis; adeòque habeant alicuius malitiæ mixturam. Ratio á priori eſt manifeſta; quia malum, & non ens reciprocantur non ſecús ac bonum, & ens: ſed nulla eſt res creata, quæ non habeat aliquem defectum in genere entis; nullum enim defectum in genere entis habere vni Deo cõuenit, qui exiſtit infinité, ergò nulla eſt res creata, quæ non habeat plurimum mali admixtum illi exiguo bono; quod ab infinito bono participat.

9 Quia verò malum eſt defectus boni, & bonū aliud eſt debitum, aliud veró indebitum rei carenti tali bono, ideò non eſt eadem malitia, quam habet res carens bono ſibi debito, ac malitia rei carentis bono indebito, res enim, quæ caret bono debito, eſt mala priuatiuè, quia defectus boni debiti eſt priuatio, ea verò res, quæ caret bono indebito; eſt mala negatiué, defectus enim boni indebiti eſt negatio. Opportunum cenſeo

ad

ad explicandum hunc duplicem boni defectum, illud exemplum, quod accipi ſolet ex duplici homine, quorum alter eſt eleuatus ad ordinem gratiæ, alter relinquitur in ordine naturali, qui vocatur ſtatus puræ naturæ. Certum eſt non eodem pacto carere gratia vtrumque hominem, qui enim eſt eleuatus ad ordinem gratiæ, caret gratia, quam debet habere; adeoque defectus gratiæ eundem conſtituit priuatiuè malum, quia defectus gratiæ cùm debito habendi gratiam eſt priuatio: qui verò non eſt eleuatus ad ordinē ſuper naturalē caret gratia, quam non debet habere adeoque defectus gratię eum reddit negatiué malum, defectus enim gratiæ ſine debito habendi gratiam eſt negatio gratię.

10 Defectus igitur alicuius boni, quod eſt debitum naturæ rationali, eique ſimul eſt liberum, eſt malum in genere moris; ſiue malum culpæ imputabile naturæ rationali. Indé eſt, peccatum quatenús tale conſtitui per aliquod prædicatum negatiuum, quod conſiſtit in defectu illius rectitudinis, quam debet habere quilibet actus moralis naturæ rationalis, cum enim naturæ rationali, quæ eſt capax aſſequendæ felicitatis, incumbat neceſſitas nunquam deflectendi á lege honeſtatis, ille procul dubio actus in genere moris eſt imperfectus, qui eſt talis, vt per ipſum natura rationalis ſuam contemnat felicitatem, adeoque non habet rectitudinem ſibi debitam, quia tota rectitudo naturę rationalis deſumitur ex ordine ad Vltimum finem, vt conſtat ex tomo 3. diſput. 10. quæſt. vlt. num. 10. & ſequen. Deus enim, qui primum hominem condidit innocentem, adeoq; optimé ordinatum ad finem ſuum conſequendum, dicitur in ſacris literis feciſſe hominem rectum: ille igitur actus, qui caret ordine ad vltimum finem, caret

rectitu-

rectitudine ſibi debita: quoniam veró omnis actus vitioſus caret ordine ad vltimum finem, ideò omnis actus vitioſus caret rectitudine ſibi debita: indé eſt, quòd dictamen conſcientiæ eſſentialiter requiſitum ad operandum bené, vel male in genere moris eſt quoddam Dei lumen oſtendens naturæ rationali illam rectitudinem, quam debent habere omnes actus morales. Quòd ſi natura rationalis operatur iuxtá hoc dictamen, exercet actum bonum in genere moris, adeòque habentem rectitudinem ſibi debitam, ſi verò non operatur iuxtà hoc dictamen, incidit in actum malum in genere moris, qui caret rectitudine ſibi debita, ideò Auguſtinus diſertè ait cauſam actus vitioſi eſſe cauſam potiùs deficientem, quàm efficientem.

11 Ad primum concedo maiorem, & nego minorem, ad eius probationem concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ratio formalis entis creati non eſt ratio non entis, quatenús eſt ratio formalis entis, concedo minorem: quatenús eſt ratio formalis entis creati: nego minorem: & conſequentiá. Ens creatum cõſtituitur in ratione entis creati per duplicem formalitatem, vnam entis, aliam entis creati, ſiue non entis, quia ens creatum neque excludit quamcumque formalitatem entis, ſicuti ens impoſſibile, neque excludit quamcunque formalitatem non entis, vt ens neceſſariũ, indé eſt ens creatum eſſe medium inter ens impoſsibile, & ens neceſſarium, quemadmodúm enim ens impoſsibile nullam rationem entis inuoluit, & ens neceſſarium inuoluit omnem rationem entis, itá ens contingens, ſiué creatum inuoluit aliquam rationem entis, & excludit plurimas perfectiones, quæ pertinent ad conceptum formalem

entis, ideó ens creatum conſtat ex ente, & non ente, adeóque eſt bonum ſimúl & malum, licét illud malum, ex quo conſtàt, non excludat bonum, quod inuoluit.

12. Ad ſecundúm nego antecedens: dolor, qui vtique eſt malus patienti dolorem, non eſt malus quatenùs actus vitalis, ſed quatenús habet defectum alicuius boni, quod debet eſſe in actu vitali: indè eſt, quód omnis ratio mali, quæ in actu doloris reperitur, non debet refundi in aliquod prædicatum poſitiuum, ſed ſolùm in prædicatum negatiuũ: ratio á priori eſt, quia illud eſt diſcrimen inter actum doloris, & actum gaudij, quia licèt vterque ſit actus poſitiuus, actus doloris naſcitur ex præſentia rei moleſtæ, actum veró gaudij parit res iucunda præſens cognoſcenti: manifeſtum igitur eſt, quód eatenús eſt malus dolor, quatenús excludit actum gaudij naſcentis ex præſentia rei iucundę. In hac igitur re non debent confundi prædicata materialia cũ prædicatis formalibus, quia illa prædicata, quæ in ſuo formali conceptù inuoluunt aliquod poſitiuum, non ſpectant ad formale conſtitutiuum mali, ſunt enim communia bono, illa veró prædicta, quæ ſpectant ad formale conſtitutiuum mali, ſine dubio conſiſtunt in aliquo conceptu negatiuo.

13 Ad tertiúm: malum pœnæ quatenús malum pœnæ conſiſtit in prædicato negatiuo, quia pœna formaliſsimè inuoluit ſtatum miſeriæ, ſtatus autem miſeriæ opponitur felicitati, eamque excludit, ideó non poteſt intelligi pœna, quin intelligatur prædicatum negatiuum, á quo excluditur bonum debitum, patiendo huiuſmodi pœnam: eodem igitur pacto philoſophandum eſt de malo pœnæ, quod contradicit inclinationi, quam habet

bet

bet natura rationalis ad beatam vitam ducendam, ac de aquâ, quæ habet naturalem oppoſitionem cum igne, ſicuti enim aqua eſt noxia igni quatenùs ab igne remouet perfectionem propriã ignis; ita miſeria nocet ſubſtantiæ rationali, quatenùs priuat ſubſtantiam rationalem felicitate ſibi debita. Duplex igitur prædicatum attendi debet in aqua ignem extinguente: vnum prædicatum eſt poſitiuum, quod conſtituit ipſam naturam aquæ, aliud eſt negatiuum, quod excludit ab igne perfectionem propriam ignis: hæc duo prædicata, quæ ſunt realiter indiſtincta, ſunt formaliter diſtincta, adeóque illud prædicatum, per quod aqua éſt igni noxia, eique mala, non eſt prædicatum aliquod poſitiuum, ſed eſt prædicatum negatiuum: idem eſt dicendum de pœna, quæ nocet patienti talem pœnam, licét enim realiter ſint indiſtincta prędicatum poſitiuum, & negatiuum, illud tamen prædicatum, ratione cuius formaliter pœna eſt noxia patienti, conſiſtit in conceptu negatiuo.

14 Ad quartùm, concedo maiorem, & nego minorem, malum culpæ, quatenùs malum culpæ conſtituitur per aliquod prædicatum negatiuum: ratio eſt, quia non poteſt intelligi malum culpæ, quatenús eſt malum culpæ, niſi intelligatur defectus rectitudinis, quæ debet eſſe in actu morali ſubſtantiæ rationalis: ſed non poteſt intelligi iſte defectus ſiné prædicato negatiuo: ergo non poteſt intelligi malum culpæ, quatenús tale ſine prædicato negatiuo. Hinc eſt, quód defectus conformitatis cum lege obligante in conſcientia, qui defectus conſtituit actum vitioſum, & malum in genere moris, eſt formaliſsimé prædicatum negatiuum, quia cum eatenùs debeat natura rationalis operari iuxtà illam legem, quæ habet virtu-

tem obligandi omnem naturam rationalem, quatenùs perfectio debita cuicunque actui morali eſt conformitas cum lege obligante in conſcientia; manifeſte ſequitur defectum conformitatis cum lege eſſe defectum perfectionis debitæ, adeòque non poſſe defectum conformitatis cum lege haberi formaliter, niſi per prædicatum negatiuum, quando ergo aliquis comedit carnes, quas tenetur non comedere, incidit in culpam, cuius tota malitia eſt in defectu illius rectitudinis, quam debet habere quicunque actus moralis, ſubſtantia enim rationalis cum teneatur ſe conformare præcepto, quod interdicit comeſtionem carnium, quando huic præcepto non ſe conformat, amittit rectitudinem quam debet per ſuos actus acquirere: hinc eſt, quód in actu comedendi carnes prohibitas duo debent attendi, nimirùm ipſe actus comedendi, & defectus illius rectitudinis, quæ in hoc actu debet eſſe: actus comedendi ſecundúm ſe præcisè conſideratus non eſt malus in genere moris, defectus autem rectitudinis ſecundùm ſe conſideratus eſt in genere moris malus, quia priuat naturam rationalem operantem in genere moris perfectione ſibi debita, actus igitur,quo violat præceptum quicunque comedit carnem prohibitã, eſt malus,quia includit aliquod prædicatum negatiuum, quod excludit rectitudinem, & perfectionem debitam huic actui.

15 Ad quintùm ſuppoſitum eſt falſum, quia fieri non poteſt, vt intelligatur prædicatum negatiuum, quomodo enim poſſum intelligere Petrum violantem præceptum, quod prohibet comeſtionem carnis, ſi non intelligo eumdem priuari illa rectitudine, quæ inuenitur in actu, quo natura rationalis conformàt ſe præcepto? duo itaque ſunt,

quæ conſtituunt actum comedendi carnes prohibitas malum in genere moris: vnum eſt prædicatum poſitiuum, quod conſiſtit in actu comedendi, aliud eſt prędicatum negatiuum, quod conſiſtit in carentia rectitudinis debitæ: prædicatum poſitiuum attenditur in hoc actu vitioſo, tanquam prædicatum puré materiale, prædicatum veró negatiuum attenditur tanquam prædicatum formale, quia per hoc præciſè, quod intelligatur carentia huius rectitudinis, intelligitur malitia in eo actu, qui caret hac rectitudine.

16 Ad vltimúm: ratio formalis liberi eſt ratio, quæ eſſentialiter requiritur ad rationem actus vitioſi, quia implicat contradictionem, vt aliquis actus ſit vitioſus, qui ſimúl non ſit liber: non proptereà ſequitur rationem liberi eſſe illam rationē, quæ vltimò conſtituit actum vitioſum, cum actus malus in genere moris non differat per libertatem, ſed ſolúm differat per defectum libertatis ab actu bono in genere moris, ſicuti enim libertás peccabilis non eſt maior libertas, quám libertas impeccabilis, quia ſupra libertatem impeccabilem addit ſolúm defectum libertatis, vt demonſtratum fuit in tomo 3. diſput.18. quæſt.4. num.1. itá libertas, quia includit peccatum, eſt potiús defectus libertatis, quàm libertas: indé eſt prædicatum illud, per quod conſtituitur actus vitioſus in genere moris malus, non eſſe aliquod prædicatum poſitiuum, ſed ſolúm eſſe prædicatum negatiuum.

QVAESTIO IV.

Vtrùm ſit poſſibile ſummum malum excludens omne bonum.

1 VIdetur eſſe poſſibile primo: non eſt impoſſibile ſummum bonum excludens omne malum: ergo neque eſt impoſſibile ſummum malum excludens omne bonum. Antecedens eſt certùm, quia Deus eſt ſummum bonum. Conſequētia probatur, tùm quia non eſt, cur repugnet ſummum malum excludens omne bonum, ſi ſummum bonum excludens omne malum non repugnat, tùm quia eſt eadem ratio contrariorum: ergo á poſſibilitate ſummi boni valet conſequentia ad poſſibilitatem ſummi mali, quod opponitur ſummo bono.

2 Secundó: peccatum eſt ſummum malum excludens omne bonum: ſed peccatum non eſt chimæra: ergo ſummum malum excludens omne bonum non eſt chimæra: ergo, &c. Maior probatur, tùm quia peccatum eſt malum infinitum in genere moris, quia non poteſt fingi malum maius ipſo peccato, tùm quia peccatum opponitur Deo, ergo tantùm mali eſt in peccato, quantum boni eſt in Deo: ſed bonum, quod eſt in Deo eſt infinitum: ergo malum, quod eſt in peccato, eſt infinitum.

3 Tertió: æterna miſeria eſt ſumma miſeria, ſumma autem miſeria eſt ſummum malum, ergo æterna miſeria eſt ſummum malum: ſed æterna miſeria non eſt chimæra, ergo ſummum malum non eſt chimæra. Maior probatur, quia

nulla

nulla eſt miſeria, quæ conferri poſſit cum æterna miſeria: ſed illa miſeria, quæ talis eſt, vt nulla cum illa conferri poſſit, eſt ſummam miſeria: ergo, &c. Confirmatur quia miſeria æterna eſt tantùm malum, vt ſit melius non eſſe, quám miſerum eſſe: ergo miſeria æterna eſt ſummum malum.

4 Reſpondetur. Non eſt dubium, an nō ſit Chimæra ſummum bonum, quod á ſe excludit omne malum: Deus enim, qui vtique non eſt chimæra, cum habeat neceſſitatem exiſtendi, eſt tale, ac tantùm bonum, vt excludat quodlibet malum. Dubium eſſe poteſt, an eodem pacto philoſophandum ſit de malo, quod opponitur bono, adeóque an ſummum malum excludens á ſe omne bonum, non ſit chimæra, ſicuti non eſt chimæra ſummum bonum excludens á ſe omne malum.

5 Celebris eſt in hac re ſententia Auguſtini, quám ſequuntur feré omnes philoſophi, nimirùm ſummum malum, quod excludit á ſe omne bonum, eſſe chimæram: ratio eſt, quia malum non poteſt præſcindere á bono, adeóque malum in ſuo formali conceptu includit aliquod bonum: malum enim eſt defectus boni debiti, cum malum conſiſtat in priuatione boni, quæ priuatio intelligi non poteſt, niſi bonum, quod excludit talis priuatio, ſit debitum illi ſubiecto, á quo excludit, defectus autem boni debiti includit aliquod bonum, vt oſtenſiué demonſtro, quia bonum non poteſt eſſe debitum niſi bono, illud enim cui eſt debitum bonum, vtique eſt bonum, cum fieri non poſſit, vt bonum ſit debitum rei, quæ non exiſtit, adeóque rei quæ non eſt bona: præterea defectus boni debiti eſt formaliſſimè priuatio boni: priuatio au-

tem boni ſupponit aliquod bonum, quia non poteſt ſubiectum intelligi priuatum bono, niſi habeat aliquod bonum, defectus igitur boni debiti ſupponit aliquod bonum: quód ſi defectus boni debiti, qui pertinet ad formalem conceptum mali, includit aliquod bonum, neceſſe eſt, vt malum includat aliquod bonum, adeóque malum non præſcindat á bono. Euidens autem eſt malum ſummum eſſe tale, vt excludat omne bonum, quia ſummum malum eſt infinitum malum: ſed infinitum malum excludit omne bonum, vt infinitum bonum, quod eſt ſummum bonum, excludit á ſe omne malum: ergo ſummum malum non poteſt non excludere omne bonum. Quia veró excludere omne bonum & includere aliquod bonum ſunt conceptus inuicem repugnantes, vt ex terminis conſtat, ideó malum, quód in ſuo formali conceptu includit aliquod bonum, eſſe ſummum malum eſt chimara. Conſequens igitur eſt, vt ſummum malum eodem modo repugnet, quo repugnat malum excludens ſimul, & non excludens omne bonum. Addo perindé repugnare malum ſummum, ac repugnat negatio, quæ negat ens in genere, ſicuti enim huiuſmodi negatio excludit omne eſſe, quia negat rationem abſtractiſſimam entis, & non excludit omne eſſe, quia includit illud eſſe, quod eſt neceſſarium ad excludendum aliquod eſſe: itá ſummum malum excludit omne bonum, quia eſt ſummum malum & non excludit omne bonum, quia includit illud bonum, cui eſt debitum bonum, quod excludit.

6 Huc ſpectat acutiſſimus Auguſtini diſcurſus, quo redarguit Manichæum aſſerentem, voluntatem humanam, quæ eſt cauſa mali, non eſſe bonam, adeóque non eſſe factam á Deo, à quo non

poteſt

poteſt eſſe factum niſi bonum. Repugnat voluntatem humanam fieri peccando malam, niſi voluntas ſit bona, illa enim ſubſtantia, cui eſt debita perfectio in genere moris, vtique eſt bona, cum ſit talis, vt debeat fælicitatem aſſequi, quæ nihil aliud eſt quám ſtatus perfectus omnium bonorum agregatione, ſed voluntas non poteſt fieri peccando mala, niſi eidem ſit debita perfectio in genere moris, quia peccare eſt rem in genere moris imperfectam agere, adeóque actum producere degenerantem á perfectione debita naturæ rationali: ergo non poteſt voluntas peccando fieri mala, niſi eadem voluntas ſit bona. Summa huius diſcurſus in eo conſiſtit, quód peccatum tollit à natura rationali perfectionem eidem debitam, illa autem natura, cui eſt debita aliqua perfectio, eáque carere eſt malum, debet proculdubio eſſe bona; natura igitur rationalis, quæ incidit in malum culpæ, eſt bona natura, licét peccando fiat mala. Hinc eſt, naturam peccabilem eſſe meliorem illá natura, quæ ex defectu perfectionis eſt impeccabilis, eſt enim melior natura rationalis peccabilis, quám natura irrationalis, quæ ex defectu facultatis operantis in genere moris peccare non poteſt. Prætereá liquidó conſtat, voluntatem illam, quæ eſt cauſa peccati, neque eſſe ſummè bonam, neque ſummé malam: non ſummé bonam, quia non eſt res ſummé bona, quæ poteſt fieri mala, adeòque poteſt carere perfectione ſibi debita, eſt enim longé meliùs habere totam perfectionem ſibi debitā ſine facultate eam amittendi, quàm poſſe amittere perfectionem ſibi debitam, vt eſt manifeſtum, ideó Deus, qui eſt capax boni moralis, & non poteſt á perfectione ſibi debita deficere, eſt longé melior quacunque natura rationali, quæ poteſt deficere

ficere ab honeſtate conſequenda. Eodem argumento demonſtratur non eſſe ſummè malam voluntatem, quæ eſt cauſa peccati, adeóque huiuſmodi voluntatem eſſe factam á Deo, quiá ſi eſſet ſummé mala, non eſſet peccabilis, vt hoc breuiſſimo, & ineluctabili dilemmate tibi oſtendo. Voluntas, quám fateris ſummé malam, & ſimul concedis peccabilem, vel poteſt carere perfectione ſibi debita, vel non poteſt: ſi non poteſt: ergo non eſt péccabilis: quid enim eſt voluntas peccabilis, niſi voluntas, quæ poteſt deficere á bono ſibi debito? ſi poteſt deficere á bono ſibi debito: ergo non eſt ſummé mala, quiá habere debitum alicuius boni, vtique eſt res bona, vt ex terminis conſtat: illa autem res, quæ habet aliquid boni, non eſt vtique ſummé mala: vide igitur, an res pugnantes dicat, quicunque dicit cauſam peccati eſſe ſummum malum, adeòque voluntatem humanam, quæ eſt cauſa peccati, non fuiſſe à Deo conditam.

7 Ex hac totá doctrina ſatis apertè conſtat, quæ nám ſit mali origo, de qua re multa ingenioſé, & ſubtiliter Auguſtinus diſputat in quodam libro ſuarum confeſſionum, malum enim naſci non poteſt niſi ex bono imperfecto, quia cum ibi malum eſſe non poſſit, vbi nihil eſt boni, & bonum, quod eſt ſummum bonum, excludat à ſe omne malum, manifeſtum eſt originem mali eſſe illud bonum, quod non attingit totam amplitudinem boni: quia veró bonum, quod non eſt ſummum bonum, eſt bonum creatum neceſſarió compoſitum ex nihilo, ideó omne malum habet originem á nihilo rei creatæ. Hac de cauſá Deus, qui eſt ſummum bonum, non eſt author mali, licèt condiderit res non ſummè bonas, ſolúm enim poteſt velle

malum

malum phyſicum, quod naſcitur ex nihilo illarum rerum, quibus exiſtentiam largitur, & permittere malum in genere moris, quod naſcitur ex nihilo naturæ rationalis, quia nimirum nullum malum, ſiue phyſicum, ſiue morale eſt ſummum malum. Malum igitur, quod eſt ſummum malum, eſt chimæra, quia, ſi eſſet Chimæra, Deus non eſſet, qui eſt ſummum bonum, ideó neceſsé eſt Chimæram non eſse, eſt enim neceſsaria non exiſtentia ſummi mali, ſicuti eſt neceſsaria exiſtentia ſummi boni: vndé patet ad oppoſitæ partis argumenta.

8 Ad primum concedo antecedens & nego conſequentiam: ratio, cur non repugnet ſummum bonum, & repugnet ſummummalum, eſt, quia bonum in ſuo formali conceptu non includit malum, ſicuti malum in ſuo formali conceptu includit bonum: bonum autem, quod in ſuo formali conceptu non includit malum, poteſt eſse ſummum, quia bonum ſummum excludit quamcunque mixturam mali: ergo bonum, quod in ſuo formali conceptu nullam includit particulam mali, poteſt eſse ſummum: contrà veró malum non poteſt eſse ſummum, quia quatenús ſummum, debet excludere quodlibet bonum, quatenús malum non poteſt excludere bonum, quia malum, quatenús malum includit aliquam particulam boni, vt oſtenſum eſt: ergo ex illo eodem capite, ex quo non repugnat ſummum bonum, repugnat ſummum malum.

9 Ad ſecundum nego antecedens, quia peccatum ſi eſset ſummum malum, non poſset á Deo permitti, nullum enim foret bonum quod eius malitiam compenſaret. Cæterúm peccatum non poteſt eſse ſummum malum, túm quia vnum peccatum eſt maius alio, tùm quia Chimæra eſt ma-

lum

lum longè deterius peccato, adeóque illa eſt malum ſimpliciter impoſſibile, hoc veró eſt malum poſſibile: eaque de cauſa ſummum bonum poteſt permittere peccatum, non poteſt permittere chimæram. Oppoſitio, quam habet peccatum cum Deo, non arguit infinitam malitiam in peccato, quia non eſt in culpa tantùm malitiæ, quantùm eſt in ipſo Deo bonitatis oppoſitæ, vt alibi demonſtratum eſt.

10 Ad tertium: miſeria æterna non eſt ſumma miſeria, quia in genere miſeriæ æternæ vna poteſt eſſe maior, alia minor: quòd ſi eſset ſumma, & infinita miſeria, id nequaquam poſset contingere, quia vnum infinitum non poteſt eſse maius alio: æterna igitur miſeria eſt ſyncathegorematicé infinita; quia eius duratio caret fine: inde eſt miſeriam æternam non eſse infinitam cathegorematicé, adeóque non eſse miſeriam ſummam, nec ſummum malum: quia veró vſus inualuit, vt miſeria æterna nomen acceperit ſummæ miſeriæ, ideò dicendum eſt æternam miſeriam eſse ſummam miſeriam relatè ad quamlibet temporaneam calamitatem, eſt enim indubitatum nullam eſse calamitatem perituram, quæ conferenda ſit cum miſeria ſempiterna. Ad confirmationem mihi fuit ſemper valdé probabile, minús malum eſse, non eſse quám miſerum eſse: qui non eſt, caret omni bono & malo, cum careat omni voluptate, & dolore, qui veró eſt miſer, malé ſe habet, adeóque cruciatur, licét habeat exiſtentiam, quæ ipſum torquet potius, quám delectet, cum ſit fundamentum doloris, remotá enim exiſtentia remouetur omnis dolor: non proindè ſequitur æternam miſeriam eſse malum ſummum, quia eſto ſit minús malum non eſse, quám miſerum eſse, poteſt tamen ali-

quis maiorem, alius minorem ſubire miſeriam æternam, quod eſt argumentum certiſſimum miſeriæ non ſummæ.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum omne ens ſit relatiuum.

1. DE ente relatiuo egi in hoc tomo diſp. 3. vbi de reſpectu traſcendentali, & prædicamentali plurima diſputaui; neceſſe habeo, quod ibi prætermiſi, hic diſcutere, vbi finem impono omnibus controuerſijs de prædicatis communibus cuicumque enti; an nimirum eſſe relatiuum ſit prædicatum cuicumque enti commune; quæritur itaque, vtrùm omne ens, ſiue per ſe, ſiue in alio habeat ſibi identificatum eſſe relatiuum, quod vocatur ordo tranſcendentalis, quia tranſcendit & vagatur per omnia rerum creaturarum genera.

2. Dico primó: Ens á ſe, quod eſt principale analogatum in conceptu entis prædicabilis de Deo & creaturis, habet eſſe abſolutum ab omni veró & reali reſpectu ad creaturas poſsibiles & exiſtentes. Hæc concluſio eſt communis apud omnes Theologos cum Sancto Thoma, qui eam expreſsé docet in ſecundó contra Gentes capit. 12. & in prima parte, vbi oſtenſiuè demonſtrat Deum referri ad creaturas per relationem, quæ eſt in creaturis.

3. Probatur primò. Illud quod habet eſſe independens, & ſimul eſt neceſſitas ſui ad exiſtendum, eſt ens omninó abſolutum, ádeoque carens omni reſpectu ad aliquid á ſe diſtinctum; ſed ens á ſe,

ſiue

ſiue ens diuinum eſt huiuſmodi, ergo &c. Minor probatur, túm quia, quod habet eſſe omninó independens, adeoque neceſſarió eſt, vtique eſt primum ens: ſed illud ens, quod eſt primum, debet eſſe omninó abſolutum, aliter primum non eſſet, quia abſolutum eſt priús relatiuo, quod in eo fundatur, ideó relationes diuinæ, quæ conſtitunt perſonas diuinas, fundátur in eſſentia diuina, quæ habet eſſe abſolutum, ergo &c. túm quia eſt contrá formalem conceptum entis independentis habere aliquem reſpectum ad terminum á ſe diſtinctum; eſſe enim independens formaliſsimé dicit eſſe non connexum cum alio, ſicuti eſſe dependens formaliter inuoluit indigentiam, & connexionem vnius cum alio, habere autem aliquem reſpectum ad terminum á ſe diſtinctum, & habere eſſe cum nullo ente a ſe diſtincto connexum ſunt prædicata inuicem repugnantia, ergo eſt contrá formalem conceptum entis independentis habere aliquem ordinem ad ens á ſe diſtinctum, ergo &c.

4. Probatur ſecundó: Itá ſe habet ens á ſe ad ens ab alio, ſicuti ſe habet ſcibile ad ſcientiam: ſed nullus reſpectus reális ad ſcientiam identificatur cum ſcibili: ergo nullus realis reſpectus identificatur cum ente á ſe in ordine ad ens ab alio: ergo ens diuinum eſt abſolutum ab omni ordine ad terminum á ſe diſtinctum. Maior probatur, quia ſolúm ſcibile eſt menſura humanæ ſcientiæ, vt ait Philoſophus, ex obiecto enim & potentia paritur cognitio, & ab eo quod res eſt, vel non eſt, propropoſitio dicitur vera, vel falſa, vnde ſequitur menſuram veritatis, quę eſt in mente, eſſe veritatem obiectiuam: Deus autem, qui eſt ens á ſe neceſſarió exiſtens, eſt menſura rerum omnium, tùm

quia

quia in genere entis eſt primùm ens, & id, quod eſt in primum in omni genere, eſt menſura cæterorum, vt dicitur in quinto metaphyſicæ, túm quia ens á Deo diſtinctum habet eſſe participatũ, Deus verò habet eſſe per eſsentiam, adeoque res creatæ éo magis, vel minús participant eſſe, quo magis vel minùs accedunt ad Deum, qui habet omne eſſe, ergo Deus non refertur ad aliquid á ſe ádæquaté diſtinctum per reſpectum realem, ſed ſolúm per reſpectum rationis; quatenús craatura habet realem reſpectum ad Deum, eo modo, quo ſcibile refertur ad ſcientiam per realem reſpectum, quo ſcientia reſpicit ſcibile, tanquã menſura menſurabile, quod eſt exemplum adductum ab Ariſtotele, & citatum á S. Thoma in hac materia.

5. Dico ſecundó: Omnis ſubſtantia creata includit eſſentialiter relationem ad Deum, quæ eſt ordo tranſcendeutalis creaturæ ad Deum.

6. Probatur primò: Omnis ſubſtantia creata eſt talis eſſentialiter, vt non poſſit exiſtere Deo non exiſtente, á quo dependet eſſentialiter in fieri & conſeruari, ergo habet eſſentialiter identificatã relationem ad Deum. Conſequentia probatur, túm quia relatiua ſunt illa, quorum eſſe eſt ad aliud ſe habere: ergo quidquid non poteſt exiſtere alio non exiſtente, eſt eſſentialiter relatiuum, túm quia intellectus eſt eſsentialiter relatiuus ad intelligibile; ſenſus ad ſenſibile; vnio & actio ad extrema, quibus non exiſtentibùs non exiſtunt.

7. Probatur ſecundó: Omne ens creatum eſſentialiter eſt ens ab alio, adeoque non ſibi ſufficit ad exiſtendum, ergo eſſentialiter eſt relatiuum. Conſequentia probatur, quia eſsentialiter exigere eſse ab alio eſt formaliſsimè reſpicere aliud, ſed illud, á quo exigit eſse ens creatum, ſiue ab alio,

eſt

eſt ens á ſe, ergo ens ab alio, quod eſt eſsentialiter ens creatum, eſt relatiuum eſsentialiter ad ens á ſe, adeoque habet identitatem cum hoc ordine, ſicuti habet identitatem cum ratione creati.

8. Neque dicas ſubſtantiam creatam eſse rerelatiuam ad Deum per relationem dependentiæ realiter diſtinctam, adeoque non eſse formaliter relatiuam, ſed ſolum radicaliter, & exigitiué: contra enim eſt primò, quia eatenús eſt relatiua, quatenús eſt dependens, ſed per ſeipſam formaliter eſt dependens, cum per ſeipſam formaliter ſit ens áb alio, à quo non præſcindit conceptus entis creati, ergo per ſeipſam formaliter eſt relatiua: ſecundò ad hominem, ſi ſubſtantia creata exigit eſsentialiter habere relationem ad Deum, eſt formaliter relatiua, quid enim eſt aliud exigere, & habere reſpectum ad aliud, niſi illud reſpicere? ſed per te exigit: ergo &c.

9. Probatur tertió: Omnis ſubſtantia creata eſt eſsentialiter imperfecta, ergo eſsentialiter relatiua ad Deum. Conſequentia probatur primó, quia ens eſsentialiter indigens, quale eſt ens creatum, & imperfectum, eſsentialiter reſpicit ens eſsentialiter abundans, & opulentum, quale eſt increatum, videlicet Deus: ſecundò, quia ens imperfectum non eſt gratia ſui, ſed gratia alteriús, ergo debet eſsentialiter ordinari ad aliud, cuius gratia eſt: tertió quia ens imperfectum eſt eſsentialiter ſecundum ens, ſupponit enim aliud ens perfectiſſimum, quod eſt primum ens, ergo eſsentialiter eſt relatiuum ad primum ens, quod ſupponit, quia ſecundúm non poſse eſse ſine primo.

10. Dico vltimó: Omne accidens habet eſsentialiter identificatam relationem ad aliud á ſe diſtinctum.

11. Pro-

11. Probatur euidenter ex dictis; túm quia hanc relationem habet ſubſtantia creata, vt oſtenſum eſt, túm quia accidens eſt eſsētialiter entis ens, hoc eſt ens in alio, & gratiâ alterius; eſsentialiter ordinatum ad ſubſtantiā intrinſecé perficiendam: hinc eſt, quód in genere entis ſolúm ens á ſe habet eſse abſolutum, quia eſt primum & perfectiſsimum ens: cætera habent eſse relatiuum, quod prætereávagatur per omnia prædicamenta & conſtituit relationem tranſcendentalem.

12. Obijcitur primó: ens relatiuum, vt ait Philoſophus in 4. Metaphyſicæ, habet eſse debiliſſimum & poſteriús omni prædicamento: ſed illud, quod habet eſse debiliſsimum, non poteſt identificari cum ſubſtantia, quæ habet eſse per ſe, ergo eſse relatiuum non identificatur cum omni ſubſtantia creatá.

10. Reſp. diſt. ma: Eſse relatiuum identicé & realiter habet eſse debiliſſimum: nego ma: præciſiué & formaliter: conc: ma: & diſtincta eodem pacto mi: nego conſ: illud, quod præciſiué & formaliter conſideratum habet minimum eſse, poteſt habere identitátem realem cum aliquo ente, quod habet magnam perfectionem, vt eſt euidens in omni ente creato, in quo ſunt ſimul identicé perfectio, & imperfectio: itá tota perfectio Angeli ſupremi, quæ in genere perfectionis limitatæ ſine dubio eſt magna perfectio, habet identitatem cum imperfectione, á qua non præſcindit eſse Angelicum: rogo nunc arguentem, an eſse relatiuum formaliter, & præciſiué acceptum ſit eſse adeo debile, ſicuti eſt imperfectio, quæ accepta formaliter nullum habet eſse, & tamen inperfectio habet identitatem cum tota perfectione Angeli, cur ergo non poterit eſse relatiuum identificari

cum ſubſtantia;hinc eſt, quód omne ens creatum eſt eſsentialiter imperfectum, quia eſt eſsentialiter identificatum cum relatione ad aliud ens,á quo eſsentialiter dependet, & quia creſcente dependentia, quæ creſcit créſcente perfectione creaturæ, creſcit etiam relatio, adeoque imperfectio, ideo omnis creatura, quo magis creſcit ſecundúm aliquam perfectionem, eo magis creſcit ſecundúm imperfectionem dependentiæ, adeoque ſemper habet perfectionem coniunctam cum imperfectione.

14. Obijc. ſecundó: eſſe relatiuum ſupponit eſſe abſolutum, in quo ſemper fundatur, ergo eſſe relatiuum non vagatur per omnia entia creata, ergo datur aliqua ſubſtantia creata non relatiua, Conſequentia probatur, quia ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe, eſt primum ens, ſed primum ens habet eſſe abſolutum, ergo &c.

15. Reſp: conc: ant: & nego conſ: argumentum nihil concludit probando dari aliquod ens abſolutum creatum, in quo fundatur eſſe relatiuum: & ratio eſt, quiá debet vtique dari aliquod eſſe abſolutum, quod non ſit relatiuum; vt omne relatiuum fundetur in aliquo abſoluto; huiuſmodi ens eſt Deus, qui eſt ens perfectiſsimé abſolutum, & nullatenús relatiuum: in hoc fundatur totum eſſe relatiuum, quod oſtenſum eſt identificari cum omni ſubſtantia creata. Cæterum ſicuti ineptè diſcurreret, qui diceret; omne imperfectum, ſiue habens eſſe ab alio fundari debet in ente perfecto, quod habet eſſe á ſe: ſed datur creatura imperfecta habens eſſe ab alio: ergo etiam datur creatura habens eſſe á ſe; malè inquam diſcurreret, quia loco probandi exiſtentiam entis perfectiſsimi habentis eſſe à ſe, probaret exiſtentiam creaturæ perfectiſsimæ, quæ eſt chimæra; itá malè concludit,

qui-

quicumque itá diſcurrit: eſſe relatiuum fundatur in aliquo abſoluto, ergo debet dari ſubſtantia creata non relatiua; conſequentia eſt falſa, quia potiús ex veritate antecedentis inferri debet hæc alia conſequentia, ergo datur ſubſtantia increata non relatiua. Ad probationem conſeq: diſt: mai: eſt primum ens ſimpliciter, & in omni genere: nego mai: eſt primum ſecundúm quid, ſiue in ſuo genere: conc: ma: & diſt: mi: nego conſ: Primum ens, quod eſt ſimpliciter & in omni genere primum, eſt ſolus Deus; omnis ſubſtantia creata eſt primũ ens ſecundúm quid, ſiue in ſuo genere, quia eſt ſubiectum ſuorum accidentium, ergo &c.

16. Obijc. tertió: Eſſe in alio, quod eſt formaliſſimé eſſe accidentale diſtinguitur realiter á ſubſtantia, ergo eſſe ad aliud, quod eſt formaliſſimé eſſe relatiuum, diſtinguitur realiter á ſubſtantia; Conſ: prob: quia eſſe relatiuum eſt eſſe accidentale: ſed hoc diſtinguitur: ergo etiam illud.

17. Reſp: conc: ant: & nego conſ: Diſparitas eſt euidens, quia ex identitate accidentis cum ſubſtantia ſequitur ſubſtantiam eſſe infinité perfectã; vt patet euidenter in ea hypotheſi, in quá daretur intellectio indentificata cum intelligente: hoc non ſequitur ex identitate entis relatiui cum ſubſtantia, immò ſequitur oppoſitum, quia eſse relatiuum de ſuo formali conceptu eſt eſſe debelliſsimum, ideó debet identificari cum ſubſtantia creata eſsentialiter imperfecta. Ad probationem conſeq: diſt: ma: eſſe relatiuum relatione prædicamentali eſt eſſe accidentale: conc: ma: eſſe relatiuum relatione tranſcendentali eſt eſſe accidentale: iterum diſtinguo: omne eſſe relatiuum: nego mai: aliquod eſſe relatiuum: conc: ma: & mi: & nego conſ:

18. Obij. vltimo; eſse relatiuum definitur per

 ordi-

ordinem ad aliud ponēdo in eius definitione terminum,ad quem refertur:ſed nulla ſubſtantia definitur per ordinem ad aliud , quia huiuſmodi definitione definiuntur accidentia, ergo nulla ſubſtantia eſt eſsentialiter relatiua.

19. Reſp: conc: ma: & diſt: mi: nulla ſubſtantia ſub conceptu ſubſtantiæ definitur per ordinem ad aliud : conc: mi: ſub conceptu entis creati:nego mi:& conſ: Ad huius euidentiam ſciendum eſt, quód eſse relatiuum & eſse abſolutum ſunt duo conceptus formales inter ſe diſtincti: hinc eſt, quód duplex conceptus poteſt abſtrahi á ſubſtantia creata : vnus eſt entis ſubſtantialis & ſub hoc conceptu intelligitur ſubſtantia : alius eſt entis dependentis,quando definitur per ordinem ad Deum.

DE

DE ENTE NEGATIVE IMMATERIALI.

Procœmium.

ALteram Metaphyſicæ partem tractare aggredior, in qua opus habeo ea diſcutere, quæ ſpectant ad intelligendam naturam Entis imaterialis, quod nimirùm eſt ſegregatum ab omni labe materiæ: cum enim, vt in huius voluminis exordio præfatus ſum, prædicatum entis immaterialis duobus modis vſurpari poſsit, præciſiué nimirum, quatenùs præſcindit à materialitate, & negatiuè, quatenùs negat materialitatem, ſiue concretionem ex forma, & materia, in poſtrema huius operis parte debeo paucis exponere naturam entis negatiuè immaterialis, quia de ente præciſiué immateriali ſatis hucuſque diſputatum fuit. Quid ſit ens immateriale, conſtat ex ijs, quæ docui in tom. 3. diſp. 10. qu. 1. vbi demonſtraturus immaterialitatem animæ rationalis plura egi de ratione entis immaterialis. Exiſtentiam entis immaterialis præter ea, quæ ibidem demonſtraui, apertè demonſtrat exiſtentia rerum materialium, quæ eſsentialiter ordinantur ad res immateriales. Ens immateriale aliud eſt creatum, aliud increatum: de vtroque hic agendum pro complemento huius curſus Philoſophici.

DISPVTATIO DECIMA.

De intelligentijs ſiue Angelis.

IN nobiliſsimo rerum genere ſunt ſubſtantiæ adæquatè immateriales, quas ſacræ literæ Angelos, profanæ intelligentias apppellant: de iſtis agere ad Metaphyſicam ſpectat res immateriales contemplantem.

QVAESTIO I.

Quid ſint, & an ſint Angeli.

1. NOmine Angeli ſignificatur ſubſtantia creata adæquaté immaterialis, quæ nimirum non poteſt eſſe alicuius corporis forma, id enim inter Angelum, & animam rationalem intereſt, quòd anima rationalis, licet immaterialis, eſt forma corporis; hominem enim conſtituit; Angelus veró nullius corporis eſt forma: quo fit, vt anima rationalis ſit incompleta in genere ſubſtantiæ, adeoque ſit imaterialis intranſitiué, & materialis tranſitiué: Angelus veró ſit ſubſtantia completa adæquaté immaterialis. Quia veró ſubſtantia immaterialis eſt ſubſtantia, quæ

agit

agit vitam intelligentem, vt conſtat ex noſtro tractatu de ente immateriali, ideó natura Angeli eſt natura ſubſtantiæ intelligentis: hinc huiuſmodi ſubſtantiæ, quas angelicas appellamus, aliquando vocantur ſpiritus, quia ſunt mentes ab omni corporis contagione ſeiunctæ; aliquandó intelligentiæ, quia ſunt mentes ad omnia intelligenda ordinatæ; aliquandó Angeli quiá res diuinas hominibus denunciant, Deus enim *vti* ſolet miniſterio huiuſmodi Spirituum ad homines edocendos, eoſque de rebus præſertim diuinis illuminandos. Exiſtere in rerum natura Angelos á Deo in ipſo mundi naſcentis exordio conditos, nullus eſt Catholicus, qui audeat in dubium vocare, nihil enim nobis magis inculcant ſacræ paginæ, quám exiſtentiam huiuſmodi Spirituum, quorum alij æterno torquentur ſupplicio, ij nimirúm, qui á ſuo conditore, cum primum fuere conditi, turpiſſimé rebellarunt; alij fruuntur diuini vultus aſpectu: qui videlicet nullum Dei præceptum violarunt. Præterea ipſe Deus, ante quam noſtra indutus mortalitate mundum intraret, ſolitus erat cum genere humano, quod ſæpe contingebat, per Angelos colloquia ſerere, vt accidiſse Abrahamo, & Moyſi ſacra nobis Hiſtoria teſtatur. Non eſt adeó certum, ſpectato naturæ lumine Angelos exiſtere, eoſque non repugnare, cum plurimi Philoſophi, & præſertim ex illorum grege, qui pecudum more in terram proni, ventrique obedientes mentem á ſenſu erigere non valuerunt, nihil aliud opinantes in hac rerum vniuerſitate exiſtere, præter corpora, quæ nobis incurrunt in oculos. Dubium eſt igitur, an lumine naturæ conſtet Angelorum, exiſtentia.

2. Ratio dubitandi eſt primó, quia luminæ na-

turæ conſtat non poſſe Angelos exiſtere; ergo non conſtat lumine naturæ Angelos exiſtere. Antec: prob: luminæ naturæ conſtat, ſubſtantiam creatam non poſſe carere omni compoſitione; ſed ſubſtantia Angeli eſt ſubſtantia carens omni compoſitione, quia caret omni materialitate, quæ eſt principium compoſitionis; ergo lumine naturæ conſtat Angelum eſſe chimæram.

3. 2. Angeli, ſi exiſtunt; ſemper, vel non ſemper fuerunt: ſi ſemper fuerunt, á Deo non fuerunt producti, quia Deus nihil produxit ab æterno; quód ſi à Deo producti non fuerunt, ſunt chimærá, quia repugnat aliquod eſſe á Deo diſtinctum non productum á Deo; ſi non ſemper fuerunt, tunc eſſe incæperunt, quandó mundus incæpit eſſe; ergo non ſunt adæquatè immateriales, quia res adæquatè immaterialis debet eſſe, ante quamcumque rem materialem, ergo &c.

4. Tertiò: ex motu orbium cæleſtium nobis nequaquám conſtat Angelos exiſtere, tùm quia Orbes Cœleſtes poſſunt moueri immediatè á Deo, vel ab aliqua virtute ſibi intrinſeca, túm quia motus orbium Cœleſtium non probat neceſſitatem alicuius intellectus ſibi aſſiſtentis, ergo &c.

5. Quartó: ens intellectiuum ſeparatum á ſenſu eſt ſolus Deus, qui eſt in ſupremo intelligendi vertice, ergo nullus Angelus poteſt exiſtere. Conſequentia probatur, quia ſi Angelus eſt intellectus ſeparatus á ſenſu, Angelus eſt impoſsibilis: antec: probatur, intellectus ſeparatus á ſenſu nullam á ſenſu accipit ſpeciem; adeoque nullam ſpeciem accipit á rebus, quas cognoſcit; ſed intellectus, qui non accipit ſpecies á rebus, quas cognoſcit, eſt ſolus intellectus diuinus; non enim habet

indi-

in digentiam alicuius rei á ſe diſtinctæ ad intelligendum quidquid intelligit, ergo &c.

6. Quintò: lumine naturæ non conſtat Angelos exiſtere, licet conſtet poſſe exiſtere; ergo ſecluſo lumine fidei non eſt verum Angelos exiſtere. Ant: prob: túm quia non conſtat exiſtere, quidquid poteſt exiſtere; multa enim poſſunt eſſe, quæ non ſunt; túm quia mundus eſſet perfectus, etiamſi nullus eſſet Angelus; ſicuti modo eſt perfectus, etiamſi non exiſtat Angelus perfectior ſupremo Angelo, qui vtique poteſt exiſtere, ergo &c.

7. Vltimó: ad perfectionem mundi, & rerum creatarum, quæ in mundo exiſtunt, earum perfectam notitiam, ſatis eſt exiſtentia animæ rationalis: ergo non probatur ex capite mundi, qui ab aliquo intellectu creato debet perfecté cognoſci, exiſtentia Angeli. Antec:prob: quia anima rationalis eſt ſubſtantia, quæ poteſt omnia intelligere:ergo omnia poteſt cognoſcere,totum mundum, & omnia quæ in mundo ſunt: ergo non eſt neceſſaria exiſtentia Angelorum.

8. Noſtra ſententia, quám ſequitur S.Thomas in prima parte quæſt.5, artic.1. eſt Angelorum exiſtentiam conſtare lumine naturæ; indè eſt,quòd Philoſophi nulla luce veritatis reuelatę aſperſi Angelos exiſtere crediderunt, vt omnes Peripatetici, qui in hac fuere ſententia, quód orbes Cœleſtes ab intelligentijs moueantur, & Platonici, qui agnouerunt ſubſtantias ſeparatas ab omni labe materialitatis.

9. Duplicem viam opus eſt ingredi, ad confirmandam veritatem huius noſtræ ſententiæ: aliam ex Angelorum non repugnantiá,aliam ex eorum exiſtentiá ductam; vtrumque enim promiſcue oſtendendum eſt; nimirúm nihil eſſe, vndé repugnet

pugnet ſubſtantia creata adæquatè immaterialis, præterea eam exiſtere, ne dum poſſe exiſtere.

10. Non repugnantiam Angelorum, qui ſunt ſubſtantiæ adæquatè immateriales, hoc diſcurſu demonſtro. Angelus, ſi eſſet chimæra, conſtaret ex prædicatis inuicem pugnantibus; id autem eſt euidentèr falſum: quia Angelus eſt ſubſtantia creata adæquatè immaterialis; ſed ſubſtantia creata adæquatè immaterialis non includit prædicata inuicem pugnantia: ergo &c. Min: prob: quia prædicatum entis adæquatè immaterialis, neque repugnat enti abſtractiſſimè conſiderato, neque repugnat enti creato: non enti abſtractiſſimè conſiderato, aliter ens adæquatè immateriale eſſet ens, quòd ſimul non eſſet ens, adeóque eſſet chimæra; ens autem adæquatè immateriale non eſt chimæra, quia repugnat eſſe chimæram illud ens, quod neceſſe eſt exiſtere; repugnat enim non poſſe exiſtere id, quód non poteſt non exiſtere; ſed illud ens, quód neceſſe eſt exiſtere, eſt adæquatè immateriale, vt oſtendemus agentes de exiſtentia Dei: ergo ratio entis adæquatè immaterialis non excludit rationem entis. Demonſtrato, non poſſe ens adæquatè immateriale excludere rationem entis: ſupereſt demonſtandum non excludere rationem entis creati, vt breuiſſimè demonſtro. Illud tantùm prædicatum excludit rationem entis creati, & non excludit rationem abſtractiſſimam entis, quod in ſuo formali conceptu inuoluit independentiam ab alio ente, & infinitam perfectionem, cum enim ens creatum ſit dependens, adeóque perfectionis limitatæ, manifeſtum eſt rem illam, quæ ex duplici prædicato conſtat, altero excludente independentiam, adeòque infinitam perfectionem, altero includente eandem

inde-

independentiam eſſe chimæram; ſed conceptus entis adæquaté immaterialis non eſt conceptus entis ab alio independentis, neq; entis infinité perfecti, quod ex pluribus capit. conſtat, primó, quia non eſt neceſſe, vt ſemper fuerit res adæquatè immaterialis; quæ enim connexio datur inter naturam entis adæquaté immaterialis, & ſempiternam, adeóque improductam ipſius exiſtentiam? ſecundó, quia in genere entis adæquaté materialis poteſt dari maior, & minor perfectio, vt datur in genere entis adæquaté materialis: tertió, quia ens adæquaté immateriale non eſt ſimpliciſſimum ens; poteſt enim aliquid eſſe immateriale adæquaté, & non eſſe ſimpliciſſimum: eſt igitur manifeſtum rationem entis adæquaté immaterialis non opponi rationi entis creati, adeóque ens creatum adæquaté immateriale non eſſe chimæram: ſi enim eſſet in rerum natura ens adæquaté immateriale, quantùmuis creatum, non proindé eſſet ſimul, & non eſſet, ſicut eſſet ſimul, & non eſſet res creata, quæ duraret per durationem indiuiſibilem, vt docui in tom.2. diſp.15. qu 3. num.8. 9. & ſeq.

11. Vrgetur vlteriùs idem argumentum, oſtendendo non repugnare ens creatum adæquaté immateriale: non repugnat enti creato ſubſtantia, quæ intelligat in quolibet ſtatu ſine vlla dependentiá à ſenſibus; ſed ſubſtantia adæquaté immaterialis eſt ſubſtantia, quæ in quolibet ſtatu intelligit ſine dependentia à ſenſibus; ergo enti creato non repugnat ſubſtantia adæquaté in materialis. Ma:prob:non repugnat enti creato ſubſtantia, quę in aliquo ſtatu intelligit dependenter á ſenſibus, vt ex Anima rationali conſtat, quæ in ſtatu vnionis cum corpore mortali nihil poteſt intelligere ſine phan-

phantaſmate: ergo neque repugnat enti creato ſubſtantia intelligens in omni ſtatu independenter á phantaſmate; cui enim non repugnat minús perfectum, neque repugnat magis perfectum; cum ergo non repugnet enti creato intellectus, qui intelligit dependenter á ſenſibus, neque repugnabit intellectus intelligens independenter á ſenſibus, qui eſt perfectior intellectus. Addo, quód ad intelligendum per cognitionem diſtinctam ab intelligente, non eſt neceſſe accipere ſpecies á ſenſibus: prætereá non eſt neceſſe, vt ſubſtantia, quæ omnia intelligit independenter á ſenſibus, omnia intelligat per cognitionem indiſtinctam, cum hæc duo non ádeó ſint connexa, vt vnum ex alio ſequatur; quód ſi aliqua ſubſtantia poteſt omnia intelligere independenter á ſenſibus, & intelligere per cognitionem diſtinctam, poterit huiuſmodi ſubſtantia eſſe creata, ſolus enim intellectus, qui intelligit per cognitionem indiſtinctam, eſt increatus, non eſt igitur cur repugnet ſubſtantia creata adæquaté immaterialis; nimirúm intellectus creatus, qui omnia intelligat independenter á ſenſu; huiuſmodi autem intellectus eſt intellectus Angelicus; non repugnat igitur intellectus Angelicus, ſubſtantia nimirùm adæquatè immaterialis.

12. Ex ijs, quæ hucuſque diximus euideuter conſtat, Angelum non repugnare: nondúm tamen conſtat, ipſum exiſtere, quia in rebus contingentibus non valet conſequentia á poſſibilitate ad exiſtentiam; ideó neceſſe eſt, vt ex alio diſcurſu oſtendamus exiſtere Angelum, ſiué ſubſtantiam creatam adæquaté immaterialem. Multa ſunt, ex quibus poſſumus venire in notitiam Angeli exiſtentis: primó tota hæc rerum creatarum vniuerſitas,

ſitas, quæ conſtat ex ſubſtantijs inadæquaté materialibus, nimirùm ex hominibus, qui licèt habeant corpus cum cæteris rebus corporeis commune, mentem habent capacem omnia cognoſcere, quæ omnium corporum naturam excedit, vt oſtenſum eſt in tom.3. diſp.10. quæſt.1. 2. & 3. in lib. de Anima, debet igitur conſtare ex ſubſtantijs adæquaté immaterialibus, quia res materiales ordinantur ad immateriales, vt ad finem ſaltém vtilitatis, vt demonſtratum eſt in lib. de mundo, & Cœlo tom.2.diſp.18. quæſt.1.& 2.nu.5. & ſeq.ſed in mundo ſunt ſubſtantiæ adæquaté materiales ordinatæ ad immateriales; ergo in mundo debent exiſtere ſubſtantiæ immateriales, non ſolúm in adæquaté, ſed etiam adæquaté; debet enim eſſe maior perfectio in fine, quam in medijs: cum ergo finis ſubſtantiæ materialis ſit ſubſtantia immaterialis, & ſubſtantia adæquaté immaterialis ſit perfectior, quám ſubſtantia inadæquaté immaterialis; conſequens eſt, eſſe in mundo ſubſtantias immateriales creatas, non ſolùm in adæquaté, ſed etiam adæquaté immateriales.

13. Secundó: in genere corporum dantur corpora perfecta, & imperfecta, vt ex ijs conſtat, quæ ſunt infrá, & ſuprá orbem Lunarem: ergo in genere Spiritus dantur Spiritus perfecti, & imperfecti; ſed Spiritus imperfecti ſunt mentes humanæ, quæ non poſſunt aſſequi perfectionem ſibi debitam niſi corpora informent, & Spiritus perfecti ſunt mentes Angelicæ, ſubſtantiæ nimirùm completæ nullius phantaſmatis habentes indigentiam: ergo in mundo exiſtunt præter animas humanas, Angeli. Conſequentia eſt manifeſta; cúm enim in genere Spiritus ea ſit habitudo ſubſtantiæ adæquaté immaterialis ad ſubſtantiam inadęquaté imma-

materialem, quæ in genere corporis inuenitur inter corpora ſuperiora, & inferiora: in genere autem corporum conſtat, eſſe corpora, non ſolúm inferiora, ſed etiam ſuperiora, igitur neceſſe eſt, in genere Spiritus dari Spiritus, qui animant corpora, nimirúm mentes humanas, & Spiritus, qui præſident corporibus cœleſtibus mouendis, nimirúm mentes Angelicas.

14. Tertió: eſt manifeſtum ordinem rerum immaterialium eſſe longé pulchriorem, & longé meliùs diſpoſitum ordine rerum materialium; cum enim iſte mundus, quem ante oculos gerimus, ſit opus ſapientiſſimi artificis, nefas eſt credere, maiorem adhibitam curam in rebus materialibus, quàm in rebus immaterialibus fabricandis; quis autém non videat ordinem, multitudinem, & elegantiam rerum, quæ in oculos incurrunt, eſſe plané admirabilem? quot é ſinu terræ ſtirpes, olera & arbores funduntur? quis metalla referat? quibus montium viſcera inaurantur? quis elementorum virtutem, copiam, & fœcunditatem? quis eſt, qui non admiretur tot, & tanta rerum partim in aqua, partim in terra viuentium genera? non ne eſt infinita pœne dixerim belluarum piſcium, & volucrum multitudo, ac varietas? quid dicam de Aſtris, quæ curſu nunquam intermiſſo immenſos orbes peragunt? quid de grandioribus planetis orbem elementarem ſua luce fouentibus? quanta eſt cœleſtium corporum magnitudo, forma, & celeritas? ſi ergo tanta eſt in ordine infimo, qui eſt ordo corporum; multitudo, varietas, & dignitas rerum: neceſſe eſt, vt in ordine ſupremo, qui eſt ordo rerum immaterialium, Deus fabricauerit ſubſtantias longè nobiliores, quæ numero, varietate, órdine, &

pul-

pulchritudine componat mundum intelligibilem, cui comparatus hic mundus ſenſibilis eſt veluti vmbra ſplendentiſſimo ſoli comparata. Quòd ſi ad ordinem rerum immaterialium non ſpectarent niſi illæ Animæ, quæ noſtra vegetant corpora, & mentes illæ, quæ ſpeculantur phantaſmata, non eſſet in ordine immateriali illa varietas, illa multitudo, & illa ſpecies, quæ eſt in ordine materiali, cum omnes Animæ ſint eiuſdem ſpeciei.

15. Quartò; in hac tota vniuerſitate rerum debet eſſe aliquis intellectus creatus, qui comprehendat mundum, eumque cognoſcat, quantùm cognoſci poteſt; aliter eſſet aliquid à Deo productum, non producta virtute illud cognoſcente, quod repugnat; cum enim repugnet á Deo fieri id, quód ad eius cognitionem non conducit, ſi quid eſſet in mundo, quod á nullo cognoſceretur intellectu, non omnia ſui conditoris notitiam parerent, quantúm parere poſſunt; quo fit, vt Deus operando extrá ſe habeat neceſſitatem producendi eam naturam rationalem, quæ poſſit, & debeat comprehendere, quidquid exiſtit diſtinctum à Deo; quia veró humanus intellectus, pro vt imperfectus & accipiens cognitionem á ſenſu, non poteſt naturà ſuá totum mundum comprehendere; conſequens eſt, vt exiſtat alius intellectus, qui intelligit ſine conuerſione ad phantaſmata, nimirúm Angelicus. Addo ad perfectam mundi fabricam eſſe congruétiſſimam Angelorum exiſtentiam, quia in ordine rerum intelligentium ſupremum locum habent intellectus Diuinus, vltimum humanus; medium Angelicus: quód ſi Deus nullum aliam mentem præter humanam produxiſſet, ordinem intelligibilem valdè imperfectum

condi-

condidiſſet, in quo nimirùm eſſet infimus, & ſupremus gradus ſine intermedio.

16. Vltimò: conſtat Angelorum exiſtentia ex varijs effectibus, qui non poſſunt emanare, niſi ab aliquo intellectu creato nullius corporis formá: experimur enim orbes cœleſtes perpetua vertigene agitari, ſuaſque periodos ordinato motu conficere; quod eſt certiſſimum argumentum alicuius mentis á ſuprema mente eiſdem mouendis deſtinatæ, vt oſtenſum eſt in tom. 2. de Mundo & Cœlo diſp. 19. quæſt. 2. num. 3. huiuſmodi mens debet ab omni corporis labe eſſe immunis, quia fieri non poteſt, vt corpora eius molis, id eſt ampliſſimæ, qualis ſunt orbes cœleſtes, aliquod vitæ genus exerceant. Præterea nemo eſt, qui dubius ſit, an plurima fiant dęmonis operá, vt accidit in illis, qui profitentur artem magicam, in energumenis, in quos maligni ſpiritus irrumpentes linguam ſoluunt ad loquendum ignoto, & peregrino idiomatè, & ad plura reuelanda, quæ mente humaná intelligi non poſſunt.

17. Ex quibus omnibus ſatis apertè liquet veritas iſta, quám fides Catholica de Angelorum exiſtentiá docet. Eorum multitudo eſt valdé incerta: veteres philoſophi, inter quos eſt Ariſtotelis, in ea fuere ſententia, quód numerus Angelorum eſſet exiguus, vtpoté reſpondens orbibus cœleſtibus, quibus regendis pręficiuntur: quaſi tot ſolúm forent Angeli, quot ſunt cœli. Nobis conſtat ex ſacris literis Angelorum multitudinem eſſe maximam, eamque in triplicem Hierarchiam, & nouem choros eſſe diuiſam, adeó vt ſingulis Hierarchijs tres Chori reſpondeant: quanta ſit Angelorum ſingulos Choros componentium multitudo, non eſt facilé definire: placet mihi in

hac

hac re dubia diſcurſus Angelici Doctoris, qui ex Doctrina Dionyſij oſtendit in vltimo Choro, qui eſt infimus, eſſe longè plures Angelos, quàm ſint corpora in toto mūdo elemētari, & Cœleſti, exceſſus enim Angelorum ſpectantium ad Choros ſuperiores eſt tàtò maior numero Angelorum componentium inferiorem Chorum, quantò eſt maior numerus huiuſmodi Angelorum numero rerum materialium. Ecce S.Thomæ diſcurſus aliquantulùm illuſtratus: res, quò ſunt perfectiores, eò magis excedunt res, quæ ſunt imperfectiores, quia res minùs perfectæ ordinantur ad res magis perfectas: iſte exceſſus poteſt attendi ſecundùm quantitatem continuam, vel diſcretam; ideò res magis perfectæ excedunt minùs perfectas in quantitate continua, vel diſcreta: quia verò in rebus adæquatè immaterialibus, quæ non ſunt capaces extenſionis, nullum habet locum quantitas continua; ideò in rebus adæquatè immaterialibus ea, quæ ſunt magis perfecta, debent excedere in quantitate diſcreta ea, quæ ſunt minùs perfecta, ſicuti in rebus materialibus ea, quæ ſunt magis perfecta, excedunt in quantitate continua minùs perfecta, vt videre eſt in hoc elementari mundo, vſque ad ſupremum orbem cœleſtem: terra enim eſt minor aqua: & aqua, minor aere: aer minor igne, & ignis orbe lunari; orbis autém lunaris eſt minor orbe ſuperiore, quo continetur, vſque ad orbem ſupremum, qui cæteros claudit: multitudo igitur Angelorum, qui ad vltimum Chorum ſpectant, eſt longè maior multitudine omnium corporum, & ſic deinceps philoſophandum eſt, vſque ad ſupremum chorum.

18 Hinc patet Angelorum numerum, vt ita dicam, eſſe innumerabilem, adeoque vniuerſita-

tem rerum immaterialium eſſe longé numeroſiorem omnium Corporum multitudine: quanta veró ſit eiuſdem vniuerſitatis pulchritudo, varietas, id facile cognoſci poteſt, quod ſinguli Angeli ſingulas conponunt ſpecies, vt ex ijs patet, quæ docuimus in Logicá de ſpecie immultiplicabile tomo 1. diſp. 8. quæſt. vlt. num. 7. & ſequ. quód ſi mundus iſte, quem ſenſibus vſurpamus, eſt adeo ſpectabilis propter tot, & tantas corporum ſpecies, quantó iucundior, & quantó pulchrior erit mundus ille, quem ſolus intellectus poteſt cernere, vbi ſingulæ ſubſtantiæ, quæ ipſum componunt, & ſunt propèmodúm innumerabiles, ſunt diuerſæ ſpecie.

19 Ad primum: Angeli ſunt ſubſtantiæ immateriales adæoque non conſtant ex forma, & materia; habent igitur eſſe completum modo quodam ſimpliciori, quam res materiales: non propterea ſunt purus, & ſimpliciſſimus exiſtendi actus; quia conſtant ex natura, & ſuppoſito, adeoque radix alicuius compoſitionis eſt conceptus rei creatævt oſtenſum fuit in tomo 2. diſp. 6. quæſt. 1. & 2.

20 Ad ſecundum: Angeli non fuerunt ſemper, quia repugnat fuiſſe ſemper rem creatam vt conſtat ex tom. 2. diſp. 18 quæſt. 1. num. 7. an fuerint producti ante, vel poſt mundi quem videmus, fabricam eſt dubium: eoſdem ante mundi originem conditos exiſtimarunt plurimi ex Sanctis Patribus præſertim Græcis, quos eruditè refert Sixtus ſenenſis in lib. V. Bibliothecæ Sanctæ: longé tamen probabilius eſt, fuiſſe conditos vna cum creatura corporea, vt cum ferè omnibus Theologis cenſet S. Thoma in prima parte quæſt. 61. art. 3. vbi hæc habet, *Angeli ſunt quadam pars vniuerſi, non enim conſtituunt per ſe vniuerſum, ſed tam ipſi quam creatura*

atura corporea in conſtitutionem vnius vniuerſi conueniunt, quod apparet ex ordine vnius creaturæ ad aliam: ordo enim rerum ad inuicem eſt bonum vniuerſi, nulla autem pars perfecta eſt à ſuo toto ſeparata: non eſt igitur probabile, vt Deus, cuius perfecta ſunt opera, creaturam Angelicam ſeorſim ante aliam creaturam creauerit. Huc vſque S Thomas: non propterea Angeli ſunt ſubſtantiæ materiales, quia ex materiá non conſtant.

21 Ad 3. orbes Cœleſtes non poſſunt ab intrinſeco moueri, vt oſtenſum eſt in tomo 2. diſp. 19. quæſt. 1. & 2. debent igitur moueri ab aliqua mente, quæ eſt intellectus Angelicus, quia mundus eſſet imperfectus, ſi nulla foret cauſa ſecunda, quæ immediatè produceret motum orbium Cœleſtium.

22 Ad 4. intellectus á ſenſu ſeparatus non eſt ſolus intellectus diuinus, quia licet intelligere ſine aliqua ſpecie vni Deo conueniat, intellectus, qui non eſt forma corporis, poteſt omnia intelligere per ſpecies à Deo acceptas.

23 Ad 5. Mundus non eſt perfectus, ſi non eſt in mundo virtus cognoſcitiua adæquans Mundi cognoſcibilitatem, vt eſt indubitatum, quia debet eſſe aliquis intellectus extrá Diuinum, qui comprehendat totum Mundum: quód ſi nulla eſſet ſubſtantia adæquatè immaterialis, nullus foret intellectus á Diuino diſtinctus, qui totum mundum comprehendat, cognitio enim comprehenſiua totius Mundi non debetur animæ rationali, ſiue intellectui, qui ſpeculatur phantaſmata: inde eſt, demontrari non ſolum poſſibilitatem, verum etiam exiſtentiã Angelorum: licet enim non exiſtat omne id, quod poteſt exiſtere, exiſtit, tamen quidquid ſpectat ad

perfectionem vniuerſi, alioquin Deus feciſſet Mundum imperfectum, ſi nullam condidiſſet ſubſtantiam rationalem, quæ totum mundum comprehenderet. Hinc patet diſpar ratio inter Angelos, quos produxit, & alios Angelos quos non produxit, illi enim ſunt neceſſarij ad perfectionem vniuerſi, ad quam iſti non ſunt neceſſarij, ſicuti enim Deus ex ſuppoſitione, quòd voluerit condere mundum in quo eſſent tot, & non plura corpora, debuit condére intellectum omnia comprehendentem, ita ex ſuppoſitione quod voluiſſet condere alium mundum perfectiorem, debuiſſet creare intellectum Angelicum perfectiorem.

24 Ad vltim: intellectus humanus non ſufficit ad eum finem, propter quem eſt conditus mundus, quia intellectus humanus non poteſt totum mundum naturæ viribus comprehendere, adeoque non tantum cognoſcit, quantum eſt cognoſcibile quidquid eſt factum á Deo; manifeſtum eſt igitur præter humanum intellectum eſſe alium intellectum longé ſublimiorem, qui totam huius Mundi perfectionem comprehendat: huiuſmodi intellectus eſt Angelicus; ideo in Mundo exiſtit ſubſtantia creata non ſolúm inadequaté, ſed etiam adæquaté immaterialis.

QVAESTIO II.

De Cognitione, & Locutione Angelorum.

1. FEſtinato ſtylo ea cogimur potius delibare, quám exacté perſequi, quæ ſpectant ad modum, quo Angeli cognoſcunt, & illos conceptus, quos ſecum ipſi formant, alijs viciſſim

ape-

aperiunt, eo fermé pacto, quó eſt vſitatum apud homines naturam habentes rationalem mutuis colloquijs ſuam ſibi mentem reuelare, id enim habent commune quæcumque intelligentem vitam accepere á natura, vt poſſint contrahere amicitiam, ſuique cordis arcana patefacere.

2. Eam eſſe omnium Angelorum naturam, vt modum habeant exiſtendi ampliſſimum, & rerum omnium gerant imagines menti ſuæ inſculptas, nemo in dubium vocabit, qui animo ea reuoluat, quæ in noſtro tractatu de anima diximus de ordine rerúm immaterialium in tomo 3. diſp. 10. quæſt. 1. num 6. & ſequ. hinc nullus eſt Angelus, qui ad omnia cognitionem ſuam non extendat, adeoq; facultatem cognoſcentem nō habeat ampliſſimam in cognoſcendo. Quoniam veró certiſſimá conſecutione vires appetentes ſequntur virtutem intelligendi, quilibet Angelus ea neceſſitate appetit bonum vniuerſale, qua cognoſcit verum vniuerſale: inde igitur conſtat ſingulos omnia intelligere, & omnia velle, vnde liquet eos fuiſſe naturam ſortitos immaterialem. Præterea nullum Angelum ex ijs, qui ex Theſauro Diuinæ Omnipotentiæ prodiere, itá omnia intelligere, vt cognitionem omnia intelligentem á ſuo habeat intellectu indiſtinctam, apertè deducitur ex ijs quæ fuerunt á nobis diſputáta in tractatu de vita tomo 3. diſp. 8. quæſt. 4. num. 5. & ſequ. vbi demonſtrauimus vitam á virtute indiſtinctam eſſe vitam ex omni parte infinitam, & conſequenter eſſe chimæram vitā creatam à viuente indiſtinctam. Reliquū eſt igitur, vt Angeli omnia intelligant per cognitionem diſtinctam: in hoc modo cognoſcendi nullum inuenio diſcrimen inter Angelos, & homnes: quiá veró neceſſitas cognitionis diſtinctæ, quà mens hu-

mana vrgetur ad omnia cognoſcenda, infert neceſſitatem alicuius formæ, quam vocant ſpeciem impreſſam eo fungentem munere, vt cum facultate cognoſcente pariat cognitionem, vt docui in tractatu de ſpecie impreſſa tomo 3. diſp. 13. quæſt. 2. & in tractatu de Cauſa obiectiua ibidem diſp. 14. quæſt. 2. & 3. id circo ipſi etiam Angeli indigent huiuſmodi forma ad intelligenda quæcumque intelligunt. Ratio à priori eſt eadem vtrobique, quia nullus eſt intellectus præter diuinum, qui contineat in ſe, & á ſe indiſtinctas omnium rerum perfectiones, nullus autem intellectus poteſt rem illam cognoſcere, cuius perfectionem non continet, neceſſe igitur eſt in omnibus Angelis eſſe diſtinctam, eiſque inhærentem aliquam formam, vnde omnia intelligant.

3. Non eſt tamén eodem modo philoſophandum de huiuſmodi ſpecie, quam exiſtere in menté Angelica perſuadent argumenta nunc propoſita; ac de illa ſpecie, quæ humanam mentem ad intelligendum iuuat, quia intellectus humanus, vt pote corporis forma, præſente phantaſmate illam ſibi ſpeciem elaborat, in cuius virtute ipſum phantaſma ſpeculatur, quæ eſt cauſa, cur idem intellectus accipiat ſcientiam á rebus ſub experientiam ſenſuum cadentibus, adeoque ſtatim non aſſequatur veritatem rei, quam appetit cognoſcere: quó fit vt ſpecies illa, cuius opera vtitur ad intelligendũ, ſit valdè imperfecta, eaque propter eum manuducat ad imperfectiſſimam cognitionem rerum immaterialium. Huiuſmodi ſpecies nulla eſt in Angelico intellectu, qui nullum habet nexum cũ ſenſu: nulla enim ſunt phantaſmata, quæ Angelus ſpeculetur: ſupereſt itaque, vt ſpecies, quæ Angelicam mentem ad intelligendum excitat, naturam habeat

diuer-

diuerſam ab illa ſpecie, quæ noſtrum mouet intellectum: non leuis tamen difficultas eſt in explananda huiuſmodi ſpeciei natura.

4 S. Thomas hunc diſcurſum adhibet, qui viã nobis apperit ad ſpecies iſtas, quæ ſunt in intellectu Angelico, pro viribus noſtris dignoſcendas. Modus cognoſcendi eó eſt magis perfectus, quó eſt magis amplus & vniuerſalis; illa igitur cognitio, quæ eſt ſpecies expreſſa obiecti eſt nobilior, quæ ad plura extenditur: quia veró defectus claritatis eſt magna cognitionis imperfectio, cum omnem cognitionem illuſtret claritas & perſpicuitas; ideó illa cognitio, quæ non ſolúm plura cognoſcit, ſed etiam clariús cognoſcit, eſt longé melior ea cognitione, quæ pauciora, & obſcuriùs cognoſcit: ratio à priori eſt manifeſta, quia intellectus, qui per vnicam cognitionem illud ipſum cognoſcit, quod alius cognoſcit per duplicem cognitionem, perfectiùs cognoſcit; habet enim modum cognoſcendi longè ſimpliciorem, adeoque perfectiorem; cum maior ſimplicitas ſit argumentum maioris perfectionis: inde eſt, quód Deus, qui habet ampliſſimum cognoſcendi modum, vnica cognitione omnia cognoſcit, & comprehendit; itá vt nihil ſit in obiecto cognoſcendum, quod lateat cognitionem iſtam Diuinam. In genere cognitionis poſt illam cognitionem, qua Deus, ſe & omnia diſtincta á ſe in ſe cognoſcit, & vocatur cognitio comprehenſiua, ſequitur viſio creata ipſius Dei, quæ Deum intuetur, ſed Deum non comprehendit: hæc cognitio beatam efficit omnem mentem, quam informat; cum felicitas ſupernaturalis naturæ rationalis collocata ſit in Deo pro vt eſt in ſe intuendo: huiuſmodi cognitio eſt vna & ad omnia extenditur; quia immediaté Deum

attingit, qui eſt rerum omnium cauſa. Inter iſtas cognitiones illæ ſunt magis perfectæ, quæ melius Deum intuentur; & quia melius Deum intueri eſt plura poſſibilia in Deo cognoſcere, vt plerique docent Theologi; ideo illa cognitio, quæ plura poſſibilia intuetur in Deo, eſt meliòr, & perfectior: quoniam vero ille beatus qui habet clariorem cognitionem Dei, eſt magis beatus, ideo maior vel minor beatitudo eſt in clariori, vel minùs clara cognitione ſupremi entis; id eſt in cognitione, quæ habet maiorem, vel minorem vniuerſalitatem.

5 Eodem fermè pacto debemus diſſerere de ſpecie impreſſa, ſicuti diſcurrimus de expreſſa; ita vt illa ſpecies impreſſa ſit perfectior quæ eſt vniuerſaliter, & vna cum intellectu cognitionem vniuerſaliorem efficit ad plura intenſiué, vel extenſiuè ſe extendentem. Hinc lumen gloriæ vnà cum ſpecie impreſſa ipſius Dei efficit in mente beati viſionem Dei magis vel minus claram, iuxta maiorem, vel minorem ſui perfectionem, quæ eſt maior, vel minor vniuerſalitas. Species igitur impreſſa, quæ mentem Angelicam ad intelligendum mouet, eſt vnica; & poteſt parere cognitionem clarã plurium rerum, quod nullo modo contingit ſpeciei impreſſæ quam intellectus humanus abſtrahit á phantaſmate; ea enim vel vnicam tantum rem exprimit, vel plures res confuſé per modum vnius; vnde conſtat ſpeciem impreſſam intellectus ſpeculantis phantaſmata eſſe longé imperfectiorem ſpecie intellectus nullo phantaſmate indigentis.

6 Explicata in hunc modum vniuerſalitate ſpeciei impræſſæ, quæ eſt in Angelico intellectu, patet via ad inæqualitatem recognoſcendam inter men-

mentes Angelicas: ille intellectus, cui ex natura rei debentur ſpecies magis vniuerſales, eſt altior Intellectu, cui debentur ſpecies minus vniuerſales; & quia ſpecies magis vniuerſales ſunt illæ, quæ repræſentant plures res, quám minús vniuerſales; ideo vnus Angelus habet mentem ſublimiorem alio Angelo, qui plura cognoſcit pér pauciores ſpecies; ille igitur Angelus, qui habet indigentiam duplicis ſpeciei ad cognoſcendas res illas, quas vnica ſpecie alius cognoſcit, eſt mentis minús perfectæ, & magis anguſtæ: quoniam veró iſtæ ſpecies magis, vel minús vniuerſales mulipliсari poſſunt in infinitum, vt poſſunt multiplicari numeri ideó ſubſtantiæ adequatæ immateriales poſſunt infinité multiplicari; itá tamen, vt ſingulæ differant ſpecie; quia quæ differunt per modum intelligendi magis, vel minus vniuerſalem, differunt diſſimilitudine formali, quæ eſt diſſimilitudo ſpecifica, eaque reperitur in numeris, vt docui in tom. 1. diſp. 7. qu. 3.

7 Huiuſmodi ſpecies intellectui Angelico Deus impreſſit ſtatim ac illum condidit; quia nimirúm huiuſmodi intellectui largiri debuit adequatam virtutem cognoſcendi quidquid debet cognoſcere: primo igitùr Angelo, qui eſt intellectus ſupremus in ordine mentis creatæ, Deus impreſſit vnam ſpeciem comprehenſiuam totius Mundi; quó fit, vt mundus iſte prius habuerit inintellectu Angelico eſſe intelligibile quàm in ſe habuerit eſſe ſenſibile. Difficilus eſt definire, quomodó temporis decurſu aliqua incipiat Angelus cognoſcere, quæ prius ignorabat; ſicuti ſunt omnia quæ pendent á libera voluntate hominum, Angelus enim ſi accepit á Deo, cum primúm conditus fuit, illius rei ſpeciem, quæ in præſenti emanat

nat á libera voluntate hominis; tunc certam habuit de rebus futuris liberis præſcientiam; quæ tamen non eſt debita niſi Deo; quod ſi nunc cognoſcit rem liberam præſentem, quám tunc ignorabat futuram, quæro, qua ſpecie vtatur ad eam cognoſcendam: an ſpecie, quam habuit in prima ſui origine? at nullam habuit: aliter rei futuræ præſcientiam habuiſſet; an ſpecie, quam ſolum habet in præſenti? at omnes ſpecies in primo ſuæ originis momento accepit á Deo Ad hanc difficultatem explicandam, cenſeo præter ſpeciem impreſſam, quæ cum intellectu Angelico habet virtutem adequatam cognitionis formandæ, requiri tanquam conditionem, rei, quæ cognoſcitur præſentiam, quia cognitio intuitiua creata, quam viribus naturæ habet Angelus de rebus creatis, eſt cognitio rei Angelo præſentis, cognitio autem rei Angelo præſentis ſupponit rei præſentiam, ſiue ſupponit rem Angelo coexiſtentem, cognitio igitur iutuitiua Angeli requirit ex parte rei cognitæ realem ipſius præſentiam: inde eſt quód Angelus Michael, licet ante ſex fere millia annorum habuerit ſpeciem, quæ repræſentabat effectum liberum hunc exiſtentem, non tunc, ſed nunc eundem effectum cognoſcit, quia videlicet nunc eſt eius præſentiá requiſita ad cognitionem formandam.

8 Dubium remanet circá vſum huiuſmodi ſpecierum an nimirùm intellectus Angelicus itá eiſdem vtatur; ut á cognitione vnius veritatis gradum faciat ad cognitionem alterius veritatis, quod eſt formaliſſimé diſcurrere, vt conſtat ex tom. 1. diſp. vlt. qu. 1. num. 1. 2. & ex tom. 3. diſput. 15. qu. 1 num 5. 6. & ſequentib. Ratio dubitandi eſt; quia intellectus Angelicus non cognoſcit

omnia

omnia perfectiſſimè vnico aſpectu : cur ergo non poterit vnum ex alio cognoſcere ; atque adeò ex effectu cognoſcere cauſam, vel ex cauſa effectum, quod eſt indubitanter diſcurrere.

9 Ad hanc dubitationem ſoluendam adhibeo doctrinam, quam de hac re tradit S. Thomas in Prima parte qu. 58. artic. 3., quód nimirùm intellectui Angelico repugnet diſcurſus formalis, non virtualis.

10 Ratio, cur repugnet diſcurſus formalis, eſt quia formalis diſcurſus eſt motus intentionalis ab una cognitione ad aliam : ſed intellectui Angelico repugnat huiuſmodi motus : ergo eidem repugnat diſcurſus formalis. Minor probatur ; quia illi ſubſtantiæ, cui eſt naturaliter debitum ſimul cognoſcere quæcumque poteſt cognoſcere, repugnat moueri ab vna cognitione ad aliam: ſed huiuſmodi ſubſtantia eſt Natura Intellectus Angelici : tum quia Natura Angelica in ordine intelligibili rerum immaterialium eum tenet locum, quem habent corpora cœleſtia in ordine ſenſibili rerum materialium, ideo Angeli vocantur á S. Dioſiyſio cap 2. Cæleſtis Hierárchiæ mentes Cæleſtes, quia eumdem ordinem habent relaté ad intellectum humanum, quem habent corpora Cœleſtia relaté ad terreſtria: ſed hoc eſt diſcrimen inter corpora cœleſtia, & corpora terreſtria, quód iſta per motum & perpetuam mutationem acquirunt perfectionem ſibi debitam naturaliter, illa verò ſtatim in prima ſui origine habent totam ſuam perfectionem, quam poſſunt habere, ideo corpora inferiora, quæ appellantur ſublunaria ſunt ſubiecta mutationi corpora verò ſuperiora, quæ ſunt ſupra Lnnam ſunt naturaliter Immutabiliá : ergo ſimiliter hoc eſt diſcrimen inter intellectum humanum

& Angelicum, quód humanus non debet ſtatim habere omnem perfectionem, quam poteſt habere, ideó debet moueri ab vna cognitione ad aliam, quod fit per formalem diſcurſum: intellectus veró Angelicus debet ſtatim habere omnem cognitionem, quam poteſt naturaliter habere adeoque non debet moueri per motum intentionalem, hoc eſt per diſcurſum ad veritatem conſequendam, túm quia intellectus Angelicus non habet neceſſitatem accipiendi cognitionem á rebus, debet enim immediaté accipere á Deo ſpecies intelligibiles omnium rerùm, quás debet cognoſcere; ergo intellectus Angelicus debet ſtatim cognoſcere quidquid poteſt cognoſcere: ergo repugnat Naturæ Angelicæ ſucceſſio cognitionum, quarum vna ſit producta ab alia ergo repugnat formalis diſcurſus.

10 Ratio, cur intellectui Angelico non repugnet diſcurſus virtualis, eſt, quia licet repugnet intellectui Angelico ſucceſſio cognitionum; quarum vna producatur ab alia, non repugnat eiuſdem perfectioni, vt ſtatim, & per vnicam indiuiſibilem perfectionem cognoſcat veritatem ignotam in alia nota, vt patet in pluribus exemplis. Debetur vtique Angelico intellectui cognitio veritatis circa aliquem effectum naturalem futurum: hanc autem veritatem ſibi naturalem ignotam debet Angelus cognoſcere in cauſa habente neceſſitatem producendi hunc effectum naturalem, aliter non poſſet eam veritatem cognoſcere, quia effectus modo nihil eſt, adeoque non poteſt naturaliter cognoſci ab intellectu creato, ſed cognoſcere vnā veritatem ſecundū ſe ignotam in alia veritate nota eſt diſcurrere virtualiter, vt oſtenſum eſt, ergo non repugnat intellectui Angelico diſcurſus virtualis: vnde patet ad rationem in contrarium.

11 Quod

11 Quoad voluntatem Angelicam, eſt certum eam eſſe liberam libertate indifferentiæ, vt eſt libera voluntas humana; habet enim facultatem ex duobus bonis vnum eligendi, & aliud recuſandi; omnes Angeli habuere libertatem indifferentiæ ad peccandum; quia ab vltimo ſuo fine, ſiue ab illa felicitate, propter quam fuerunt conditi, aberrare potuerunt; nulla enim eſt res creata quæ ſit eſſentialiter impeccabilis, cum quęlibet res creata ita operetur, vt ipſa eius operatio non ſit regula operandi: hanc peccandi libertatem habuerunt ſinguli Angeli ſtatim ac á Deo fuerunt conditi, adeóque in eorum poteſtate fuit ſupremam conſequi felicitatem, cum enim Angeli id habeant cum hominibus commune, vt ad boni honeſti amorem ferantur ſpe obtinendæ felicitatis, neceſſe fuit, vt aliquód temporis ſpatium, licét breuiſsimum, flueret inter vitam Angeli, eiuſque beatam vitam. Quòd ſi aliquis Angelus in nullo temporis momẽto fuit, in quo beatus non fuerit, felicitas non erit præmium meriti, ſed erit donum gratioſa Dei voluntate collatum ab exiſtentia indiſtinctum, quod naturæ felicitatis aduerſatur, quæ eſt tale, ac tantùm bonum, vt nemo beatus eſſe poſsit, qui ſuam á ſe non habeat beatitatem, vt conſtat ex doctrinâ tradita in tomo 3. diſput. 17. quæſt. vlt. num. 6. & 7. Hinc naſcitur, non omnes Angelos eſſe beatos, quia non omnes ea libertate, quàm ſibi author naturæ ad merendàm beatitatem donauit, bené vtentes, veram, falſa ac mentita poſthabita elegere, eo fermé pacto, quo homines vitam mortalem agentes ſenſuum illecebras beata æternitate potiores ducunt. Plurimi igitur ex illis Angelis, quos Deus formauit, á virtute ad vitium de fecere, pleriſque in vnius Dei amore perſe-

perſeuerantibus, quia veró ea eſt Angelicæ firmitatis natura, vt nihil ſit, quod Angeli mentem propoſiti tenacem poſsit deindé flectere in partem oppoſitam, ideó Angelos ſemel in culpam lapſos nulla vnquam pœnitentia eſt ſubitura, vt é contrarió illi, qui non peccarunt, omnem peccandi poteſtatem perdidere, voluntas enim Angelica eſt immobilis in bono perindé, ac in malo, cum humanā perpetuæ viciſsitudines agant. Hanc eſſe arbitror cauſam, cur Deus hominem non Angelum miſeratus, illum non iſtum ſui ſanguinis pretio á culpæ ſeruitute vindicauerit, quia nimirúm homo, non Angelus poterat ſcelus ſemel commiſſum retractare, & deteſtari.

12 Supereſt aliqua de modo, quo Angeli viciſſim loquuntur, ſuaque ſibi aperiunt ſenſa, breuiſsimé exponere, non enim eſt dubium, quin Angeli loquantur, perindè, vt homines, cum Angelorum, & hominum reſpublica in arcanis ſibi communicandis fundata ſit, id enim eſt adeó verúm, vt Paulus ad Angelos loquentes alludens dixerit: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, & Apoſtolus Iudas in ſua Epiſtola hæc habeat: *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi Corpore.* Difficillimum eſt ſtatuere, quem modum adhibeant Angeli in loquendo, vt patet ex varijs ſententijs, in quas Theólogi abiere: libet in re incertá, & in tanta opinionum varietate ſequi S. Thomam, qui in prima parte, quæſt. 107. artic. 1. cenſet Angelicam loquutionem ſola peragi voluntate interna, adeó vt Michael Gabrielem alloquatur, eique mentem ſuam aperiat, cum habet voluntatem eidē reuelandi ſuas cognitiones. Ratio ſatis efficax videtur in promptu, quia tunc Angeli inter ſe loquūtur, quando ſuæ mentis arcana ſibi reuelant, id

enim

enim ſonat locutio: Angeli autem nulla alia re opus habent ad ea reuelanda, niſi liberá reuelandi volũtate, quia natura cum voluerit vniuſcuiuſque mentem ſoli Deo eſſe apertam, nihil aliud ſtatuit, vndé Angelus remoueretur á natura illarum rerũ, quas alius Angelus intrá ſe ipſum cogitat, præter eiuſdem Angeli cogitantis voluntatem: hoc igitur remoto impedimento, quod certè remouetur, quãdo vnus Angelus vult alteri reuelare ſui Cordis Arcana, indé eſt quod loqui eſt liberũ ſingulis Angelis, quia ſingulis eſt liberum velle cognitionem illarum rerum, quas cognoſcunt, in alios transfundere: pręterea poſſunt duo Angeli viciſſim loqui, quin periculum oriatur, ne alius Angelus audiat, quia cum tota locutio voluntate abſoluatur, poteſt vnus Angelus qui alium alloquitur, nolle alteri eadem arcana reuelare, quó fit, vt ille Angelus, cui non vult arcana ſua reuelare, ea non poſſit audire, quæ audit Angelus, quem alloquitur: patet igitur manifeſtum diſcrimen inter Angelos, & homines loquẽtes: iſti enim pluribus indigent ad loquendum, quia vt ego te alloquar, non ſatis eſt ſi habeam intrá me voluntatem reuelandi tibi arcana mea, debeo enim formare voces, & quædam ſigna ſubſtituere, quæ ex libera hominum voluntáte te ducant in cognitionem rerum, quarum tibi ſcientiam, & eſt mihi animus ingenerare, id enim naſcitur, quód tu non habes facultatem inſpiciendæ mentis meæ, niſi res aliqua ſub ſenſus cadens te ad cognoſcendum excitet, quæ imperfectio cum in Angelica mente locum non habeat, facillimum eſt vnicuique Angelo ſuam mentem ſine vllis exterioribus ſignis alteri aperire.

DISPV-

DISPVTATIO DECIMAPRIMA.

De Deo Vno.

PHiloſophia, quæ eſt amor ſapientiæ, eo tandem ordinatur, vt Deum, qui eſt prima rerum omnium cauſa intelligamus: nos igitur in vnius Dei, quantum poteſt naturæ lumen aſſequi, contemplatione debemus ſiſtere, vt aliqua de illa re diſſeramus, quæ eſt in ſummo apice immaterialitatis.

QVAESTIO I.

Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum.

1 PRo huius quæſtionis intelligentiá, debeo aliqua ex libris Analyticum cùm Ariſtotele obſeruare circa illas veritates, quæ vocantur per ſe notæ, ſiue nòtæ ex terminis. Sciendum igitur primó, illas propoſitiones vocari primás, quæ habent infra ſe alias propoſitiones demonſtrabiles, & nullam habent ſupra ſe per quam demonſtrentur. Propoſitiones immediatæ ſunt illæ, quæ non habent medium á ſe diſtinctum vnde probentur: huiuſmodi propoſitiones ſunt illæ in quibus prædicatum conuenit ſubiecto præciſe ratione ſubiecti, & nō propter aliud quod ſit ratio, cur prædicatum conueniat ſubiecto. Ita propoſitiones in quibus affirmatur definitio de definito

vt ho-

vt homo eſt Animal rationale vel proprietas metaphyſica de definitione, vt *Animal rationale eſt riſibile* dicuntur propoſitiones immediatæ. Propoſitio per ſe nota eſt illa, inter cuius prædicatum, & ſubiectum nullum datur medium, vndè poſſit demonſtrari: Ita hæc propoſitio *totum eſt maius ſua parte* eſt per ſe nota, quia nullum datur medium, quod hanc veritatem vlteriús demonſtret, quia intellectus, qui apprehendit hos terminos *totum & partem*, ſtatim affirmat totum eſſe maius parte. In hunc fermè ſenſum loquutus eſt Ariſtoteles, dum definiuit veritatē per ſe notam, & Sanct. Thomas in primo contra Gentes cum Scoto in primo diſtinctione ſecunda quæſtione prima, dum ait veritatem per ſe notam eſſe illam, quę habet ex terminis proprijs euidentem veritatem. Hinc eſt, propoſitionem immediatam, propoſitionem primam, & propoſitionem per ſe notam eſſe terminos conuertibiles, vt conſtat ex dictis.

2 Sciendum ſecundó ex Ariſtotele in primo Poſteriorum propoſitiones immeditatas ſiue per ſe notas, quæ vocantur principia demonſtrationis, diuidi in Axiomata, & Poſitiones. Axiomata vocat Philoſophus illa principia, quæ neceſsé eſt eſſe vera, & neceſsé eſt videri vera. Huiuſmodi ſunt principia quædam vniuerſaliſſima, quibus vtuntur omnes ſcientiæ, *vt omne totum eſt maius ſua parte. Idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*, quia neceſsé eſt hæc principia eſſe vera, & neceſſe eſt eadem videri vera, vt conſtat experientia: omnibus enim doctis, & indoctis manifeſtum eſt totum eſſe maius parte, & idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe. Poſitiones appellat Ariſtoteles Principia particularia, & propria ſingularum ſcientiarum, ex quibus demonſtrantur concluſio-

nes cuiuſcumque ſcientiæ. Hæc neceſſe eſt eſſe vera, ſed non neceſse eſt videri vera, quia non habent tantam apparentiam, quantam habent alia principia, ideó non ſunt manifeſta, niſi ſapientibus, hoc eſt illis, qui ſunt verſati in aliqua ſcientia peculiari.

3 Sciendum tertió, non eſse idem aliquod ſecundúm ſe, & ex natura ſua eſse notius alio, & eſse notius quoad nos, ideó Ariſtoteles, & Sanctæ Thomas diſtinguit veritatem per ſe notam in veritatem per ſe notam ſecundùm ſe, & veritatem per ſe notam nobis. Non eſse idem aliquam veritatem eſse magis notam aliá ſecundúm ſe, & eſse magis notam relaté ad nos, eſt euidens tùm á priori, túm etiam á poſteriori. A priori eſt euidens, quia vnaquæque res tantúm habet veritatis ſiue cognoſcibilitatis, quantum habet perfectionis: ergo res quó ſunt perfectiores, eó ſunt magis notæ ſecundúm ſe, ideó eſse perfectius, & eſse nobilius, hoc eſt eſse magis cognoſcibile conuertuntur, ſed entia maximé perfecta adeòque ſummé intelligibilia minús cognoſcuntur ab Intellectu humano, qui ſpeculatur Phantaſmata, quám entia minoris perfectionis, adeóque minoris cognoſcibilitatis; quia á rebus materialibus & ſenſibilibus aſcendit ad cognitionem rerum immaterialium, adeóque Philoſophus acutiſſimé comparat humanam mentem, quæ ſpeculatur primum intelligibile, nimirúm Deum, cum oculo Noctuæ, quæ videt primum ac ſummum viſibile, nimirúm Solem. Eadem veritas demonſtratur á poſteriori; quia meliús, & clariùs cognoſcimus res materiales & ſenſibiles, quàm res immateriales, & maiorem difficultatem inuenimus in cognoſcendis rebus abſtractis á materiá, quàm in rebus cadentibus ſub

ſub experientiam ſenſuum. Hinc plurimæ veritates ſecundúm ſe notæ non ſunt nobis per ſe notæ, immó nobis innoteſcunt per alias veritates, quę ſecundúm ſe ſunt per ſe notę, quia prędicatum eſt de eſsentia ſubiecti, & tamen iſta veritas non eſt nobis per ſe nota, demonſtratur enim per exiſtentiam Creaturæ, ex qua demonſtratur á poſteriori exiſtentia Dei.

4 Sciendum vltimó euidentiam, obſcuritatem, certitudinem, & incertitudinem, aliaque huius generis prædicata emanare ab actibus intellectus ad obiecta, quæ cognoſcuntur, ita vt obiectum denominetur euidens, & certum á cognitione euidenti, & certa. Certitudo cognitionis eſt talis, & tanta adhæſio intellectus, vt excludat omnem formidinem: incertitudo veró non excludit ab actu opinato quamcumque formidinem. Hinc eſt, quód intellectus qui adhæret obiecto per cognitionem certam, illud perfecté poſſidet, qui veró adhæret per cognitionem incertam poſſidet imperfecté obiectum. Euidentia eſt illa per quam obiectum ita apparet intellectui, vt nullam poſſit intellectus habere formidinem circá eius veritatem. Ideó cognitiones euidentes vocantur cognitiones intuitiuæ, quibus intellectus videtur potiùs cernere & intueri, quám cognoſcere obiectum, eſt enim tanta apparentia, vt excludat ab intellectu omnem rationem dubitandi eo modo, quo viſio Petri currentis excludit omnem rationem dubitandi circa curſum Petri. Obſcuritas cognitionis eſt illa, per quám intellectus itá imperfecté cognoſcit obiectum, vt in ſenſu compoſito huius cognitionis habeat potentiam ſaltem phyſicam formidandi de veritate cognita. Hinc eſt, euidentiam eſſe inſeparabilem á certitudine,

quia nulla cognitio poteſt euidenter cognoſcere aliquam veritatem, niſi ſit ſummé certa de illius exiſtentia. Oppoſito modo philoſophandum eſt de obſcuritate cognitionis, quia non eſt vniuerſaliter verum omnem cognitionem obſcuram eſſe incertam, vt conſtat in actu fidei, qui eſt actus obſcurus, & ſummé certus, mouetur enim ad aſſenſum veritatis reuelatæ ab authoritate Dei reuelantis.

5 His obſeruatis illud inualuit apud omnes Philoſophos, Theologos, & Sanctos Patres, vt nomine Dei ſignificetur id, quo nihil meliùs, nihil perfectius poteſt cogitari, Deus enim cum in ſe includat omnium rerum perfectiones, talis, ac tantus eſſe debet, vt nihil poſſit in mentem venire, quod de præſtantia, & dignitate cum ipſo contendat. Exiſtentiam Dei, quam fide diuina certiſſimam ſacræ nobis paginæ vbique perſuadent, nemo eſt, qui naturæ ductu non intelligat, cum hic ſemper fuerit omnium gentium, ac populorum ſenſus, aliquod eſſe in mundo Numen ab omnibus adorandum: addo á natura omnibus inſitum, vt aliqua imminente calamitate Deum præſentem imploremus, quod eſt certiſſimum Dei Orbem moderantis argumentum. Hinc poſt homines natos memoriæ proditum eſt, aliquam vbique gentium religionem floruiſſe, nulla enim eſt natio adeó barbara, & moribus adeó efferatis, quæ nullum Deum aris, templis, & ſacrificijs ſibi ad orandum cenſeat, licèt ſuper hac re fuerit aduersùs Diuinitatem ab hominibus flagitioſiſſimè peccatum, qui nimirùm honorem vni Deo debitum ad viliſſima quæque animantia per ſummum ſcelus traduxere, pudet enim referre, quot Numina aris impoſuerit ſola veterum Romanorum

notum ſuperſtitio, qui, vt omnibus imperárent, omnium ſeruiebant erroribus. Videantur, ſi libet, quæ acutè, & eleganter ſcripſit Auguſtinus in primis voluminibus magni illius operis, quod de Ciuitate Dei exarauit.

6 Perſpicuum igitur eſt omnibus Deum eſſe: philoſophis veró, qui ad naturæ opera meditanda ſe totos dedere, ipſâ luce meridianâ clarius: immò nihil accidit in omnibus diſputationibus iucundius, quàm argumenta producere, quæ diuinam demonſtrant exiſtentiam. Quia veró ex veritatibus, quæ naturæ lumine ſpectato ſunt omnibus apertæ, aliæ ita conſtant, vt à quolibet intellectu perueniente ad intelligentiam terminorum aſſenſum extorqueant, aliæ veró varijs debent argumentis demonſtrari: dubium oritur, an Deum eſſe ſit adeó verum, vt ſuperuacaneum ſit eius exiſtentiam demonſtrare, vt nemo eſt, qui demonſtret totum ſingulis partibus eſſe maius: an potiùs neceſsè ſit eamdem veritatem, quæ ex terminis non conſtat, vlteriùs demonſtrare,

7 Ratio autem dubitandi eſt. primó: illa propoſitio eſt nota ex terminis, quæ affirmat prædicatum eſſentiale ſubiecto, ſed huiuſmodi eſt hæc propoſitio *Deus exiſtit*; quia exiſtere, quod prædicatur de Deo, eſt illi eſſentiale: ergo eſt nota ex terminis.

8 Secundó; illud eſt per ſe notum exiſtere, quod non poteſt non exiſtere: ſed Deus non poteſt non exiſtere: ergo eſt per ſe notum Deum exiſtere. Confirmatur, quia eſt perindé notum exiſtere id, quo maius cogitari non poteſt, quàm totum eſſe maius parte: ergo cum Deus ſit id, quo maius cogitari nihil poſſit, Deum exiſtere eſt per ſe notum.

9 Tertiò: eſt per ſe notum exiſtere vltimum finem, quem omnes appetunt, ex exiſtere id, quod verificat omnem propoſitionem per ſe notam ſiuè æternæ veritatis: ſed Deus eſt vltimus finis, & verificat omnem propoſitionem æternæ veritatis, ergo Deum exiſtere eſt per ſe notum, adeóque non eſt demonſtrabile.

10 Noſtra ſententia ſit, quám docet Sanctus Thomas in prima parte quæſtione ſecunda articulo primo, hanc propoſitionem *Deus exiſtit* eſſe per ſe notam ſecundúm ſe, non eſſe nobis per ſe notam. Ratio eſt manifeſta, quia licét exiſtere non minús ſit Deo eſſentiale, quám ſit eſſentiale toti partem excedere, nobis qui Deum immediatè non cognoſcimus, non conſtat ſiné aliquo diſcurſu eſſentialis connexio horum terminorum, ſicuti conſtat connexio horum terminorum *totum eſt maius ſua parte*. Eam autem connexionem non conſtare eſt manifeſtum, quia non poſſumus Deum cognoſcere, niſi per imagines rerum creatarum, nulla autem eſt res creata, quæ habeat neceſſitatem exiſtendi, nihil igitur poſſumus cogitatione fingere, quo cognito ſtatim nobis appareat neceſſitas exiſtendi, quàm Deus habet. Ratio á priori eſt, quia illud idem poſſumus immediaté, & ex terminis affirmare de Deo, quod habet Deus commune cum rebus omnibus, quibus vtimur ad Deum cognoſcendum: ſed cum iſtis non habet Deus communem exiſtendi neceſſitatem, vt eſt euidentiſſimum: ergo non poſſumus ex terminis, & immediaté affirmare de Deo neceſſitatem exiſtendi, adeóque ipſam exiſtentiam, quæ hanc neceſſitatem conſequitur. Quid ergo poſſumus de Deo ex terminis ſiné diſcurſu affirmare? illud idem, quod de cæteris rebus poſſumus, id eſt, eſ-

ſe,

ſe, vel non eſſe, quodlibet enim eſt, vel non eſt, vt autem certó, & euidenter aſſeramus Deum eſse, opus eſt diſcurſu, vndé conſtet non eſse chimæram illud ens, quod cogitat intellectus habere neceſſitatem exiſtendi, quia ſecluſo quocunque diſcurſu poteſt eſse dubium, an ſit chimæra huiuſmodi ens, ſicuti eſt chimæra ens creatum, quod habet neceſſitatem exiſtendi. Quód ſi aliquis intellectus intimè penetraret naturam Dei, dubitare non poſset, an inuoluat repugnantiam ens, quod habet neceſſitatem exiſtendi, ideó ſtudiosè dictum fuit hanc veritatem *Deus eſt* eſse per ſe notam ſecundúm ſe, quia fieri non poteſt, vt intellectus perfectè cognoſcat naturam Dei, eiuſque exiſtentiam in dubium vocet.

11 Hinc conſtat, eandem veritatem, quæ non eſt nobis nota ex terminis, poſse á nobis demonſtrari, quod non ſolùm perſuadet lumen naturæ, ſed etiam lumen fidei, ait enim Paulus in Epiſtola ad Romanos cap. 1. *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, ideſt in rebus creatis, *inuiſibilia enim Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles*: in quibus verbis vocat inexcuſabiles illos, qui ex rebus creatis non peruenere ad cognoſcendam exiſtentiam Dei: quód ſi non poſset ex pulchritudine, & ordine mundi demonſtrari Deum eſse, non eſsent inexcuſabiles, qui ſine lumine fidei Deum non cognouere. Præterea Sapientiæ 13, in eandem rem dicitur: *vani autem ſunt omnes homines, quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt, quis eſſet ar-*

tifex, à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri; quid dici poteſt euidentius ad oſtendendum eſse demonſtrabilem naturæ lumine Dei exiſtentiam. Hinc Sanctus Thomas in primo contra Gentes meritó appellat erroneam ſententiam, quæ dicit non poſſe demonſtrari Deum exiſtere, & plures Theologi cum Suario docent eſse certum fide Diuina, quód exiſtentia Dei poteſt demonſtrari.

12 Ad primúm ex dictis conſtat, eſt enim huiuſmodi propoſitio *Deus exiſtit* per ſe nota ſecundúm ſe, non eſt nobis per ſe nota, quia nobis non conſtat immediaté ex terminis connexio, quám habet Deus cum exiſtentia.

13 Ad ſecundúm: diſtinguo maiorem: eſt per ſe notum exiſtere id, quod non poteſt non exiſtere exiſtentia ſignata: nego maiorem: quod non poteſt non exiſtere exiſtentia exercita: concedo maiorem, & diſtinctá eodem pacto minori nego conſequentiam. Eſt manifeſtum exiſtere illud ens, quod habet veré neceſſitatem exiſtendi, ſiué quod habet neceſſitatem exiſtendi exiſtentiá exercitá, quæ eſt realis exiſtentia, quia veró non eſt manifeſtum, non eſſe chimæram illud ens, quod habet neceſſitatem exiſtendi exiſtentia exercita, ideò non eſt manifeſtum exiſtere illud ens, quod habet neceſſitatem exiſtendi exiſtentia ſignata, ſiuè quod intellectus cognoſcit habere neceſſitatē exiſtendi exiſtentiá exercitá. Huius diſcurſus veritatem oſtenſiuè demonſtrat exemplum traductū ex re creata, quæ habet neceſſitatem exiſtendi: eam enim exiſtere non conſtat ex terminis, quia intellectus, qui apprehendit rem creatam, quæ habet neceſsitatem exiſtendi, eſt incertus, an huiuſmodi res repugnet, adeóque non exiſtat, in-

dè

dé eſt, quód vtitur varijs argumentis ad definiendum, an repugnet, nec ne: eodem pacto intellectus, qui cognoſcit ens, quod habet neceſsitatem exiſtendi, non eſt ſtatim certús circá eius exiſtentiam, quia dubitare poteſt, an repugnet, adeóque conditionatè ſolúm affirmat exiſtere, nimirúm, ſi non eſt chimæra. Vt autem ſit certùs Chimæram non eſſe, ſubtili diſcurſu indiget, quem in ſequentibus quæſtionibus trademus. Hinc patet ad confirmationem: licét enim ſignificetur Dei nomine id, quo nihil meliús cogitari poteſt, non proptereà innoteſcit Deum exiſtere, ſtatim ac Deus ſub hoc conceptu cognoſcitur, quia non ſtatim innoteſcit non eſſe chimæram id, quo nihil meliùs poteſt cogitari.

14 Ad tertiùm: concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam: argumentum enim peccat, quia variatur appellatio terminorum, vt in hoc ſyllogiſmo contingit: *video venientem; Petrus eſt veniens: ergo video Petrum*: conſequentia eſt falſa, licét vtraque præmiſſa ſit vera, poteſt enim contingere, vt venientem à non veniente diſtinguam, quin diſtinguam Petrum à non Petro, licét ille, quem venientem video, & á non veniente diſcerno, ſit Petrus. Eodem modo eſt per ſe notum vltimum finem exiſtere, qui verè Deus eſt, & tamen non eſt per ſe notum Deum exiſtere, quia non eſt per ſe nota identitas vltimi finis cum Deo: hinc eſt Deum eſſe per ſe notum ſub aliquo conceptu realiter conuertibili cum Deo, nimirúm ſub conceptu finis vltimi, & neceſsitatis, quæ veram reddit omnem propoſsitionem æternæ veritatis: identitas autem Dei cum vltimo fine, & huiuſmodi neceſsitate, non eſt per ſe nota, neceſſe enim eſt diſcurſum adhibere ad eam demonſtrandam.

QVÆ-

QVAESTIO II.

Vtrum Deum eſſe ſit euidens ex cap. entis optimi & perfectiſſimi.

1. Videtur non demonſtrari, primó: nõ eſt euidens ens optimum, & perfectiſſimum non eſſe chimæram: ergo non eſt euidens Deum eſſe ex capit. entis optimi & perfectiſſimi. Antec: prob: eſt euidens creaturam perfectiſsimã eſſe chimæram, ergo non eſt euidens non eſſe chimæram ens perfectiſſimum, túm quia omnia argumenta, quę probãt ens perfectiſſimũ non repugnare, eludit inſtantia creaturę perfectiſſimę, quæ repugnat, túm quia Deus cognoſcitur per imagines creatas, ſi ergo eſt euidens nullam rem creatã eſſe perfectiſſimã, nõ eſt euidens eſſe ens perfectiſſimũ; ſicuti non eſt euidens Deum eſſe trinum, & vnum, quia eſt euidens nihil creatum eſſe trinum, & vnũ.

2. Secundó: Ens perfectiſsimum eſt actu infinitum: non eſt euidens exiſtere ens actu infinitum. ergo &c. Minor probatur, eſt euidens infinitum cathegorematicum eſſe chimæram, ſed infinitum actu eſt infinitum cathegorematicum, ergo eſt euidens non exiſtere, adeoque non eſt euidens exiſtere ens actu infinitum.

3. Tertio: ens optimum eſt ens, quod in ſe habet omnium rerum perfectiones, ſed repugnat id quod habet in ſe perfectiones omnium rerum: ergo repugnat ens optimum, ergo &c. Minor probatur manifeſté, quia multæ ſunt perfectiones, quarum vna excludit aliam, itá perfectio hominis excludit á ſe perfectionem equi; ergo illud ens,

ens, quod habet vtramque perfectionem, eſt chimæra.

4. Reſp. naturæ lumen adeó perſpicué perſuadet omnibus Deum eſſe, vt multiplici medio eius poſſit exiſtentia demonſtrari, non enim fas erat, vt vnica ſolùm menti humanæ pateret via, ad hanc veritatem compertam habendam; quæ eſt fælicitatis noſtræ ſumma. Primum igitur, & quantum arbitror ineluctabile argumentum ad exiſtentiam Dei demonſtrandam ex ipſa Dei natura deducitur, cum enim eius natura ſit natura rei optimæ, ac perfectiſsimæ, vt apud omnes eſt indubitatum; conſequens eſt Deum exiſtere, ſi ens optimum in mundo exiſtit. Hoc autem ens exiſtere ex ipſo rei optimæ, ſiue ſummi boni conceptu huiuſmodi ratiocinatione aperté conficitur. Summum bonum & ens perfectiſſimum, vel eſt chimæra, vel exiſtit: non eſt autem ſummum bonum chimæra; ſummum igitur bonum exiſtit. Maior eſt euidens, quia neceſſe eſt alterutram partem eſſe veram, vnum enim alteri contradicit, vt oſtenſiué demonſtro: non exiſtentia ſummi boni infert ſummi boni repugnãtiam, quia ſummum bonum, quod non exiſtit, non eſt ſummum bonum; quomodo enim fieri poteſt, vt ſummum bonum ſit, quod caret bono exiſtentiæ, ſine quo nulla res eſt bona? ſummum autem bonum, quod non eſt ſummum bonum, manifeſté repugnat igitur repugnantia ſummi boni ſequitur ex non exiſtentia ſummi boni. Non repugnantia ſummi boni viciſſim infert exiſtentiam ſummi boni; quia ſummum bonum, quod non repugnat, exiſtit; aliter non eſt ſummum bonum, quia non habet illud bonum, quod habent quæ exiſtunt. Prætereá exiſtere eſt bonum; quis cæcus non videat? ſummum igitur bonum, ſi non repugnat; exi-

ſtit, quia nullum bonũ deſideratur in ſummo bono.

5. Oſtenſo ſummum bonum, vel eſſe chimæram, vel exiſtere: ſupereſt oſtendere ſummum bonum non eſſe chimæram: id autem ex multiplici capite manifeſtè oſtendo. Primò: chimæra repugnat conceptui abſtractiſſimo entis realis, naturam enim habet ex prædicatis contradicentibus compoſitam, ſummum autem bonum non opponitur enti reali, quia ſummum bonum non repugnat bono, quomodo enim opponitur bono id, quod eſt cauſa, cur bonum ſummè creſcat in ſuo genere? quód ſi bonum non opponitur bono, patet ſummum bonum non opponi enti, quia bonum, & ens reciprocantur: ſummum igitur bonum non eſt chimæra.

6. Secundò: repugnat, vt ſummum bonum excludat rationem abſtractiſſimam entis realis, tùm quia iſti conceptus, nimirùm conceptus entis realis abſtractiſſimè conſiderati, & conceptus ſummi entis non ſunt conceptus inuicem pugnantes; vt patet ex terminis: quam enim repugnantiam habet ratio ſummi entis cum ratione entis? repugnat igitur, vt ſummum bonum excludat rationem abſtractiſſimam entis, quia ſummum bonum eſt ſummum ens, ſi ergo ſummum ens non excludit rationem abſtractiſſimam entis, neque excludit ſummum bonum, quod eſt ſummum ens: quód ſi ſummum bonum non excludit rationem abſtractiſſimam entis, ſummum bonum non repugnat, quia illud ſolum repugnat, quod excludit rationem abſtractiſſimam entis; indé enim naſcitur tota chimæræ repugnantia, quód chimæra eſt talis naturæ, vt ſi eſt, non ſit, adeoque inferat vtrumque contradictorium, bonum igitur ſummum, ſiue ens optimum non eſt chimæra.

7. Ter-

7. Tertió: quælibet res eatenús melior eſt, vel deterior, perfectior, vel imperfectior, quatenùs accedit ad naturam ſummi boni, & rei perfectiſſimæ, vel ab ea recedit, ſicuti vnaquæq res eó mais vel mi: habet lucem, quo magis, vel minús imitatur Solem, ideſt totiús lucis vberrimum fontem. Ratio á priori eſt, quia primùm in quolibet genere eſt menſura cæterorum: ſummum igitur bonum, quod eſt primúm in ſuo genere, debet eſſe menſura perfectionis exiſtentis in cæteris rebus: manifeſtum eſt autem non eſſe chimæram id, ad quod res quo magis accedunt, ſunt magis perfectæ: quis veró audeat dicere, Angelum eſſe perfectiorem homine, quia ad naturam chimęræ magis accedit Angelus, quám homo? immò ſequitur res omnes, quæ ſunt, eſſe magis perfectas rebus, quæ non ſunt, quia illæ magis, quám iſtæ imitantur chimæram, quo nihil fingi poteſt incredibilius, ſummum igitur bonum non eſt chimæra.

8. Quartó: Illud non repugnat ex mente Philoſophi, quo exiſtente nullum ſequitur inconueniens, illud autem repugnat, quo exiſtente ſequitur quodlibet inconueniens: quæró nunc ab Atheiſta, qui dicit ſummum bonum eſſe chimæram, adeoque non exiſtere: án exiſtente ſummo bono aliquid, vel nullum ſequatur inconueniens. Certè non potes aſſerere, ne tibi velis contradicere, aliquid inconueniens ſequi, ſi enim incóueniens, & malum reciprocantur, quomodó poteſt exiſtente ſummo bono ſequi aliquod inconueniens, quo exiſtente nullum ſequitur malum? manifeſtum eſt enim fieri non poſſe, vt exiſtentia illius rei, quæ nihil mali habet, ſed in ſe habet ſummum bonum, hoc eſt omne bonum, ſit carentia alicuius mali; aliter poſſet aliquis dubitare, an tenebræ oriantur

ex

ex luce: fateri igitur debes, nullum inconueniens ſequi ſummo bono exiſtente; vnde infero ſummum bonum non eſſe chimæram, ſed eſſe in numero rerum non repugnantium.

9. Quintò: Bonum, & amabile eſt idem, quia bonum eſt, quod omnia amant, ſummum igitur bonum eſt ſummè amabile: non eſt autem ſummè amabilis chimæra, quia nihil eſt odio magis dignum ipſa chimæra, quæ eſt talis naturæ, vt omnia mala in mundum inducat, ſummum igitur bonum non eſt chimæra. Prætereà, quid eſt magis contemnendū, quam chimæra, quæ eſt eſſentialiter nihil? quid minùs aſpernandum ſummo bono, quod omnia ſūmè appetunt? quomodò igitur *fieri* poteſt, vt ſummum bonum ſit chimæra? addo á natura nobis ingeneratum quemdam boni ſummi amorem, cùm primum enim menti noſtræ affulget boni ſūmi cognitio; neſcio quo impetu naturæ in eius amorem, ac deſiderium rapimur, quia nemo eſt, qui ſummum bonum nolit poſſidere: nemo autem eſt, qui duce natura feratur in deſiderium boni repugnantis: aliter natura nos in errorem impelleret: non igitur repugnat, quo minus exiſtat ſummum bonum.

10. Vltimò: vel nihil eſt poſsibile, vel ſummum bonum eſt poſsibile: euidens autem eſt aliquid eſse poſsibile: ergo euidens eſt bonum ſummum eſſe poſsibile. Ma: prob: quia ex repugnantia boni ſummi, quod participatur á quolibet bono non ſummo, ſequitur repugnantia boni non ſummi, ſi enim bonum ſummum, quod nullum habet defectum, eſt chimæra, quæ omnem habet defectum; bonum non ſummum, quod habet aliquem defectum, erit chimæra: quia cum nomine chimæræ ſignificetur id, quod habet omnem defectum,

fectum, manifeſtum eſt magis accedere ad naturam chimæræ id, quod habet aliquem defectum, quám id, quod nullum habet defectum: ſed ſummum bonum, quod eſt omne bonum, in ſuo formali conceptu nullum habet defectum, & bonum non ſummum, quod non eſt omne bonum, habet aliquem defectum: bonum igitur non ſummum eſt chimæra, ſi bonum ſummum eſt chimæra. Præterea bonum ſummum eſt pura perfectio, ſed pura perfectio non repugnat, quia pura perfectio eſt omnis perfectio: omnis autem perfectio non poteſt repugnare, non poteſt enim conſtare ex prædicatis repugnantibus, quia prædicata, ex quibus conſtat perfectio, quæ eſt omnis perfectio, ſunt perfectiones, quarum vna alteri non repugnat, quia perfectioni non repugnat niſi imperfectio: ergo ſummum bonum non eſt chimæra, quod erat demonſtrandum. Hinc patet in rerum natura Deum eſse ſub conceptu entis optimi, perfectiſſimi, & boni ſummi, quo nihil melius cogitari poteſt, atque adeo nullum aliud eſse bonum, præter bonum ſummum, nullum aliud eſse ens, præter ſummum & infinitum ens, ex cuius poſsibilitate ſit neceſsaria, & infallibilis conſequentia ad actualem eiuſdem exiſtentiam,

11. Ad primùm: inter ens perfectiſſimum, & creaturam perfectiſſimam eſt diſpar ratio, quia repugnat eſse perfectiſsimum id, quod in ſuo conceptu inuoluit defectum perfectionis; ſed res creata in ſuo conceptu inuoluit defectum perfectionis, id eſt dependentiam, adeoque indigentiam, ergo repugnat res creata perfectiſsima, ſicuti repugnat perfectio, quæ ſit omnis perfectio, & habeat defectum perfectionis. Hinc ratio entis creati diſtrahit rationis entis optimi; vt ratio hominis picti diſtra-

diſtrahit rationem hominis; quemadmodum enim homo pictus non eſt homo, itá ens optimum creatum non eſt optimum: contrá véró non repugnat eſſe perfectiſſimum id, quod in ſuo formali conceptu non habet defectum alicuius perfectionis: ſed conceptus abſtractiſſimus entis in ſuo formali conceptu non habet defectum alicuius perfectionis, quia non inuoluit defectum entis, qui eſt defectus perfectionis: ergo non repugnat conceptus entis perfectiſſimi, adeoque ratio entis optimi non deſtruit rationem entis eo pacto, quo deſtruit rationem entis creati: quó tandem fit, vt res optima creata repugnet, non quatenús res eſt, ſed quatenús creata eſt. Quòd ſi eſt euidens, repugnare creaturam optimam, eſt euidens non repugnare ens optimum; cum ea de cauſa, qua repugnat creatura optima, non repugnet ens optimum: non propterea euidens erit Deum eſſe trinum & vnum, cum ſit euidens nihil creatum eſſe trinum & vnum quia cognitio creaturæ, quę non eſt optima, ducit intellectum in cognitionem abſtractiſſimam entis optimi: poteſt igitur intellectus naturæ viribus cognoſcere exiſtentiam entis optimi, non poteſt eius naturam intuitiué cognoſcere, adeoque non poteſt Trinitatem cognoſcere.

12. Ad ſecundùm: demonſtrauimus in tom. 2. diſp. 16. qu. 2. num. 3. & qu. 4. num. 7. repugnare infinitum actu in multitudine, & numero; non veró in perfectione, ideó non repugnat ens optimum.

13. Ad tertiùm: perfectio imperfecta excludit aliam perfectionem, ſed perfectio præciſa ab imperfectione non excludit aliam perfectionenem, quia perfectioni non opponitur niſi imperfectio, ens igitur perfectiſſimum habet perfectiones homi-

minis, & equi præciſas ab imperfectionibus, ideò non habet perfectiones inuicem pugnantes: perfectio enim hominis indiſtincta ab eius imperfectione excludit á ſe perfectionem equi, perfectio autem hominis præciſa ab imperfectione, non excludit á ſe perfectionem equi: vnde patet oppoſitionem perfectionis humanæ cum equina fundari in imperfectione.

QVAESTIO III.

Vtrum ſit euidens Deum eſſe ſub conceptu entis à ſe, & neceſſarij.

1. Videtur non eſſe, quia exiſtentia entis contingentis non infert conſequentia formali exiſtentiam entis neceſsarij: aliter non exiſtentia entis contingentis, quæ eſt poſſibilis, inferret non exiſtentiam entis neceſſarij, ſicuti enim affirmatio entis contingentis eſt cauſa affirmationis entis neceſſarij, itá negatio entis contingentis eſt cauſa negationis entis neceſſarij. Prætereá poteſt eſſe contingens quidquid exiſtit; cum cauſa rei contingentis non debeat eſſe neceſſaria; aliter cauſa rerum contingentium eſſet cauſa non libera, & conſequenter contingens eſſet neceſſarium, quod repugnat, ergo non eſt euidens ens neceſſarium exiſtere.

2. Reſp. euidens eſt, ens neceſſarium, & à ſe exiſtere: ſed euidens eſt Deum eſſe ens neceſſarium; & à ſe: ergo euidens eſt Deum exiſtere. Mai: demonſtratur; euidens eſt mundum exiſtere, qui potuit non exiſtere, euidens autem eſt lumine naturæ non poſſe exiſtere ens contingens

ſine exiſtentia entis neceſſarij, & á ſe exiſtentis, id enim ex pluribus capitibus apertè conſtat: primó ex conceptu rei contingentis, quæ naturâ ſua eſt indifferens, vt ſit, vel non ſit, non poteſt igitur res contingens determinare ſe ad exiſtendū potiùs quam ad non exiſtendum, vel non exiſtendum potiùs, quam exiſtendum: quia repugnat rem eſſe indifferentem ad exiſtendum, & ſe determinare; hinc cõſtat neceſsitas alicuius rei, quæ rem contingentem determinet ad exiſtendum, quando exiſtit, vel eam determinet ad non exiſtendū, quando non exiſtit: talis autem res, quæ determinat rem contingentem, non poteſt ſine dubio eſſe contingens, túm quia contingens poteſt non eſſe, res veró, quę determinat rem contingentem ad exiſtendum, non poteſt non eſſe, quia debet ſemper eſſe; res enim contingens, licet non ſemper ſit, nihilominus ſemper eſt, vel non eſt, adeoque ſemper eſt illa res, quæ determinat eam ad exiſtendum, quandò exiſtit; vel ad non exiſtendum, quandò non exiſtit: quód ſi non ſemper eſſet id, quod determinat rem contingentem ad exiſtendum, vel non exiſtendum, vel res contingens aliquandó neque eſset, neque non eſset, vel aliquando non eſset potiús, quam eſſet, aut eſset potiús, quam non eſſet ſine vlla re á ſe diſtincta, á qua determinaretur ad exiſtendum potiús, quàm ad non exiſtendum; vel ad non exiſtendum potiùs, quam exiſtendum: vtrumque euidenter repugnat tùm contingentiæ rei contingentis, tùm veritati huius principij *quodlibet eſt vel non eſt*: ergo euidens eſt præter rem contingentem eſſe rem neceſſariam.

3. Secundó: conſtat exiſtentia entis á ſe ex conceptu entis ab alio, quod ſibi nõ ſufficit ad exiſtendum: repugnat enim eſſe id, quod non ſufficit ſibi

ad exiſtendum, quin exiſtat aliquod ens ſibi ſufficiens ad exiſtendum,quia res, quæ ſibi ad exiſtendum non ſufficit, habet indigentiam alterius rei: huiuſmodi autem res, cuius indigentiam habet, vel ſibi ſufficit, vel non ſibi ſufficit ad exiſtendum: ſi ſufficit ſibi: ergo exiſtentia rei ſibi non ſufficientis infert exiſtentiam rei ſibi ſufficientis; ſed res ſibi ſufficiens eſt ens á ſe; ergo exiſtentia rei ſibi non ſufficientis infert exiſtentiam entis à ſe. Quòd ſi res illa, qua indiget ens ſibi non ſufficiens, non ſibi ſufficit, neceſſe eſt, vt alia res exiſtat, cuius indigentiam habet, de qua re vrgeri poteſt idem argumentum, adeout, vel procedatur in infinitum, vel deueniatur ad aliquam rem, quę ſibi ſufficit, adeoque habet eſſe á ſe. Summa huius diſcurſus in eo cōſiſtit,quód tota multitudo rerū exiſtentium non poteſt componi ex rebus habentibus eſſe ab alio, res enim, quæ habet eſſe ab alio, indiget alio á ſe diſtincto; non poteſt autém rebus indigentibus prouideri, niſi exiſtat aliquod ens, quod non indiget, ens autem, quod non indiget, eſt á ſe, non poteſt igitur eſſe ens ab alio, niſi exiſtat ens á ſe.

4. Tertiò: conſtat exiſtentia entis neceſſarij ex conceptu veri neceſſarij: non omne verum eſt contingens: ergo aliquod verum eſt neceſſarium; ſed verum neceſſarium eſt ens neceſſarium: ergo ens neceſſarium exiſtit.Ant:eſt certum, tùm quià licet contingens ſit Petrum eſſe, & contingens ſit Petrū non eſſe,non eſt contingens Petrū eſſe,vel non eſſe; immó non poteſt in rerū natura eſſe hoc verū contingens indiſtinctū ab exiſtentiá Petri, niſi in rerū natura ſit hoc verum neceſſarium *Petrus eſt, vel non eſt*, ſi enim non eſſet neceſſarium, Petrum eſſe, vel non eſſe, non eſſet contingens Petrum eſſe, neque

eſſet contingens Petrum non eſſe, quia poſſet Petrus non eſſe, quando eſt, vel eſſe quando non eſt: oportet igitur, vt neceſſe ſit Petrum non eſſe, vel eſſe. Prima conſ. eſt euidens: ant: ſubſumptum eſt manifeſtum, ex ijs, quæ diximus, quia verum, & ens ſunt idem, ſed verum neceſſarium exiſtit; ergo ens neceſſarium exiſtit, quod eſt ens á ſe. Huc ſpectant omnia argumenta, quibus demonſtrauimus poſſibilitatem omniúm poſſibilium eſſe Deum, qui propterea verificat quamlibet propoſitionem æternæ veritatis, diſp. 4. quæſt. vlt. num. 10. & 11. & ſequ. & diſp. 5. quæſt. 1. 3. & 5. & diſp. 8. quæſt. vlt. num. 10. & ſequ.

5. Vltimò: conſtat ex conceptu entis á ſe, quód non poteſt eſſe chimæra, adeoque debet exiſtere; quia illud ens, quod ſemper fuit, eſt á ſe; vt patet ex ijs, quæ docui de æternitate Mundi diſp. 18. quæſt. 1. nu. 10. ſed non eſt chimæra ens, quod ſemper fuit, ergo non aſt chimæra ens á ſe. Min: probatur, quia rei exiſtenti, quatenùs exiſtenti non repugnat fuiſſe, vt patet ex terminis ergo rei exiſtēti quatenús exiſtenti non repugnat ſemper fuiſſe; cur enim ex conceptu rei, quæ ſemper fuit, infertur rem, quæ ſemper fuit, eſſe ſimúl, & non eſſe: res igitur, quæ ſemper fuit, non repugnat, licet enim repugnet res creata, quæ ſemper fuit, ea non repugnat, quatenús ens; ſed quatenus creatum ens; ideo eſt euidens, Deum eſſe ſub conceptu entis á ſe, & ſemper exiſtentis.

6. Ad argumentũ in contrarium dico, exiſtentiã entis neceſſarij inferri ex non exiſtentia perinde ac exiſtentia entis contingentis, quia non poteſt exiſtere, neq; poteſt non exiſtere ens contringens, niſi ab alio determinetur ad exiſtendum, quandó exiſtit, vel ad non exiſtendum, quandò non exiſtit,

quia

quia veró neceſſe eſt, vt ens contingens exiſtat, vel non exiſtat, ideó exiſtentia entis neceſſarij non infertur ex aliquo contingenti, ſed infertur ex neceſſitate, quam habet res contingens ad exiſtendum, vel non exiſtendum. Hinc cauſa illa, quæ determinat rem contingentem ad exiſtendum, debet ſemper eſſe, & conſequenter habet neceſſitatem exiſtendi, quia illa eadem cauſa, quæ determinat rem contingentem ad exiſtendum, quandó exiſtit, eam determinat ad non exiſtendum quandó non exiſtit: licet igitur res contingens neque ſemper ſit, neque ſemper non ſit, ſemper eſt cauſa rei contingentis, quæ iuxtá conſilium ſuæ voluntatis, eidem rei largitur exiſtentiam.

QVAESTIO IV.

Vtrum ſit euidens Deum eſſe ex capite cauſæ incauſatæ, & mouentis Immobilis.

1. VIdetur non eſſe primò: non eſt euidens repugnantia mutuæ prioritatis, ergo non eſt euidens exiſtere aliquod ens improductum, quiá poteſt, quidquid exiſtit eſſe productum ſine vlla neceſſitate entis improducti, cum vnum ens poſſit eſſe effectus illius rei, cuius eſt cauſa.

2. Non eſt euidens mundum non fuiſſe ab æterno, ergo non eſt euidens eſſe cauſam primam rerum omnium. Conſ. probatur quia ſi Mundus fuit ab æterno, fuerunt infinitæ cauſę cauſatę ſine cauſa incauſata, quia in numero infinito cauſarum, quæ ſunt cauſatę, inueniri non poteſt prima cauſa, quę ſit producta á cauſa incauſata.

3. Tota collectio infinita rerum, quę fuerunt

 in

in mundo, ſi mundus fuit ab ęterno, non eſt producta, licet ſingulę res eam collectionem componentes ſint productæ, quia non valet conſ. à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum, ergo non eſt euidens exiſtere ens improductum, quod ſit cauſa ſingugularum rerum, quæ ſunt productæ, quia nō poteſt conſtare exiſtētia entis improducti, niſi conſtet eſſe productam collectionem infinitam rerum productarum.

4. Reſpondetur: Deum eſſe ſub conceptu primæ cauſæ improductæ omnia producentis, & primi motoris immobilis omnia mouentis demonſtratur. Quidquid eſt, vel eſt productum, vel *improductum*: non omne id, quod exiſtit, eſt *productum*; ergo aliquid exiſtit improductum, ſed ens improductum eſt prima cauſa, ergo exiſtit prima cauſa, ergo &c. Mai: eſt euidens, quia productum, & improdictum opponuntur contradictorié, & inter ea, quæ opponuntur contradictorié, non datur medium. Min: probatur, nihil eſt productum, quod abalio non ſit productū; tum quia nihil poteſt ſe ipſum producere, vt in phyſicis oſtēſum eſt, tùm, quiá ens productum non ſemper eſt, quando autē non ſemper eſt, indiget alio à ſe diſtincto, vt ſit, ens igitur productum eſt ab alio productum: quòd ſi nihil eſt productum, quod ab alio non ſit productum, eſt manifeſtum non omne id, quod exiſtit, eſſe productum, quia ſi non poteſt vna res eſſe producta, quæ ab alio non ſit producta, neque poterit tota collectio finita, vel infinita rerum productarum eſſe, quin ab alià re ſit producta, quæ exiſtat extrà hanc totam collectionem, vt oſtenſiue demonſtro: repugnat aliquam collectionem, quæ conſtat ex finitis, vel infinitis indigentibus non

eſſe

eſſe indigentem, ergo repugnat collectionem, quæ conſtat ex rebus productis finitis, vel infinitis, nō eſſe productam, ſed omne productum, ab alio eſt productum, ergo extrá totam collectionem productam exiſtit aliquid á quo eſt producta, ergo tota collectio rerum exiſtentium non eſt producta. Conſequentia eſt euidens: id á quo eſt producta tota collectio rerum productarum, non eſt productũ, alioquin contineretur in ipſa collectione: euidens autem eſt non eſſe partem huius collectionis illudens, á quo tota eſt producta: ergo euidens eſt totum numerum rerum exiſtentium non eſſe productum, quia in hoc numero inuenitur illud ens, á quo debet eſſe producta.

5. Hoc eodem argumento aperté conſtat exiſtere in rerum natura motorem primum immobilem, quia omne id, quod mouetur, ab alio mouetur quód ſi nihil eſt, quod mouet immobile nihil mouetur: cum repugnet cauſam adequatam motus eſſe rem, quæ debet moueri: euidens autem eſt, aliqua in mundo moueri, vt conſtat in rebus, quæ in dies producuntur: ergo euidens eſt eſſe in mundo aliquem motorem immobilem: ſed Deus eſt motor immobilis, quia omnia mutat cum ſit immutabilis apud ipſum enim nulla eſt viciſſitudinis obrumbratio, ergo euidens eſt Deum eſſe. Addo fieri non poſſe, vt mundus exiſtat, quem ſapientiſſimus intellectus non fecerit: hic intellectus debet eſſe prima ratio rerum omnium; prima autem rerum omnium ratio eſt prima cauſa; prima igitur cauſa exiſtit.

6. Ad primum: eſt euidens repugnare mutuám prioritatem, ſaltem in eodem genere, quiá repugnat res, quæ producat ſemetipſam, euidens igitur eſt res omnes productas ab aliquo improducto

ſuam habere originem, ne in eam ſententiam cogamur deſcendere, quæ docet eamdem rem eſſe cauſam illius rei, cuius eſt effectus.

7. Ad 2. omiſſo antecedenti conſequentia eſt falſa, quia licet in ordine rerum ſuccedentium, & decedentium, nulla ſit res, ante quam alia non fuerit, ſi mundus fuit ab ęterno, nihilominus tota collectio huiuſmodi rerum fuit, de qua rogo; ſit ne producta, an improducta: non improducta, quia conſtat ex rebus productis, ergo producta: quia veró nihil eſt productum, quod ab alio non ſit productum, ideó præter iſtam collectionem eſt aliqua res improducta; vides igitur æternitatem mundi nihil conferre ad infringendum argumentum, quo eſſe Deum oſtendimus. Hinc Ariſtoteles, qui Mundum cenſuit fuiſſe æternum, agnouit neceſſitatem primę cauſæ, & motoris immobilis.

8. Ad 3. in re præſenti optimé infertur eſſe productam totam collectionem, ſi ſunt producta ſingula, quæ eam componunt; quia indigentia vnius rei non minuitur ſed augetur per conſortium alterius rei eadem indigentia laborantis: quis enim eſt, qui dicat vnius egeni paupertatem alterius paupertate ſubleuandam? Ille igitur numerus, qui conſtat ex infinitis indigētibus, eandem, ne dicam maiorē patitur indigentiam, ſi ergo vnaquęque res contingens indiget, cur non indigebit tota rerum contingentium multitudo? neceſſe igitur, eſt, vt detur aliqua res, quę nulla re indigeat, & ea omnia indigeant, nimirum prima cauſa, & motor immobilis.

QVÆ-

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ſit Euidens Deum eſſe ſub conceptu finis vltimi, primi intellectus, & ſupremi legiſlatoris.

1. VIdetur non eſſe, quia ad conſtituendum ordinem in Mundi republica, non eſt neceſſe, vt exiſtat aliquod bonum ad quod omnia referantur: in primis, quia ſatis eſt vnamquamque rem ordinari ad bonum aliquod peculiare: deinde ſi neceſſe eſt aliquod bonum eſſe, ad quo cætera referantur, hoc vtique erit ſummum bonum; repugnat autem ad ſummum bonum omnia referri, quia ſummum bonum nullius rei indiget: præterea ſi eſt aliquid bonum, quod omnia reſpiciunt, eſt bonum vniuerſi, bonum autem vniuerſi non eſt Deus, non conſtat igitur ex capite finis vltimi Deum eſſe.

2. Reſpondetur: exiſtentiam Dei quam pluribus argumentis huc vſque demonſtrauimus, triplici tandem ex capite debemus oſtendere, nimirum ex capite vltimi finis, ad quem omnia ordinantur, tanquam ad finem excellentiæ: ex capite ſupremi intellectus, qui omnia comprehendit per cognitionem á ſe indiſtinctam, & eſt prima ratio rerum omnium: ex capite legiſlatoris, ad quem ſpectat leges condere ſingulis rationis vſum attingentibus per conſcientiæ dictamen promulgatas.

3. Ex capite finis vltimi Deum eſſe itá demonſtro: non eſt minús euidens eſſe finem vltimum rerum omnium, quám eſſe primum earumdem principium: euidens autem eſt, eſſe primum rerum omni-

omnium principium, vt patet ex dictis, ergo euidens eſt eſſe finem vltimum rerum omnium, qui Deus eſt. Mi: patet: maior probatur, quia ſicuti repugnat aliquid eſſe productum, quod ab alio non ſit productum, ita repugnat aliquid factum, quod propter aliquem finem non ſit factum, non enim eſt minor neceſſitas cauſæ finalis, quàm efficientis ad agendum, ſi ergo non poteſt fieri vt aliquid ſit productum, quin exiſtat principium improductum, nimirum res á nulla alia re facta & á qua facta ſunt omnia, neque fieri poteſt, vt aliquid exiſtat, non exiſtente vltimo fine; nimirum tali ac tanto bono, vt propter nullum aliud bonum ſit amandum, & propter ipſum omnia ſint amanda: Cõſeq: eſt euidens, quia perinde ſe habet ad effectus exiſtentia cauſę finalis, ac efficientis; ſed in genere cauſæ efficientis neceſſe eſt primã cauſam exiſtere, cauſam nimirum improductã, ergo in genere finis neceſſe eſt finem vltimum exiſtere, ideſt ad nullum vlteriorem finem referendum. Confirmatur, quia, vel omne bonum, quod exercet munus cauſæ finalis eſt amabile propter aliud bonum, vel aliquod bonum non eſt amabile propter aliud bonum, ſed non omne bonum eſt amabile propter aliud bonum, quia extrá totam collectionem bonorum amabilium propter aliud bonum debet eſſe aliquod bonum, propter quod eſt amabilis tota collectio bonorum amabilium propter aliud bonum: ergo exiſtit aliquod bonum, quod non eſt amabile propter aliud bonum. Hoc bonum non amabile propter aliud bonum eſt omne bonum, & ſummum bonum; ſummum autem bonum eſt finis vltimus quia bonum, & finis conuertuntur: ergo exiſtit finis vltimus, ergo euidens eſt Deum exiſtere ſub conceptu finis vltimi omnium rerum.

Præ-

Præræreà nihil alud magis appetit natura rationalis ipſa felicitate, quæ non poteſt ſeparari á conſecutione ſummi boni, quia nemo cenſetur felix niſi omne, & ſummum bonum poſſideat: quòd ſi nullum re verá eſſet ſummum bonum, appetitus iſte fælicitatis rem appeteret, nunquam conſequendam, adeoque falsò appeteret: eſt igitur neceſſe ſummum bonum exiſtere, quod eſt finis vltimus totiùs naturæ rationalis, quæ ſola nititur ad beatam, & felicem ducendam vitam. Quia veró natura irrationalis eſt medium ordinatum ad naturæ rationalis dignitatem, & perfectionem tanquam ad finem ſui, idcirco eſt euidens Deum exiſtere ſub conceptu finis vltimi, ad quem ordinatur tota hæc mundi vniuerſitas, eo ferme pacto quo ad vnum Imperatorem omnes milites, qui componunt exercitum, referuntur.

4. Ex cap. primi intellectus eſſe Deum in hunc modum demonſtratur. Manifeſtam eſt aliquam mentem fuiſſe opificem mundi, quia cum nullum opus exiſtat in quo maior eluceat ordo, maior partium conſenſio, maior diſpoſitio toto iſto mundo, quem natura fabricauit, & munus proprium ſapientiſſimi intellectus ſit ordinem conſtituere in rerum multitudine, neceſſarió ſequitur mundum eſſe conditum ab aliquo intellectum ſapientiſſimo, quis enim eſt, qui vocare poſſit in dubium, an maioris momenti ſit hominem verum, quam pictum pingere? an plus artis requiratur in fabricandi, ordinandisque Aſtris, quorum plurima totam terræ molem magnitudine ſuperant, quam in pulcherimo palatio á fundamentis excitando? nomne apertè deliraret, qui crederet elegantiorem roſam expreſſam in tela, quám in terra germinantem? quæró, an aliquis adeo

adeo rudis, & imperitus exiſtat, qui ſibi perſuadeat picturam hominis, qualem Apelles elaborauit, eſse opus nullius mentis, & nullius intellectus. Quis operoſa mole oculis vſurpata ſtatim, & quodam naturæ ductu non intelligit eam eſse opus alicuius egregij artificis magna mente præditi? quód ſi huiuſmodi operá, quæ componi non poſsunt cum vna roſa, quam terra ſuo fundit é ſinu, non poſsunt non eſse facta ab aliqua mente; quis credere poterit totam naturam, quæ maximó ſtudio, & incredibili diligentia eſt elaborata; non fuiſse alicuius intellectus opera conditam? Videantur in hanc rem, quæ eleganter ſcripſit in ſecundó de natura Deorum diſertiſſimus Orator, & Philoſophus Marcus Tullius, qui hoc inuictiſſimo argumentó omnes Atheiſtas expugnat. Quia veró intellectus, á quo eſt factus totus mundus, debet eſſe vi alicuius cognitionis; neceſſe eſt, vt iſte intellectus totius terrarum orbis artifex, qui habet eſſe á ſe, adeoque ſufficit ſibi, ſit cognitio ſui, & conſequenter cognoſcat ſe per cognitionem á ſe indiſtinctam, alioquin non eſſet ſapientiſſimus ille intellectus, vi cuius ſapienter eſt, quidquid ab hoc intellectu factum eſt: & quoniam intellectus, qui ſe intelligit, per cognitionem á ſe indiſtinctam, eſt primus intellectus, nimirúm ſupremus, & infinitus intellectus; ideó euidens eſt exiſtere ſapientiſsimum intellectum, & primam mentem.

5. Prætereá Deum eſse ſub conceptu ſupremi legislatoris, qui pleniſsimum habet dominium in quamcunque naturam rationalem, hoc argumento demonſtro. Nemo eſt, qui dubitare audeat, an homo cum primúm attigit vſum rationis, poſſit honeſté agere, & poſſit peccando á regula hone-

ſtatis deflectere, quia verò quicunque peccat rem agit non agendam, ſiue rem, quam tenetur non agere, ideó neceſse eſt eſſe aliquem legislatorem & aliquem legitimum naturæ rationalis Principem, qui iuxtá ſuæ voluntatis arbitrium eam obligare poteſt ad aliquid faciendũ pœnas minando, & præmia promittendo. Vrgeri poteſt efficaciùs idem argumentum: quandò aliquis vſum rationis aſſecutus mentitur: cur peccat? Quia rem facit non faciendam, adeoque mentiendo legem tranſgreditur; huiuſmodi lex eſt quædam lex æterna, & inuariabilis; quæ reddit mendacium turpé, & illicitum: fieri autem non poteſt, vt exiſtat lex ſine legislatore, quia munus legis eſt ligare libertatem illius, aduerſus quem lex ſtatuitur: nemo autem habet facultatem alienæ libertatis ligandæ, qui dominium non habeat: reliquum igitur eſt, vt aliquis ſupremus Dominus, & immortalis exiſtat, qui per leges ęternas omnibus intimatas per dictamen conſcientiæ habet virtutem obligandi genus humanũ. Iſte Dominus procul dubio eſt Deus, ergo euidens eſt ex parte ſupremi legislatoris Deũ eſſe.

6. Ad argumentum in contrarium, dico omnia ordinari ad aliquem vltimum finem, qui finis eſt Deus; quia veró Deum non poſſunt poſſidere niſi ſubſtantiæ intelligentes; ideó omnis natura irrationalis ordinatur ad rationalem, cuius felicitas conſiſtit in cognoſcendo, & amando Deum; non proinde ſequitur, Deum ad quem omnia ordinantur; non eſſe ſummum bonum; immó ſequitur oppoſitum, quia non eſt contrà naturam ſummi boni, vt omnia referantur ad illud, vt ad finem vlt: excellentiæ, finis enim vltimus excellentiæ eſt bonum, quod non indiget alio bono.

DI-

DISPVTATIO DVODECIMA.

De concurſu cauſæ primæ.

DEmonſtrata exiſtentia Dei, neceſſe eſt demonſtrare eſſentialem dependentiã cauſæ ſecundæ á cauſa prima túm in eſſendo; túm in operando. De dependẽtia cauſæ ſecundæ à cauſa prima in eſſendo diſputatum fuit in tom.3.diſp. 7. qu.vlt. de dependentia in operando agendum in præſenti, vbi ſermo erit de phyſica prædeterminatione.

QVAESTIO I.

Vtrum cauſa ſecunda eſſentialiter pendeat à Deo in operando.

1. NOn eſt dubium, quin cauſa prima mediaté ſaltem agat, quandó agit cauſa ſecunda; cum enim hæc non agat niſi per virtutem agendi, quam á Deo accipit, dum agit, á quo nimirùm conſeruatur; conſequens eſt, vt Deus agat, quidquid agit res creata. Dubium eſt mediatè ne, an immediatè agat; ſi enim immediaté agit; neceſſe eſt, vt in effectum, qui producitur, præter cauſam ſecundam influat etiam prima, & re vera poſ-

ſe

ſe cauſam primam agere immediaté illud ipſum quod agit ſecunda; non poteſt, quantùm arbitror dubitare, qui rem totam intelligit; cum duæ cauſæ adæquatæ attemperantes concurſum eundem effectum poſſint producere. Dubitari ſolùm poteſt, an debeat cauſa prima immdiaté agere quidquid agit ſecunda, eo quód cauſa ſecunda licet adæquata reſpectu effectus, quem producit, habet indigentiam alteriús cauſæ ad operandum. Hanc indigentiam eſſe inſeparabilem á cauſa ſecundá ferè omnes Theologi cum S. Thoma in prima parte quæſt. 105. artic. 5. opinantur, vnde inferunt virtutem agendi, quæ non indiget alia cauſa, eſſe infinitam. Quia veró difficile eſt rationem tradere, cur iſta virtus ſit infinita, ideò aliqui exiſtimarunt in præſenti prouidentia, ſiue in hoc rerum ordine nullam cauſam ſecundam adæquaté agere, poſſe tamen in alio rerum ordine adæquaté agere independenter á cauſa prima. Durandus verò, qui in hac ſua opinione eſt ſingularis, auſus eſt dicere, cauſas ſecundas non pendere immediaté á Deo in operando, quam opinionem, tanquam temerariam, redarguit Suarius, & meritó, quia nihil eſt, quod magis doceant ſacræ literæ, quam Deum vbi que præſentem omnia in omnibus operantem, Actorum 17. *in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus* Iſaiæ 26. *omnia opera noſtra operaſti es in nobis Domine*, & in lib. Iob. cap. 10. *Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſtime*. In hanc igitur ab omnium ſcholaſticorum mente adeó alienam ſententiam incidit Durandus, quia fortaſſe non potuit ſoluere difficultates, quæ occurrunt in cauſa libera pendente á Deo immediatè in operando; nos vt cum maiori delectu procedamus in hac materia de concurſu Diuino ad

om-

omnes,& ſingulos effectus pro ducendos, in præſenti præſcindimus à cauſa libera, de qua in ſequentibus quæſtionibus ſermo erit, quærimus itaque, an cauſa ſecunda non libera pendeat eſſentialiter immediatè à Deo in operando.

2. Ratio dubitandi eſt primò; cauſa adæquata non indiget alia cauſa, vt producat effectum; ſed cauſa ſecunda eſt cauſa adæquata, ergo non indiget alia cauſa ad operandum. Minor probatur; quia vnus homo eſt cauſa adæquata alteriùs hominis; vnus ignis, alterius ignis, manifeſtum eſt enim, non itá ſe habere hominem reſpectu hominis, ſicuti albedo reſpectu viſionis, quam inadæquatè producit.

3. Secundò; cauſa in omni genere adæquata eſt cauſa continens formaliter, vel eminenter totam perfectionem effectus, ergo eſt cauſa adæquata in omni genere. Minor probatur, quia vnus homo continet formaliter totam perfectionem eſſentialem alteriùs hominis, quod ſufficit, vt poſſit adæquatè alium hominem producere.

4 Tertiò: nullus gradus perfectionis eſt in effectu, qui non ſit in cauſa ſecunda: ergo, &c. Ant: probatur, quia in homine genito nullus eſt gradus perfectionis, qui non ſit in generante; cum æquè ſit homo ille, qui generat, ac qui generatur.

5 Quartò: ſi aliquis gradus perfectionis eſt in patre, maior intenſiuè perfectio eſt in patre, & in filio, quám in ſolo patre; conſequens eſt falſum, ergo & ant: Minor probatur, túm quia pater non eſt magis homo cum filio, quám ſine filio; licet non ſit ille idem homo, qui eſt filius; ergo non habet maiorem intenſiuè perfectionem cum filio, quám ſine filio; tùm quia Deus etiam ſi non habeat illam eandem perfectionem realiter, quam
ha-

habet mundus, non eſt intenſiuè perfectior cum mundó, quám ſine mundo; ergo &c.

6 Quintó: filium diſtingui á patre non eſt perfectio; ſed de patre prædicatur in ſenſu formali quid quid prædicatur de filio præter hoc, quod eſt non eſſe patrem; ergo omnis perfectio, quæ eſt in filio, eſt etiam formaliter in patre; ergo &c. Maior probatur, quia diſtingui ab imperfectione patris conuenit rei nullam habenti perfectionem, ideſt chimeræ, quæ vtique non eſt meus pater; ſed repugnat, vt rei, quæ nullam habet perfectionem, conueniat aliqua perfectio; ergo diſtingui ab imperfectione patris nulla eſt perfectio.

7 Sextó: diſtingui poſitiuè ab imperfectione patris, licet ſit aliqua perfectio, non tamen eſt diuerſa ab hac perfectione, quæ conſiſtit in diſtinctione poſitiua patris ab imperfectione filij; ſed pater diſtinguitur poſitiuè ab imperfectione filij, ſicuti filius diſtinguitur poſitiuè ab imperfectione patris; ergo eandem formaliter habet perfectionem pater, ac filius. Confirmatur, quia negari non poteſt, quin ſit æqualis perfectio; ſed æqualis perfectio ſufficit ad rationem cauſæ; ergo &c.

8 Septimó: cauſa ſecunda vel nihil agit, vel adæquaté agit; ſed aliquid agit; ergo adæquaté agit: ergo non pendet á prima cauſa, dum agit. Maior probatur, quia vel nullam formalitatem, vel aliquam dat effectui; ſi nullam, nihil agit; ſi aliquã, adæquaté agit; illam enim, quam dat, adæquaté dat; quòd ſi eam adæquaté dat, omnem dat; cum eadem vtrobique ſit ratio.

9 Vltimó: res, quæ agit per virtutem agendi ab alio acceptam, agit dependenter ab alio; ſed cauſá ſecunda etiamſi adæquaté agat, agit per virtutem agendi acceptam á Deo; ergo agit depen-

denter á Deo; ergo non eſt, cur Deus agat immediatè, quando cauſa ſecunda agit; ratio enim cur Deus agit, eſt, quiá cauſa ſecunda dum agit, pendet á Deo; ſed pendet, etiam ſi non agat; ergo &c.

10 Contrà hanc Durandi ſententiam dico cum omnibus Scholaſticis, cauſam ſecundam eſſentialiter pendere à Deo immediatè operante; adeoque repugnare, vt aliquid agat res creata, quod immediatè Deus non agat.

11 Ratio á priori, quæ deſumitur ex conceptu formali rei creatæ, eſt, quia illa cauſa, quæ ita cauſat, vt careat aliqua perfectione, quam habet effectus, non eſt ſimpliciter, & in omni genere adæquata; effectus enim, cum ſit quædam imago repræſentans cauſam, à qua producitur, neceſſe eſt, vt nullum habeat perfectionis gradum, qui non reluceat in adæquatá ſufficientia ſui, ad cuius imitationem eſt factus. Apertè autem conſtat, aliquem eſſe perfectionis ſimpliciter ſimplicis gradum in effectu, qui neque eſt, neque eſſe poteſt in cauſa ſecunda; nimirùm diſtingui á ſua cauſa; quòd vtique repugnat cauſæ; cui repugnat diſtingui à ſe ipſa. Quòd autem diſtinctio effectus á cauſa ſecunda ſit perfectio effectus demoſtratur; tùm quia melius eſt diſtingui á re imperfecta, quàm non diſtingui; vt patet ex terminis; ergo diſtingui ab imperfectione cauſæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; adeoque melior ipſa, quám non ipſa; tùm quia carere identitate cum re imperfecta conuenit Deo, cui conuenit omnis perfectio. Cauſa igitur ſecunda neque eſt, neque eſſe poteſt cauſa ſimpliciter, & in omni genere adæquata effectus, quem producit; quia veró non poteſt eſſe effectus niſi ſit cauſa ſimpliciter adæquata; id eſt continens totam perfectionem effectus; ideó cauſa ſecunda non poteſt agere,

niſi

niſi agat immediatè prima; ſi enim Deus non agit immediaté, illud ipſum, quod agit homo, quando generat hominem; neceſſe eſt, vt aliquam perfeɥionem habeat filius, quam á nullo habet; vt oſtenſiué demonſtro; filius vtique habet hanc perfectionem, quæ conſiſtit in diſtinctione á patre, ſiue in non habendis imperfectionibus patris: quæro nunc; hanc perfectionem, quam habet filius, á quo habet? á patre? at eam pater non habet: quomodò igitur poteſt habere á patre id, quod in ſe pater non habet? á Deo? at Deus immediaté non agit, vt Durandus dicit; quomodo igitur poteſt aliquid habere immediatè á Deo, quod immediatè Deus non dat? á ſe igitur habet; quod repugnat; ne ergo in hunc errorem incidamus, fatendum eſt Deum immediaté agere, dum homo agit; immó ſemper agere, dum quælibet cauſa agit; hoc enim ineluctabile argumentum oſtendit Deum immediaté omnia operantem.

12 Veritatem huiuſmodi demonſtrationis ſuádet hic diſcurſus: res infinité perfecta eatenús differt á re finité perfecta; quatenús illa habet omnem perfectionem, secús iſta; ideo nihil poteſt eſſe magis perfectum re infinité perfecta; adeoque res infinitè perfecta non poteſt euadere perfectior; quod autem non poteſt euadere perfectiús, neceſſe eſt, vt tantam intenſiué perfectionem habeat ſine alijs rebus, quám ſimúl cum alijs rebus: perfectio igitur infinita poteſt augeri extenſiuè, non veró intenſiué; id circo ante orbem conditum fuit tota intenſiué perfectio, quæ eſt in præſenti: Deus enim fabricando mundum, totam perfectionem in genere entis amplificauit extenſiué, non verò intenſiuè, quia Deus cum mundo non eſt melior, quám ſine mundo. Oppoſito modo differendum eſt de

quibuslibet rebus creatis quantumuis perfectis in ſuo genere; quæ cum infinita perfectione careant, poſſunt fieri perfectiores intenſiué, adeoque totum, quod conſtat ex rebus creatis, eſt intenſiuè perfectiús ſingulis partibus; inde eſt, in effectu, & cauſa plus eſſe perfectionis, quàm in ſóla cauſa; dummodo ſit cauſa ſecunda; quando igitur cauſa ſecunda agit, perfectio in genere entis extenditur, in genere verò entis creati intenditur. Ratio, cur extendatur perfectio in genere entis, eſt manifeſta, quia quando datur perfectio ſumma, non poteſt fieri intenſiué maior, alioquin ſumma non eſſet; ſed datur perfectio in genere entis ſumma, ideſt Diuina perfectio; ergo non poteſt fieri maior intenſiuè, perfectio ergo in genere entis ſi creſcit, quandó cauſa ſecunda agit, extenſiué ſolùm creſcit. Ratio autem, cur perfectio in genere éntis creati creſcat intenſiuè, eſt, quia huiuſmodi perfectio non eſt ſumma; & illa perfectio, quæ ſumma non eſt, poteſt maior euadere; adeoque cauſa ſecunda dum agit, eſt ratio, cur intenſiué creſcat perfectio in genere entis creáti. Quia veró non poteſt eſſe adæquata ratio, ideo debet cum cauſa ſecunda agere alia cauſa communicans effectui illam peculiarem perfectionem, quæ cum ſit in effectu; & non ſit in cauſa ſecunda; eſt ratio, cur complexum ex cauſa ſecunda, & effectu, ſit perfectiús intenſiuè ſola cauſa ſecunda; complexum veró ex effectu, & cauſa prima non ſit intenſiuè perfectiús ſola cauſa prima.

13 Ex hoc diſcurſu ſequitur, cauſam adæquatam aliam eſſe ſimpliciter, & in omni genere adæquatam; aliam ſecundúm quid, & in aliquo genere adæquatam; id eſt in genere cauſæ ſecundæ, quæ eſt ſimpliciter inadæquata. Cauſa in omni genere adæ-

adæquata eſt illa, quæ habet in ſe totam perfectionem reperibilem in effectu; adeoque non eſt perfectior cum effectu, quám ſine effectu, cum effectus non ſit perfectus, ſed imperfectus, quia diſtinguitur à cauſa ſua adæquata, ideo non poteſt agere, niſi ex abundantia, volendo nimirùm communicare liberaliter illud eſſe, quod perfectiſſimé habet. Huiuſmodi cauſa eſt ſolus Deus, qui cum infinité exiſtat, infinitam habet virtutem; adeoque eſt ſufficientia in omni genere adæquata rerum omniū; inde eſt, quód ſi agendo admittit conſortium alterius cauſæ; id naſcitur non ex aliqua neceſſitate, ſed ex ſumma liberalitate, qua vult attemperare ſuum concurſum, vt etiam cauſa ſecunda agat. Cauſa verò in aliquo genere adæquata eſt cauſa, quæ continet quidem formaliter, vel eminenter perfectionem ſpecificam effectus; ſed non continet indiuidualem eius perfectionem; adeoque eſt ſimpliciter inadæquata, quæ proinde eſſentialiter indiget alia cauſa, vt agat: huiuſmodi eſt quælibet cauſa ſecunda, quam repugnat agere Deo immediaté non agente. Vndé ſequitur, eodem modo eſſe diſſerendum de exiſtentiâ, ac de virtute agendi, quam res creatæ habent; res enim creata ſicuti Deo indiget, vt exiſtat, quia finité exiſtit; ita Deo indiget, vt operetur, quia eſt virtutis finitæ; virtus enim, quæ dum agit, non indiget alia re, eſt infinita: actio igitur, qua cauſa ſecunda agit, eſt illa eadem, qua agit prima: hoc enim pacto vtraque immediaté agit; ideo Sole nos illuminante, igne calefaciente, cibo reſtaurante Deus ipſe nos illuminat, calefacit, & delectat; quod eſt maximum Dei nos diligentis, adeoque à nobis diligendi argumentum.

14. Ad primúm: ex dictis conſtat: in forma

diſtinguo maiorem: cauſa adæquata in omni genere non indiget alia cauſa: concedo ma: adæquata in aliquo genere: nego ma: & diſtin: min: cauſa ſecunda eſt adæquata in omni genere: nego min: in aliquo genere: concedo min: & nego conſeq: ratio inter hominem, qui generat hominem, & albedinem, quæ producit viſionem eſt diuerſa, quia albedo in nullo genere eſt cauſa adæquata viſionis, indiget enim alia cauſa ſecunda, vt efficiat viſionem: homo verò eſt cauſa adæquata in aliquo genere, nimirùm in genere cauſæ ſecundæ.

15. Ad ſecundùm: diſt: ma: cauſa in omni genere adæquata continet totam perfectionem effectus in omni genere: concedo ma; totam in aliquo genere: nego ma: & diſt: min: cauſa ſecunda continet perfectionem effectus in omni genere: nego min: in aliquo genere: concedo min: & nego conſeq. Homo, qui generat hominem, habet profectò totam perfectionem eſſentialem, quàm habet homo genitus, quiá habet eandem eſſentiam propter ſpecificam identitatem vnius hominis cum alio, ideò dicitur habere totam perfectionem effectus in aliquo genere, hoc eſt in genere hominis, non habet perfectionem in omni genere, quia non habet totam in genere entis; plus enim entitatiuæ perfectionis eſt in duplici homine, quàm in vno tantùm homine. Cauſa verò adæquata debet habere totam in genere entis; adeóque nulla debet eſſe perfectio in effectu, quæ non ſit in cauſa. Indé eſt, non benè argui à tota perfectione in genere hominis, quæ eſt perfectio eſſentialis, ad totam in omni genere, quia non benè arguitur á ſecundum quid, ad ſimpliciter.

16. Ad tertiùm: nego ant: filius enim habet

hanc

hanc perfectionem; nimirùm diſtingui ab imperfectione ſui Patris, quam perfectionem habet communem cum Deo, non habet communem cum ſuo Patre, vt eſt manifeſtum. Quòd ſi æquè eſt homo Pater, ac filius; ideò eſt, quia nullum eſt prædicatum in filio, quod non ſit in Patre; ſpecies enim conſiſtit in indiuiſibili, ideo fieri nō poteſt, vt Pater, & filius ſint eiuſdem ſpeciei; quin vterque habeat eadem prædicata, quæ conſtituunt ſpeciem humanam. Non proindè ſequitur, nihil entitatiuæ perfectionis eſſe in filio, quod non ſit in Patre, immò ſequitur oppoſitum, quiá ſequitur filium eiuſdem ſpeciei cum Patre diſtingui ab eius imperfectione; vndè patet ad antecedentis probationem.

17. Ad quartúm: concima: & nego min: tota æquiuocatio argumenti diligenter obſeruanda conſiſtit in tranſitu á perfectione in vno genere, ad perfectionem in omni genere: perfectio enim, quæ eſt in vno genere; nimirúm perfectio ſpecifica in genere hominis non ſuſcipit magis, & minús, quia eſt tanta, & non maior perfectio: illa veró perfectio, quæ eſt in omni genere; nimirùm in genere entis, ſuſcipit magis, & minùs, ideo vna ſpecies eſt perfectior alia, non eſt igitur cur in hunc modum arguatur. *Pater non eſt magis homo cum filio, quam ſine filio: ergo non eſt magis perfectus cum filio, quam ſine filio*, conſequentia enim eſt falſa, licét antecedens ſit verum, quia arguitur á perfectione in vno genere ad perfectionem in omni genere, adeóque á ſecundum quid, ad ſimpliciter, poteſt autem ad ambiguitatem vitandam diſt: conſeq. *ergo non eſt magis perfectus in tali genere*, ſiue in genere hominis: *conc: conſeq. in omni genere, ſiuè in genere entis: nego conſeq.*

Cæterùm inter Deum, qui non eſt magis perfectus cum mundo, quam ſine mundo, & Patrem magis perfectum cum filio, quám ſine filio, eſt euidens diſparitas, quia Deus vtpoté infinité perfectus habet totam perfectionem in genere entis, ſiue in omni genere, quam mundus habet, ſecús contigit in Patre reſpectu filij, & causa ſecunda reſpectu effectus.

18. Ad quintúm: diſt:ma: filium diſtingui poſitiué á Patre non eſt perfectio filij:nego ma:diſtingui puré negatiue; nego ſuppoſitum, & conceſſa min: nego conſeq. Dupliciter vſurpari poteſt diſtingui ab inperfectione Patris,negatiuè nimirúm, & poſitiué,ſi vſurpetur negatiué,nulla eſt perfectio, vt rectè probat arguens, quia id conuenit Chimæræ, quód ſi vſurpetur poſitiuè, eſt perfectio, quia conuenit Deo, qui eſt perfectiſſimus, ſicuti non dependere puré negatiué nulla eſt perfectio, & quidem infinitá, vtpote ſoli enti á ſe conueniens.

19. Ad ſextúm: nego ma: perfectio, quam habet filius diſtinctus ab imperfectione Patris, eſt diuerſa á perfectione, quam habet Pater diſtinctus áb imperfectione filij, túm quiá iſtæ duæ perfectiones ſecundúm ſuum conceptum formalem non poſſunt inuicem confundi, cum in ſenſu formali non ſint inuicem prædicabiles, quód requiritur, vt duæ perfectiones ſint ſimiles, vt contingit in illa perfectione hominis, quæ eſt in Petro, & illa quæ eſt in Paulo: idem enim formaliter homo eſt prædicabilis de Petro, & Paulo, quia Petrus, & Paulus habent naturam humanam ſimilem, túm quiá filius, qui non habet imperfectionem patris, & pater, qui non habet imperfectionem filij participant perfectionem diuinam formaliter diuerſam. Ratio á priori eſt, quia cum iſta perfectio fundetur in

indi-

indiuiduatione, indiuiduatio autém ſit entitatiuè diſſimilis, vt demonſtratum eſt tomo 1. diſp.7. qoæſt.4.num 6. húiuſmodi etiam perfectio eſt diſſimilis, adeóque diuerſa.

20. An veró tanta ſit perfêctio in patre diſtingui ab imperfectione filijquanta eſt in filio diſtingui ab imperfectione patris, pendet ab illa quæſtione, an duæ perfectiones diſſimiles ſint inæquales, quæ adhúc eſt indeciſa: nihil enim hucuſque definimùs, neque in præſenti definimus. Licet igitur omnibus eam amplecti partem, quæ ad argumentum ſoluendum magis opportuna libuerit: licèt enim in tomo 1. docuerimus ea, quæ differunt ſpecie, adeóque habent perfectionem eſſentialem diſſimilem, habere perfectionem inæqualem, non proindè tenemur docere, duo indiuidua entitatiuè diſſimilia eſſe inæqualis perfectionis, quia eſt diſpàr ratio; cum diſſimilitudo ſpecifica, quæ eſt diſſimilitudo eſſentialis, ſit formals diſſimilitudo, adeóque inducit inæqualitatem, eo modo, quò diſſimilitudo, quæ facit vnum numerum differre ab alio, quæ diſſimilitudo eſt formalis, coniungitur cum inæqualitate. Cæterúm æqualitas, vel inæqualitas perfectionis inpertinenter ſe habet ad rationem cauſæ, quia requiritur ſimilitudo perfectionis effectus cum perfectione cauſæ, id circó perfectio diſſimilis licét æqualis, non eſt ratio, cur vna res aliam contineat, cum effêctus, qui imitatur ſuam cauſam, debeat eam repræſentare in omnibus prædicatis inuoluentibus perfectionem: vndé fit, vt perfectio, quam accipit á cauſa debeat eſſe ſimilis perfectioni, quam habet cauſa, hæc autém ſimilitudo tunc inuenitur, quando perfectio, quæ eſt in effectu, eſt in ſenſu formali perfectio cauſæ.

21. Ad

21. Ad ſeptimum: nego ma: ad eius probationem dico nullam formalitatem communicari effectui á cauſa ſecunda, quæ non communicetur immediaté á prima, adeóque cauſam ſecundã eſſe inadæquatam. Ratio eſt, quiá nulla eſt formalitas, quam communicat cauſa effectui, quæ non includat formaliter hanc formalitatem diſtinctionis realis á cauſa; formalitas enim communicata effectui eſt formaliſſimè formalitas producta; formaliter autèm producta eſt formaliſſimé formalitas diſtincta á producente, cum ratio formalis rei productæ ſit ratio formalis rei diſtinctæ á producente; ergo nulla eſt formalitas communicata effectui á cauſa ſecunda, quæ non ſit formalitas rei diſtinctæ ab imperfectione ſuæ cauſæ, quiá cauſa ſecunda eſt formaliſſimè imperfecta, ſed hanc formalitatem, quæ vtique inuoluit perfectionem, non poteſt cauſa ſecunda communicare effectui, vt demonſtratum eſt; ergo nulla eſt formalitas, quam cauſa ſecunda communicat adæquaté effectui, quia illa formalitas adæquaté non communicatur, quæ non præſcindit ab aliqua formalitate non communicata; ergo nullam formalitatem communicat cauſa ſecunda, ad quam communicandam non indigeat cauſa prima, hoc eſt illa cauſa, á qua diſtingui non eſt perfectio.

22. Ad vltimùm: repugnat in terminis, vt aliquà res perfectionis finitæ agat per virtutem in omni genere adæquatam, adeóqué non indigentem alia cauſa: quia verò virtus á Deo producta eſt perfectionis finitæ, ideo repugnat virtus á Deo producta, quæ ſit in omni genere adæquata: indé eſt, quód dependentia á Deo in operando eſt connexá eſſentialiter cum dependentiá in exiſtendo ſine dependentia in operando eſt chimæra, quia dependentia

in

in exiſtendo, quæ ſimul non eſt dependentia in exiſtendo cum ſit chimæra, vt conſtat ex terminis, & independentia in operando inferat independentiam in exiſtendo, conſequens eſt, vt independentia in operando cum dependentia in exiſtendo ſit chimæra.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus immediatè concurrat cum cauſis liberis.

1. Videtur non concurrere: primò quia cauſa libera quatenús libera non indiget alia cauſa determinante; ergo neque indiget alia cauſa operante: ergo &c. Ant: patet, quia cauſa libera quatenús libera ſe ipſam determinat. Conſeq: prob: quia illa cauſa, quæ eſt adæquatum principium ſe determinandi, eſt adæquatum principium agendi; ergo cauſa libera ſi non indiget alia cauſa, vt ſe determinet, neque indiget vt agat.

2. Secundò: cauſam liberam ſe determinare eſt formaliſſimé cauſam liberam agere, ſed cauſa libera quatenús ſe determinat, non indiget aliá cauſá, ergo quatenùs agit, non indiget alia cauſa, ergo ſicuti adæquatè ſe determinat, itá adæquaté agit. Conſequèntia probatur, quia illa eadem forma, quæ facit, vt cauſa libera ſe determinet, facit vt agat, ſed forma, quæ facit, vt cauſa libera ſe determinet, eſt adæquatè á cauſa libera, alioquin cauſa libera non eſt adæquata ratio, vt ſe determinet; ergo forma, quæ facit, vt cauſa libera agat, eſt adæquaté á cauſa libera; ſed huiuſmodi

modi forma eſt actio; ergo cauſa libera adæquatè agit.

3. Tertiò: ſi cauſa prima agit illud idem, quód agit cauſa libera, illud idem determinat, quód determinat cauſa libera; ſi illud idem determinat, non ſola cauſa libera determinat; ergo ſi cauſa prima immediatè agit, non ſola cauſa libera determinat; ergo &c. Ma: prob. túm quia intelligi non poteſt, quomodo actio libera procedat immediatè á Deo, & cauſa libera, eaque denominet vtramque cauſam immediatè operantem, & tamen non denominet vtramque determinantem; túm quia determinatio cauſæ liberæ eſt formaliſſimé actio cauſæ liberæ, ſed actio cauſæ liberæ eſt formaliſſimé actio Dei; ergo &c.

4. Quartò: Deus in actu ſecundo non determinat, quando agit cauſa libera; ergo neque agit. Conſeq. prob: ſi non determinat, & agit; ideo agit, quia cauſa libera ſe determinat; ergo in priori ad agere Dei cauſa libera agit, quia ſe determinat agendo; ergo non omne id, quód agit cauſa libera, agit Deus: repugat enim Deum agere id, quód eſt in priori ad eius agere.

5. Quintó: Deus non agit cum cauſa libera, ergo vel non agit, vel determinat. Ant: prob: ſi enim determinatus agit, eſt indifferens, vt concurrat ad opus bonum, vel malum, adeóque perindè ſe habet, ſiué bene, ſiué male agat cauſa libera; conſequens autem opponitur Concilio Tridentino, quod ſeſſione 6. canone 6. hæc habet *ſi quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari, adeo vt ſit proprium opus eius non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli anathema ſit ergo &c.*

6. Sextò: ſi Deus immediatè concurrit cum cauſa

cauſa libera, eſt cauſa, & author peccati: conſequens eſt hæreticum; ergo & ant: ſequela probatur, quia Deus influit immediatè in actum blaſphæmiæ; ſed influere immediatè eſt eſſe cauſam blaſphæmiæ; ergo Deus eſt cauſa blaſphæmiæ, adeòque blaſphæmat homine blaſphæmante. Confirmatur; quia non alia de cauſa homo eſt cauſa blaſphæmiæ, niſi quia influit in actum blaſphæmiæ.

7. Vltimò: qui præuidet homicidium futurum, & non impedit, cum poſſit impedire, eſt cauſa moralis homicidij: ſed Deus non impedit: ergo &c. Confirmatur, quia Deus offerendo ſuum auxilium homini, quem certò ſcit abuſurum tali auxilio, nullum ei beneficium facit, immò facit maleficium; ſicuti, qui dat enſem homini furioſo nullum illi beneficium facit, immò peccat, & cenſetur cauſa illius mortis, quám talis homo ſibi infert.

8. Reſpondetur: non minùs eſt certum cauſam ſecundam eſſe liberam, vt demonſtrauimus in libris de anima tom. 3. diſp. 18. quæſt. 1. num 6. quám certùm ſit cauſam primam immediatè agere quidquid agit cauſa libera, túm quia eadem argumenta, quæ demonſtrant neceſſitatem Diuini concurſus ad effectus cauſæ ſecundæ, oſtendunt indigentiam cauſæ liberæ, vt Deus immediaté agat, quidquid ipſa agit; tùm quiá non eſt minor dependentia cauſæ liberæ, quám necéſſariæ: quód ſi nulla cauſa neceſſaria poteſt agere, niſi Deus immediaté cum ipſa agat; neque cauſa libera poteſt agere Deo immediaté non agente; neque indé ſequitur humanam libertatem lædi; quia optimè componuntur Deum immediatè agere quidquid agit homo, & hominem libere agere: Deus enim, vt rectè monet S. Thomas in prima párte quæſt. 19. vt

poté

poté cauſa vniuerſalis habens prouidentiam rerum omnium, adhibet cauſas proportionatas ſingulis effectibus, neceſſarijs neceſſarias, contingentibus contingens. Non eſt igitur, cur ex neceſſitate Diuini concurſus,dummodò ritè explicetur, cauſa libera timeat iacturam libertatis, cum Deus itá cooperetur cauſæ liberæ vt ſit in eius poteſtate facere, né Deus cooperetur; ſubijcit enim ſuam omnipotentiam libero arbitrio; cum per voluntatem volentem Petrum vel benè, vel malè agere paratus ſit ad eam partem concurrere, ad quam Petrus ſe flectet; adeóque velit omnipotentiam ſuam ſubiectam libertati creatæ ſuccumbit aliquibus difficultatibus, quas in præſenti non expedit ſoluere, id ſatis ſit innuiſſe: vberiorem trademus doctrinam,dum authores phyſicę prædeterminationis ex profeſſo oppugnabimus.

9. Ad primúm: conc: ant: & nego conſeq: ad eius probationem: nego ant: cuius falſitas inde euidenter conſtat, quia fieri poteſt, vt duæ cauſæ vnum effectum producant, vna per modum principij determinantis, alia determinati, licet vtraque influat ſicuti patet in cauſis formalibus, & efficientibus, in genere cauſæ formalis influit in compoſitum materia ſimul,& forma, materia veró determinatur, & forma determinat; adeóque forma licét adæquatè determinet, non proindè adæquaté influit; idem patet in genere cauſæ efficientis, quia voluntas, vel moralis nimirum temperantiæ, vel Theologicé; nimirúm fidei exercet actum virtutis vná cum habitu, abſque eo, quód habitus determinet actum, quia virtutem determinandi habet ſola voluntas. In hunc igitur modum influit cauſa prima cum ſecunda in áctum liberum, & neutra ádæquaté agit; cum vtraque

ina-

inadæquatè agat, vna tamen adæquaté determinat; nimirúm cauſa ſecunda; quæ determinat primam ſicuti voluntas; quæ agit cum habitu temporantiæ determinat habitum.

10. Ad ſecundum: conc: ma: & diſt: min: quatenús ſe determinat non indiget alia cauſa in genere cauſa determinantis: con: mi: & agētis ne: mi: & conſeq. Facilè eſt in præſenti confundere cauſam, quæ agit cum cauſa, quæ determinat, adeòque committere æquiuocationem ab vno genere ad aliud genus: licet enim determinare ſit agere, ageret non eſt determinare; vt videre eſt in cauſa neceſſaria, quæ agit, & non determinat: non eſt igitur, cur arguatùr non requiri ad agendum cauſam, quæ non requiritur ad determinandum, inde eſt, quod cauſa prima debet agere, vt cauſa libera ſe determinet, adeóque cauſa libera indiget cauſa prima tanquam cauſa operante, non tanquam determinante, qui ergo ita arguit *cauſa libera non indiget alia cauſa determinante, ergo non indiget alia cauſa agente*, male arguit, quia arguit à ſecundum quid, ad ſimpliciter. Hinc eſt, quód illa forma, qua ſe determinat cauſa libera, non eſt adæquaté à cauſa libera, licét ſit adæquatè à cauſa libera tanquam determinante, quia principium á quo procedit, eſt túm cauſa libera, quæ adæquate determinat, non adæquaté agit, túm cauſa prima, quæ agit licét non determinet; vndé patet ad probationem conſequentiæ.

11 Ad tertium: ne: ma: ad explicandum quomodo eadem actio, quæ immediaté procedit á cauſa libera, & cauſa prima ſit formalis determinatio cauſæ liberæ, non veró cauſæ primæ, adeóque vtraque agat non vtraque determinet, debet adhiberi exemplum habitus influentis cum voluntate

ad actum liberum, eundem enim actum agit habitus, quem agit voluntas, ſola tamen voluntas determinat, quia vim determinandi habitus non habet: quod ergo locum habet in habitu reſpectu voluntatis, quam informat, cur non potuit locum habere in diuina omnipotentia ſubiecta libertati creatæ? neque mihi opponas non eſſe congruum, vt cauſa prima libero arbitrio voluntatis humanæ ſubijciatur, id enim vrget ſingularem difficultatem, quæ non eſt ad rem præſentem, adeoque ſolui debet in ſequenti quæſtione, vbi celebrem de phyſica prędeterminatione controuerſiam agitabimus. Actio igitur, qua cauſa libera agit, eſt determinatio cauſæ liberæ, ideo determinatio cauſæ liberæ eſt actio Dei, non propterea eſt determinatio Dei, quia Deus agit illud, quod agit cauſa libera, diuerſimodè tamen, ipſe enim agit, vt determinatus á cauſa libera, ideo huiuſmodi actio non eſt libera Deo immediaté, quid quid ſit, an mediatè ſit libera, quod non eſt huius loci diſcutere.

11 Ad quartum: con: ant: & ne: conſequentiã, Deus agit in eodem ſigno, in quo ſe determinat, cauſa libera, quia determinationem cauſæ liberæ facit Deus in genere principij efficientis, non determinantis: igitur Deus agit, quia cauſa libera ſe determinat ly quia appellante cauſalitatem Logicam eo modo, quo Petrus eſt rationalis, quia eſt homo, non veró cauſalitatem phyſicam, ideó cauſa libera prius ſe determinat, quám Deus agat prioritate á ſubſiſtendi conſequentia, non cauſalitatis.

12 Ad quintum: ne: ma: multa enim ſunt in cauſa, cur Deus perindé non ſe habeat reſpectu actus boni, & mali, licet ad vtrumque offerat ſuum concurſum, ne libertatem lædat. Primó, quia quantum

tum eſt de ſe vult actum bonum, eumque poſitiué intendit. Secundó, quia proponit præmia, quibus voluntatem impellit ad bonum, quod præcipit, minatur pęnas, quibus eandem remouet á malo quod prohibet. Tertió, quia Deus habens vniuerſalem prouidentiam vult Paulo teſte omnes homines ſaluos fieri, quód ſi re ipſa ſalui non fiunt, imputent ſibi, qui nimirúm omnipotentia diuina ſubiectam ſuæ libertati abutuntur ad malum. Quartó, quia ſingulare beneficium confert Deus bené operantibus, ex quò fit, vt noſtra merita ſint dona Dei, adeoque non eodem modo concurrat, vt Tridentinum docet, ad proditionem Iudæ, & conuerſionem Pauli, illam enim permittit, hanc intendit, immó efficaciter vult eam prædefiniens, vt ſuo loco exponam.

13 Ad ſextum: ne: ma: Deus licet influat immediaté in materiale peccati, non eſt Author peccati; neque cauſa moralis in genere moris culpandi, quid quid ſit de cauſalitate phyſica, quæ non eſt ad rem præſentem: Deus enim influit in materiale peccati determinatus ab homine, cui omnipotentiam ſuam ſubiecit, ne libertatem læderet. Inde eſt, quód in peccatum immediaté quidem, ſed diuerſimodé influit cauſa prima, & cauſa ſecunda, vel cauſa libera, quia illa influit permiſſiué, & determinaté, iſta influit electiué, & determinans, id circò in genere moris defectus peccati non debet refundi in cauſam primam, ſed in ſolam cauſam liberam, ſicuti in genere phyſico defectus claudicationis tribuitur tibiæ habenti curuitatem, non virtuti motiuæ, quæ in hunc motum influit, vt bené diſcurrit in hanc rem S. Thomas in prima ſecundæ quæſt. 79. art. 2. cuius verba ſunt iſta. Vndè defectus, qui eſt in peccato non reducitur in Deum,

ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium,ſicuti defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam, vt in cauſam, non autem in virtutem motiuam.

14 Ad vltimum:con: ant: qui non impedit homicidium, quod poteſt, & tenetur impedire, eſt cauſa moralis homicidij: con: ant: quod poteſt, & non tenetur impedire: ne: ant: quicunque non impedit culpam, quam poteſt,& tenetur impedire, vtique culpandus eſt, quia in genere moris perindè eſt ac ſi eam committeret, itá qui homicidium conſulit, ſuadet, vel mandat, punitur á diuina, & humana iuſtitia, vt homicida non minús, quám ille, qui fundit humanum ſanguinem. Quòd ſi aliquis non impedit culpam, quam impedire non tenetur,non eſt eius cauſa, quia nemo peccat niſi liberé faciat id, quod non debet facere: quia veró Deus non tenetur impedire peccatum, ideo non eſt cauſa peccati in genere moris vitioſi. Ratio autem, cur non teneatur impedire, eſt, quia aliter peccatum eſſet chimæra, adeoque libertas humana eſſet eſſentialiter impeccabilis, quod repugnat, cum enim Deum inhoneſtè operari ſit chimæra, conſequens eſt, vt ſit chimæra omne id, ex quo ſequitur Deum inhoneſté operari, nullum autem peccatum poteſt eſſe niſi Deus permittat, quia Deo non permittente nihil fieri poteſt, vt eſt indubitatum,ergo ſi Deus permittit,cũ teneátur non permittere,inhoneſté permittit, ergo peccatum vel non poteſt exiſtere, vel Deus poteſt illud honeſté permittere, ſed euidens eſt peccatum poſſe exiſtere, quia euidens eſt peccatum non eſſe chimæram, vt in libris de anima demoſtrauimus, ergo euidens eſt Deum poſſe honeſtè non impedire peccatum, adeoque non teneri ad illud impediendum.An veró Deus ſit benificus erga peccantes, quorum libertati ſuam

omni-

omnipotentiam ſubijcit certó ſciens tanto beneficio abuſuros, eſt opus altioris indaginis, adeoque non eſt hic, ſed alibi diſcutiendum, vndè conſtabit ad argumenti confirmationem.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus per phyſicam prædeterminationem concurrat ad actus Liberos.

1 IN hunc locum de neceſſitate diuini concurſus opportuné cadit celeberrima, & magni momenti controuerſia, de phyſicá Prædeterminatione, quam Schola Thomiſtica recognoſcit in illo concurſu, quo Deus immédiaté concurrit cum omnibus cauſis ſecundis tam neceſſarijs, quám liberis. Inter omnes Catholicos conuenit voluntatem humanam eſſe liberam libertate non ſolúm á coactione, ſed etiam á neceſſitate, vt conſtat ex tomo 3. diſput. 17. quæſt. 1. atque adeó ad merendum, & demerendum eſſe neceſſeriam libertatem indifferentiæ, vt definiuit contrá Ianſenium Innocentius Decimus. Tota igitur Schola Thomiſtica contendit opus eſſe phyſica prædeterminatione ad actus liberos, ſuámque ſententiam tribuit Angelico Doctori Sancto Thomæ.

2 Quidquid autem ſit de mente Sanctæ Thomæ, expendamus argumenta, quibus Thomiſtæ nobis probant ſuam ſententiam de phyſica prædeterminatione. Primó cauſa ſecunda eſſentialiter ſubordinata cauſæ primæ non poteſt agere niſi moueatur á prima in cuius virtute agit, quia vt ex Philoſopho docet paſſim Sanctus Thomas

cauſa ſecunda mouet mota, adeóque eam præmouet cauſa prima: ergo non poteſt agere niſi prædeterminetur phyſicè ad agendum. Conſequentia probatur, quia ordo inter cauſam primam & ſecundam exigit, vt ſecunda pendeat á prima; non prima á ſecundá, ſed prima pendet à ſecunda, ſi ſecunda non determinatur á prima, vt patet; cauſa enim ſecunda ſi à prima non determinatur, eam determinat, & ſibi ſubijcit, quod apertè repugnat dignitati cauſæ primæ; ergo, &c.

3 Confirmatur, quia diuina libertas eſt prima libertas: ſed prima libertas non debet ſubijci, immó debet ſibi ſubijcere libertatem creatam: ergo, &c.

4 Secundò, cauſa indifferens, vt indifferens non poteſt agere ſinè præuia determinatione: ſed cauſa libera eſt indifferens quatenús indifferens: ergo non poteſt agere ſiné prædeterminatione. Confirmatur, quia materia indifferens ad vnam potiús quám ad aliam ſpeciem entis debet á forma determinari.

5 Tertiò. Id, quó Deus mouet liberum arbitrium ad bène operandum, eſt aliquid phyſicé prædeterminans: ergo; &c. Antecedens probatur, tùm quia concurſus Dei ad actum bonum habet infallibilem connexionem cum actu bono, túm quia huiuſmodi actus eſt donum Dei, adeóquè debet eſſe magis á Deo quàm á libero arbitrio.

6 Quartó. Omnia quæ in ſacris paginis tribuuntur Deo concurrenti ad actus liberos præſertim bonos, ſignificant phyſicam prædeterminationem, vt conſtat in primis ex epiſtola ad Romanos cap. 9. *Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*. Deindé Ioannis 6. *Chriſtus ait nolite murmurare*

murare inuicem: nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me traxerit illum. Quid poterat apertius dici ad ſignificandam phyſicam prædeterminationem, quæ eſt neceſſaria, vt benè operemur? Præterea prouerbiorum 21. *Cor Regis in manu Domini quocumque voluerit inclinabit illud*: Quę verba exponit Auguſtinus in hunc modum: *Inclinandarum quocumque voluerit humanarum voluntatum habet Deus omnipotentiſſimam poteſtatem*; ergo Deus concurrit ad actus bonos nobis liberos per phyſicam prædeterminationem.

7 Quintò. Hæc prædeterminatio non repugnat libertati: ergo eſt poſsibilis: ergo datur. Antecedens probatur: neceſsitas quam habet liberum arbitrium benè operandi eſt neceſsitas operandi in ſenſu compoſito cum prædeterminatione, quia prædeterminatus poteſt non benè agere in ſenſu diuiſo, licèt non poſsit in ſenſu compoſito. Sed neceſsitas operandi in ſenſu compoſito cum prædeterminatione non repugnat libertati ſicuti non repugnat neceſsitas ambulandi in ſenſu compoſito cum diuina ſcientia de ipſa ambulatione: ergo, &c.

8 Sextò. Neceſsitas benè operandi in ſenſu compoſito mihi libero non repugnat meæ libertati. Sed neceſsitas quam infert prædeterminatio eſt huiuſmodi: ergo, &c. Minor probatur, tum quia mihi eſt liberum recipere prædeterminationē, tùm quia prędeterminatio licèt me determinet, adhuc poteſt á me determinari, vt aliqui Thomiſtæ docent: ergo, &c.

9 Septimò: Qui caret prædeterminatione ad opus bonum, poteſt benè operari, etiamſi non operetur: ergo non repugnat libertati. Antecedens probatur: qui habet quidquid requiritur, vt poſ-

ſit benè operari, poteſt benè operari, ſed qui caret prædeterminatione ad opus bonū, habet quidquid requiritur, vt poſsit benè operari, quia hæc requiritur tantùm, vt voluntas benè operetur: ergo, &c.

10 Vltimò: qui caret prædefinitione, qua Deus vult infallibiliter actum bonum, caret aliquo eſſentialiter requiſito ad actum bonum, ergo aliquid requiritur ad actum bonum, quod non conſtituit potentiam operandi, ergo prædeterminatio poteſt requiri ad operandum, etiamſi non conſtituat potentiam operandi. His tamen argumentis, quæ nobis proponunt in rem ſuam Thomiſtæ, non obſtantibus.

11 Dico cum omnibus Theologis noſtræ Societatis Deum neque concurrere, neque poſſe concurrere ad actus liberos per phyſicam prædeterminationem.

12 Hanc ſententiam demonſtro primò ex cōceptu libertatis. Prædeterminatio phyſica excludit indifferentiam principij proximi, ergo excludit libertatem, quæ formaliſſimè inuoluit indifferentiam, vt ex libris de anima oſtendit lumen naturæ, & lumen fidei poſt Ianſenij propoſitiones ab Innocentio damnatas. Antecedens probatur, ex ipſo conceptu prædeterminationis, quæ ideò datur, vt tollat indifferentiam voluntatis; adeoque repugnat eam coniungi cum negatione actus ad quem prædeterminat. Confirmatur: quia neceſſitas antecedens tollit libertatem, ſed neceſſitas quam infert prædeterminatio, eſt antecedens cum nullatenus pendeat, vt docent Thomiſtæ, à libero Arbitrio, ergo tollit libertatem, adeóque repugnat ex capite libertatis.

13 Vrgeo anguſtiùs argumentum, quod inuictiſ-

niciſsimum exiſtimo. Hæc prædeterminatio; vel requiritur ad operandum, vel non requiritur: ſi non requiritur: ergo cauſa libera poteſt ſiné prædeterminatione ſe determinare: Si requiritur: ergo conſtituit actum primum, adeóque potentiam proximam operandi, quia omne id quod eſſentialiter requiritur ad effectum, eumque antecedit, itá vt eumdem non inuoluat, conſtituit actum primum, ſiuè potentiam proximam eiuſdem effectus. Quód ſi hęc prędeterminatio conſtituit actum primum operandi, manifeſtum eſt eum, qui operatur, non operari liberè, quia illa cauſa, quæ itá operatur, vt habeat actum primum eſſentialiter inſeparabilem ab actu ſecundo, non operatur liberè: Huiuſmodi autem eſt voluntas humana, quæ itá operatur, vt actum primum operandi conſtituat prædeterminatio eſſentialiter inſeparabilis ab ipſa operatione: ergo, &c.

14 Demonſtro ſecundò ex potentia benè operandi, quam habet, qui malè operatur, in hunc modum: quicumque malé operatur poteſt bené operari, ergo qui benè operatur non habet phyſicam prædeterminationem ad bené operandum; alioquin non poſſet bené operari quicumque non prędeterminatur ad bené operandum; adeòque non bené operatur, vt oſtendo hoc ſyllogiſmo. Quicumque non habet aliquid eſſentialiter requiſitũ ad benè operandum, & eſt in priori ad ipſum opus bonum, non habet virtutem ſiué ſufficientiam bené operandi. Sed qui caret prædeterminatione ad bené operandum, caret aliquo eſſentialiter requiſito & exiſtente in priori ad opus bonum, vt docent Thomiſtæ. Ergo qui caret prædeterminatione ad benè operandum, qua vtique caret, quicumque non bené operatur, non habet virtutem

& ſufficientiam benè operandi. At hoc non ſolúm eſt euidenter falſum, ſed etiam impium & hæreticum, vt Eccleſia definiuit: hinc Deus præcipit rem impoſsibilē cui præcipit obſeruantiam legis,& negat prædeterminationem neceſſariam, vt dicunt Thomiſtæ, ad legem obſeruandām, ſicuti præcipit rem impoſsibilem,qui iubet hominem ambulare ferreis vinculis ligatum.

15 Demonſtro tertió, ex conceptu operis boni in hunc modum: quicumque benè operatur poteſt malé operari, adeòque poteſt diſſentire Deo vocanti, vt docet Tridentinum ſeſſ.5.can.4.Sed liberum arbitrium, quod prædeterminatur ad benè operandum, non poteſt malé operari, adeóque non poteſt coniungere cum prædeterminatione actum malum, ergo non prædeterminatur ad bené operandum.

16 Demonſtro vltimó, ex conceptu diuinæ bonitatis. Deus neque eſt, neque poteſt eſſe auctor peccati, ergo non concurrit ad omnes actus liberos per phyſicam prædeterminationem. Conſequentia probatur,alioquin Deus eſſet auctor peccati, tum quia prædeterminaret voluntatem ad actum malum, ſicuti prædeterminat ad actum bonum, tùm quia negando prædeterminationem ad actum bonum induceret neceſſitatem actus mali.

17 Ex iſtis validiſſimis argumentis, quæ aduerſarij confirmant,dum ea volunt ſoluere,vt mox conſtabit, mihi eſt indubitatum non poſſe prædeterminationem componi cum libertate indifferentiæ, quam perſuadet ratio, & fides docet contra Caluinum & Ianſenium. Nullum igitur erit diſcrimen inter Ianſeniſtas & Thomiſtas? Multum profecto, quia Ianſeniſtæ ſunt optimi Dialectici,

& peſ-

& peſſimi homines, vtpoté deſertores religionis, Thomiſtæ veró ſunt viri religioſiſſimi, & optimi; ſed quantum arbitror, non ſatis boni dialectici in hac re.

18 Ad primùm: concedo: antecedens, & nego conſequentiam: ex pluribus capitibus, cauſa ſecunda mouetur á prima, adeóque mouet præmota iuxta veram doctrinam Sancti Thomæ, licét non prædeterminetur phyſicé. Primó quia totam agendi virtutem non habet á ſe: Secundó quia non poteſt agere ſine cauſa prima: Tertió, quia eſt cauſa cauſata, cum cauſa prima ſit incauſata. Ideó autem determinat primam, quia cauſa prima liberé vult ſe determinari, quod non nocet dignitati cauſæ primæ, ſicuti noceret ſi cauſa ſecundæ determinaret primam independenter á libera voluntate cauſæ primæ. Hinc argumentum deſumptum ex conceptu primæ libertatis non ſolùm nihil probat, ſed oppoſitum probat, vt paucis demonſtro. Si diuina libertas eſt prima libertas, conſequens eſt aliám eſſe libertatem, quæ eſt ſecunda libertas, nimirùm creata: Libertas autem, quæ non habet virtutem ſe determinandi non eſt libertas: Secunda igitur libertas, nimirùm creata habet virtutem ſe determinandi, adeòque non debet prædeterminari. Hanc virtutem quia non habet á ſe, ſed á prima libertate, ideó eſt ſimpliciter ſubiecta primæ libertati, licét eam determinet poſito, quód prima libertas velit exiſtere ſecundam libertatem, ſi enim vellet cauſam ſecundam eſſe liberam, & non vellet ſe determinari á cauſa ſecunda, vellet res pugnantes, quod repugnat.

19 Ad ſecundùm diſtinguo maiorem: cauſa indifferens ex defectu indiget præuia determinatione

tione: concedo maiorem: indifferens ex perfectione: nego maiorem. Cauſa quæ non habet totum actum primum proximum agendi, eſt indifferens ex defectu, quia hæc indifferentia naſcitur ex defectu potentiæ, ideó debet ab alio determinari, cauſa veró indifferens, quæ habet totum actum primum agendi, eſt indifferens ex perfectione, vt conſtat in voluntate, quæ habet facultatem amandi vel non amandi bonum finitum, quod ſibi proponitur, adeóque non debet ab alio determinari. Hinc eſt diſpar ratio inter materiam, quæ indiget forma, vt determinetur, eſt enim indifferens ex defectu, & cauſam liberam, quæ ſe ipſam poteſt determinare, eſt enim indifferens ex perfectione.

20 Ad tertium: nego Antecedens, quia efficacia diuini concurſus non opponitur libertati, vt docet Tridentinum, ſed prædeterminatio opponitur libertati, vt oſtenſum eſt, ergo prædeterminatio non eſt ille concurſus, quo Deus concurrit ad actum bonum liberi arbitrij. At huiuſmodi actus eſt donum Dei. Quid indé? An á Deo prædeterminatur? Immó non prædeterminatur, quia itá eſt donum Dei, vt ſit meritum noſtrum, adeóque eſt á nobis nos liberé determinantibus. Eſt itaque opus Dei, & opus noſtrum, ſed magis Dei quam noſtrum, quia hunc actum nos á Deo accipimus. Non poſſum autem hic non mirari, quód Thomiſta arguat actum bonum prædeterminari á Deo, quia eſt donum Dei, cum eodem modo arguat Caluinus non eſſe nobis liberum, quia eſt donum Dei: ex quo factum intelligo, vt Thomiſta volens vitare Pelagium, qui dixit actum bonum non eſſe Donum Dei vt diceret eſſe nobis liberum, incidat exercité in ſententiam Caluini.

Meliùs

Meliùs vt opinor diſcurreret, ſi negaret concurſum Dei ad actum bonum eſſe phyſicam prædeterminationem, quam re ipſa docent Caluinus & Ianſenius, qui ſignaté negant actum bonum eſſe nobis liberum. At eſt difficilé aſſerere donum Dei illum actum, quem Deus non prædeterminat: fateor difficilè, ſed ſimul fateor actum bonum liberum, qualis vtique eſt actus, quem fides docet eſſe donum Dei, prędeterminari á Deo eſſe manifeſtam chimæram. Quomodó autem poſſit actus bonus eſſe donum Dei, & liber homini operanti, dicam in ſequenti quæſtione.

21 Ad quartum: Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, quia, vt inquit Auguſtinus, non omnibus, quos Deus vocat, dat gratiam, vt conſentiant, licèt omnibus det gratiam, vt poſſint conſentire. Indè eſt quód Deus illius miſeretur, cui dat gratiam vt conſentiat, illum veró induтat, cui non dat iſtam gratiam. Quid autem Deus velit dum facit, vt vnus conſentiat, & non facit, vt alius conſentiat, ſi non vult prædeterminationem, dicam in quæſtione ſequenti. Ad hanc voluntatem, qua Deus facit, vt liberum arbitrium bené operetur, alludere voluit Chriſtus, dum ait, neminem poſſe venire ad ſe, niſi Pater ſuus traxerit illum: modum ſuauiſſimum, quo trahitur á Deo, quicumque in Chriſtum credit, exponit pulchré Auguſtinus tractat. 26. in Ioannem his verbis: *Ramum viridem oſtendis oui, & trahis illam, nuces puerò demonſtrantur, & trahitur, & quód currit, amando trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt: quoniam verùm eſt* ***trahit ſua quemque voluptas, non trahet Chriſtus reuela-***

uelatus à Patre? Quid enim fortiùs vult anima quam veritatem. Huc vſque Auguſtinus.

22 Ad quintùm, nego Antecedens, ad eius probationem diſtinguo maiorem: eſt neceſſitas operandi in ſenſu compoſito libero operanti, nego maiorem: non libero: concedo maiorem, & diſtinguo minorem: neceſſitas operandi in ſenſu compoſito libero operanti non repugnat libertati: concedo minorem: in ſenſu compoſito non libero operanti: nego minorem,& conſequentiam. Exercitium formale libertatis non excludit libertatem, vt eſt perſpicuum, ſed neceſſitas operandi in ſenſu compoſito libero operanti eſt neceſſitas fundata in ipſo formali exercitio libertatis, ergo non excludit, ſed infert libertatem. Ità neceſſitas, quam habet Petrus peccandi in ſenſu compoſito cum diuina ſcientia de ſuo peccato; non repugnat libertati, quia Petrus eſt liber ad faciendum hunc ſenſum compoſitum, cum ſit directè liber ad peccandum, & indirectè ad omne id quod ſequitur ex peccato. Longé diuerſa eſt illa neceſsitas, quam habet voluntas ad bené operandum in ſenſu compoſito cùm prædeterminatione, quia hic ſenſus compoſitus non eſt liber voluntati, cuius exercitium antecedit, vt Thomiſtæ docent. Vndè mirùm eſt, quòd argumenti difficultate oppreſsi ad hanc diſtinctionem confugiant. Quis enim non rideret ſi aliquem ità diſcurrentem audiret? Homo ſolutus vinculis, qui non currit, liberé non currit, quia poteſt currere in ſenſu diuiſo á non curſu, ergo homo qui non currit ligatus vinculis ferreis liberè non currit, quia poteſt currere in ſenſu diuiſo á vinculis. In hunc fermé modum diſcurrit Thomiſta, qui comportat in domum ſuam celeberrimam ſenſus compoſiti & diuiſi diſtinctionem.

23 Ad

23 Ad ſextùm, concedo maiorem, & nego minorem: prædeterminatio requiritur, vt voluntas agat; ideó voluntas quatenús eam recipit, non agit, ſed patitur, aliter deberet prædeterminari per aliam prædeterminationem, quia iuxta Thomiſtas cauſa ſecunda non agit niſi prædeterminata; ſi ergo agit dum recipit prædeterminationem, ad ipſam recipiendam prædeterminatur: quód ſi non agit dum recipit, non liberé recipit, quia, vt Tridentinum definiuit, voluntas exercet libertatem agendo, non tantúm patiendo. Prætereá ſi voluntas eſt libera ad recipiendam prędeterminationem, eamque non recipiendo peccát, quæro á quo determinetur. An á Deo? an á ſe ipſa? Si á Deo: opus eſt alia prædeterminatione, adeóque argumentum recurrit: Si à ſe ipſa: ergo cauſa ſecunda non prædeterminatá poteſt ſe prædeterminare, adeóque non indiget prædeterminatione ad exercitium ſuæ libertatis. Ad hunc ſcopulum euadendum Moderni Thomiſtæ inuenere prædeterminationem, quæ, quantum arbitror, non eſt prædeterminatio, aiunt enim eam determinari ab actu libero quem ipſa determinat. Hic error, vt verùm fatear, & eorum pace dixerim, eſt error peior priore, tùm quia ponunt mutuam prioritatem inter prædeterminationem & actum liberum, tùm quia ſibi contradicunt, ſi enim determinatur ab actu libero, ergo eſt indifferens, ergo non eſt prædeterminatio, adeóque Deus ſi cognoſcit actum liberum futurum, quem vtique debet cognoſcere; vt eum efficaciter velit, eum cognoſcit non in prædeterminatione, quæ eſt indifferens, ſed in ipſo actu libero conditionaté futuro, adeóque per ſcientiam mediam, quæ eſt noſtra ſententia mox explicanda.

24 Ad

24 Ad ſeptimúm, nego antecedens: repugnat, vt aliquid omninó antecedens effectum requiratur in priori ad effectum, & non conſtituat eius actum primum: Prædeterminatio igitur, quæ antecedit actum liberum, vel non requiritur in priori ad actum, vel conſtituit actum primum actus liberi. Hinc eſt, quód voluntas, quam Deus non prædeterminat ad actum bonum, non habet potentiam proximam actus boni, licét habeat potentiam remotam, quæ non eſt ad rem.

25 Ad vltimum: prædefinitio, quæ requiritur ad actum bonum, ideó non conſtituit actum primum ſiué cauſam proximam actus boni, quia non eſt omninò antecedens actum bonum, ſed eſt aliquo modo conſequens ad actum bonum, vt conſtabit ex quæſtione ſequenti, ideó non eſt par ratio de prædeterminatione, quæ omninó antecedit actum liberum.

QVAESTIO IV.

Vtrum Deus concurrat ad actum bonum liberum eum prædefiniendo & efficaciter volendo.

1. ACtum bonum nobis liberum eſſe donum Dei, adeoque á Deo nobis donari eſt omnibus manifeſtum: hinc facilé fuit Thomiſtas refellere, qui docent actum liberum eſſe donum Dei, quia Deus nos prædeterminat ad bené operandum, hæc enim prædeterminatio libertatem excludit: non eſt adeó facilé demonſtrare, quomodo huiuſmodi actus ſit donum Dei, & ſimul ſit nobis liber, adeoque componere hæc duo, quæ viden-

videntur opponi nimirùm actum bonum eſſe nobis liberum, & ſimul eſſe donum Dei,

2. Difficultas componendi hæc duo naſcitur ex indifferentia actus primi proximi ad bene operandum, quia non ſatis eſt potentiam ſiue actum primum proximum benè operandi eſſe donum Dei, vt opus bonum ſit donum Dei. Ratio eſt, quia potentiam benè operandi perindè habet, qui bene operatur, ac qui malè operatur, adeoque Deus non eſſet magis beneficus benè operantibus, quàm malè operantibus, ſi nihil aliud donaret benè operantibus præter potentiam benè operandi, hanc enim donat malè operantibus, adeoque nihil eſſet plus donatum benè operanti, quàm malè operanti, quod manifeſtè contradicit Apoſtolo, qui eos redarguit, qui ſibi tantùm tribuunt, quod boni ſint, *ò homo quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Eſt igitur neceſſe vt illud, per quod Deus facit, vt benè operemur, ſit donum diſtinctum ab illo dono, per quod facit, vt poſſimus bene operari, non omnibus donatum, quibus donatum eſt poſſe benè operari. Opus eſt igitur oſtendere, quomodo Deus faciat, vt benè operemur ſi totus actus primus, quem nobis donat ad bene operandum, eſt indifferens ad opus bonum vel malum, & eſt communis benè vel malè operantibus, & in quo conſiſtat illud ſingulare donum; quod nobis donat dum benè operamur diſtinctum ab illo dono, quod omnibus donat, qui poſſunt benè operari, etiamſi non omnes benè operentur.

3. Pater Molina vnus ex primis atque præcipuis noſtræ ſocietatis Theologis rem totam duxit altiùs repetendā, & beneficio illius ſcientiæ quam vocamus mediam, viam aperuit ad propoſitam dif-

difficultatem, quam deinde omnes noſtri Theologi iniuerunt. Certum eſt nullum eſſe actum primum operis boni nobis liberi, qui non ſit indifferens, vt coniungatur cum actu bono, vel cum eius negatione; alioquin ille actus, qui procederet á tali actu primo, non eſſet nobis liber. Certum prætereá eſt actum primum indifferentem eſse talis naturæ, vt cum illo vel determinaté operetur, vel determinatè non operetur, quia répugnat, vt qui habet potentiam indifferentē ad bené operandum, neq;bené neq;nō bené operetur, vel operetur bené, & ſimul non operetur bené, adeoque neceſſe eſt vt liberum arbitrium habens actum primum operis boni vel bené operetur potens non benè operari, vel non bené operetur potens bené operari. Hinc indifferentia actus primi non obſtat determinatæ veritati, vel determinatæ falſitati huius propoſitionis hypotheticæ, ſi Petrus habebit actum primum bené operandi, benè operabitur, ſiuè quod eodem reuoluitur: ſi Petrus vocabitur á Deo conſentiet & conuertetur, cum propoſitiones de futuris contingentibus abſolutis vel conditionatis ſint determinaté veræ vel determinatè falſæ, vt conſtat ex tomo primó diſp.13.quæſt.3. Quia veró Deus propter infinitum lumen, quod in ſe habet debet cognoſcere omne verum, ideó antequam decernat donare Petro vnum áctum primùm operis boni ex infinitis, quos poteſt donare, debet certó cognoſcere, quem effectum ſit habiturus quilibet actus conſtituens potentiam proximam bené operandi, quiá ſua non diſpenſat modó munera quodā cæco ignorans quemlibet effectum ſecuturum. Cognoſcit igitur Deus cognitione certiſſima, quid ſit facturum liberum arbitrium ſub qualibet hypotheſi contingenti, adeoque cognoſçit opus bonum vel

opus

opus malum conditionaté futurum: quia verò huiuſmodi opus bonum non poteſt cognoſcere in ipſa conditione, quæ conſtituitur per actum primum proximum indifferentem ad bené operandum, neque in aliquo decreto, quia ante omne decretum cognoſcit, ideó cognoſcit actum bonum in ipſo actu bono conditionaté futuro per ſcientiam, quæ vocatur media, eó quod non eſt Deo neceſſaria, ſicuti ſcientia ſimplicis intelligentiæ, neque Deo libera, ſicuti ſcientia viſionis, ſed eſt libera ſoli creaturæ. Poſt hanc ſcientiam conditionatam contingentem, & nobis liberam Deus liberé vult & decernit donare Petro illum actum primum, cũ quo videt Petrum bené operaturum, adeoque illum vocare quomodo nouit congruere vt vocatus conſentiat. Huiuſmodi voluntas, quâ Deus vult efficaciter actum bonum Petri, quia eum vult per medium indifferens, ſed infallibile; nimirúm per actum primum, quem certiſſimó cognoſcitur ſecuturus actus bonus, vocatur prædefinitio, ſiue amor efficax eiuſdem boni, quia Deus per iſtam voluntatem exercet ſingularem beneuolentiam in illos, qui bené operantur, quia dat illis gratiam, vt bené operentur, nedum vt poſſint bené operari. In hunc fermé modum acuté explicauit citatus auctor, quomodo Deus donat bené operantibus non ſolúm potentiam bené operandi, ſed etiam bonam & ſanctam operationem, adeoque plus donet illis, qui malé operantur, licét vtriſque donet potentiam bené operandi.

4. Dicendum igitur cum vniuerſa noſtræ ſocietatis ſchola Deum concurrere ad actus bonos prædefiniendo & efficaciter volendó actus bonos, quatenùs vult ex amore ſingulari operis boni dare actum primum, ad quem nouit

per ſcientiam mediam ſecuturum opus bonum.

5. Ratio eſt, quia in primis in hac ſententia optimé explicatur libertas operis boni, túm quia actus primus á quo procedit eſt indifferens, ſcientia enim actus boni conditionatè futuri non tollit indifferentiam actus primi, tùm quia ſi habet aliquam neceſsitatem bené operandi, qui bené operatur, hábet ſolúm neceſſitatem conſequentem, eam enim habet, quæ naſcitur ex impoſſibilitate componendi negationem actus boni cum efficaci voluntate actus boni, ſiue cum diuina prædefinitione, hæc autem neceſſitas eſt conſequens poteſt enim impedīri á libero arbitrio, quod poteſt directé impediré conſenſum, & indirectè quidquid ſequitur ex conſenſu, ſed ex actu bono ſequitur ſcientia media actus boni, adeoque eius prædefinitio, quæ præſupponit ſcientiam mediam: ergo liberum arbitrium poteſt impedire indirectè prædefinitionem operis boni, ergo prædefinitio non infert, niſi neceſſitatem conſequentem, quæ libertati non repugnat.

6. Præterea in eadem ſententia optimé explicatur actum bonum, ſiué conſenſum liberi arbitrij eſſe donum Dei diſtinctum ab actu primó, ſiué á dono vocationis, quia non eſt idem conſentire & poſſe conſentire, vt conſtat ex terminis, ergo non donat idem qui donat conſenſus, ac qui donat potentiam conſenſus, ergo non idem donat, qui donat vocationem ſciens non ſolúm per ſcientiam neceſſariam poſſe conſentire, ſed etiam per ſcientiam contingentem conſenſurum, ac qui donat vocationem, cui nouit liberum arbitrium poſſe conſentire, non tamen ſciens conſenſurum, immò ſciens non conſenſurum, ſed Deus donando Petro vocationem, cui conſentit, donat

ſciens

ſciens non ſolùm poſse conſentire, ſed etiam conſenſurum, donando veró Iudæ vocationem, cui non conſentit donat ſciens quidem poſse Iudam conſentire, ſed non ſciens conſenſurũ, immó ſciens non conſenſurum, ergo non idem donat Petro, ac Iudæ: ſed id, quod donat Iudæ, eſt donum vocationis, ſiue actus primus bene operandi, ergo Petro præter donum vocationis donat conſenſum, nimirùm ſanctam operationem, adeoque donum, quod Deus donat bené operanti, eſt diſtinctum à dono vocationis ſiue actus primi: quod erat demonſtrandum.

7. Confirmatur; quiá Deus eſt liber ad vocandum hominem non ſolùm vocatione, cui poteſt conſentire, ſed etiam vocatione cui conſentiet, adeoque nouit cōſenſurum: ergo beneficiũ, quod Deus confert Petro donando vocationem, cui nouit conſenſurum, eſt diſtinctum à beneficio, quod Iudæ confert donando vocationem cui non conſentiet, licet poſſit conſentire. Eſt igitur commune Petro, & Iudæ donum vocationis, quiá vtrique Deus donat poteſtatem conſentiendi, donum veró conſenſus diſtinctum á dono vocationis non eſt vtrique commune, eſt enim proprium Petri, qui ſolus accipit gratiam vt conſentiat. Quomodo autem accipiat explicatum, eſt quia Deus libera ſua voluntate eligit illam vocationem, cui per ſcientiam mediam videt Petrum conſenſurum. Inde eſt, quód merita noſtra ſunt dona Dei, adeoque Deus coronat dona ſua, dum remuneratur noſtra merita, quia eſt in poteſtate Dei facere non ſolúm vt poſſimus bené operari, ſed etiam vt bené operemur eligendo ex infinitis actibus primis, cum quibus poſſumus bene operari, illum cum quo videt per ſcientiam mediam nos bene operaturos

 ſiue

ſiue illam vocationem, cui videt liberum arbitrium eſſe conſenſurum. Hinc actum bonum determinat Deus & determinat liberum arbitrium, ſed diuerſimodè; Deus enim determinat quatenùs eligit illum actum primum, cum quo videt per ſcientiam mediam coniungendum actum bonum, liberum arbitrium determinat quatenús bené operatur habens poténtiam bené vel malé operandi. Illa determinatio, quá determinat Deus, dicitur voluntas ſpecialiter beneuola, ſiuè prædefinitio actus boni, quæ multum differt á prædeterminatione, quia prædefinitio poteſt impediri á libero arbitrio, prædeterminatio non poteſt: illa non conſtituit, iſta veró conſtituit actum primum proximum, adeoque illa non tollit libertatem, quam iſta tollit.

8. Duæ ſunt difficultates, quæ debent in hac materia ſolui: primò quomodo Deus diſcernat bene operantem á malé operante, ſi Deus non poteſt facere, vt bené operetur quicũque bené operatur, niſi habeat ſcientiam conditionatam boni operis. Hinc enim ſequitur liberum arbitrium ſe diſcernere potiùs quám diſcernatur, quia Deus non poteſt determinare actum bonum niſi videat determinationem liberi arbitrij conditionaté futuram. Addo, quód debet eſſe liberum Deo donare actum bonum cuicumque vult, adeoque Deus non debet donare actum bonum dependenter á ſcientia media, quiá fieri poteſt, vt Deus per ſcientiam mediam non videat actum bonùm conditionaté futurum.

9. Secunda difficultas conſiſtit in eo, quòd Deus vel non fuit ſingulariter beneuolus erga Petrum, quem vocauit ſciens conſenſurum, vel fuit maleuolus Iudæ, quem vocauit ſciens non conſenſurum, quiá ſcientia conſenſus conditionatè fu-

futuri non minús anteceſſit illam voluntatem, qua Deus voluit donare Petro illam vocationem, cui videbat conſenſurum, quám ſcientia diſſenſus conditionatè futuri fuerit ante voluntatem, qua Deus voluit vocare Iudam illa vocatione, cui non erat conſenſurus. Quód ſi Deus fuit ſingulariter beneuolus Petro, cui donauit vocationem, cum qua videbat coniungendum conſenſum, fuit maleuolus Iudæ, cui negauit vocationem, cum qua videbat coniungendum, & dedit vocationem, cui videbat coniungendum diſſenſum.

10 Ad primam difficultatem Reſpondetur; Deum eſſe qui primó diſcernit liberum arbitrium, dum bene operatur, licet idem liberum arbitrium ſe diſcernat. Ratio á priori eſt, quia duobus modis poteſt diſcerni ille qui bene operatur & conſentit Deo vocanti ab illo qui male operatur adeoque non conſentit Deo vocanti. Primó antequam conſentiat, deinde quando conſentit: antequam conſentiat, non ſe diſcernit, ſed diſcernitur à Deo, quatenùs Deus donat illi actum primum conſenſus voluntate efficaciter volente conſenſum, adeoque voluntate ſpecialiter beneuola: Quando veró conſentit, ſeipſum diſcernit, ſed ſimul cum Deo, conſenſum enim ſiuè actum bonum facit Deus & liberum arbitrium, & magis Deus quam liberum arbitrium, ſed Deus determinatur & liberum arbitrium determinat, quod neceſſe eſt vt voluntas ſit libera. Duplex igitur datur diſcretio, vna quam facit Deus ſine libro arbitrio, alia quam facit liberum arbitrium. Illa eſt prima diſcretio, & vocatur diſcretio per modum actus primi, quia conſtituitur formaliter per voluntatem qua Deús efficaciter vult Petrum conſentire, & eius voluntatem præparát vt conſentiat. Diſcretio, quam facit libe-

rum arbitrium eſt ſecunda diſcretio, & vocatur per modum actus ſecundi, quia liberum arbitrium ſe determinat ad conſentiendum vocationi qua vocatur á Deo vt conſentiat.

11 Quia veró Deus non vult conſenſum Petri, niſi videat conſenſum Petri conditionaté futurum, ideò quando Deus diſcernit Petrum, intantúm diſcernit, in quantùm videt liberum arbitrium Petri in ſtatu conditionato bené operaturum, itá tamen vt Deus non moueatur à conſenſu Pètri conditionatè futuro ad dandam vocationem, cui videt Petrum conditionaté conſenſurum, quia huiuſmodi conſenſus conditionatè futurus eſt in priori ad voluntatem Dei volentis efficaciter conſenſum tanquam conditio eſſentialiter requiſita, vt Deus velit eundem conſenſum, non tanquam cauſa huius voluntatis. Hinc eſt, quód conſenſus futurus non abſoluté, ſed conditionatè antecedit illam voluntatem, qua Deus diſcernit conſentientem à non conſentiente, quia huiuſmodi voluntatem antecedit ſcientia conſenſus futuri in ſtatu conditionato, quæ eſt ſcientia media, non veró ſcientia conſenſus abſolutè futuri, quæ eſt ſcientia viſionis. Hinc tamen non ſequitur liberum arbitrium ſe diſcernere, antequam à Deo diſcernatur, licet ſit neceſſaria ſcientia conſenſus conditionaté futuri, antequam Deus velit conſenſum, adeoque diſcernat conſentientem à non conſentiente. Ratio eſt manifeſta, quia diſcretio vnius hominis ab alio nimirúm iuſti ab iniuſto pertinet ad ſtatum abſolutum, ideo prima diſcretio, qua primò diſcernitur iuſtus ab iniuſto, nimirùm Petrus á Iuda, fit à ſolo Deo; tunc enim incipit diſcerni Petrus á Iuda, quando Deus vult dare Petro vocationem, cui ſcit per ſcientiam mediam Petrum conſenſurum, adeoque vult præpara-

parare eius voluntatem vt conſentiat, & non vult dare Iudæ vocationem, cui ſcit Iudam conſenſurum, adeoque non vult præparare eius voluntatem vt conſentiat. Quòd autem in ſtatu conditionato nihil ſit, quod Petrum á Iuda ſecernat, patet, quia in hoc ſtatu ſunt æquales, ſunt enim infinitæ vocationes, quibus Deus videt per ſcientiam mediam vtrumque conſenſurum, & aliæ infinitæ, quibus videt per eamdem ſcientiam vtrumque diſſenſurum, vt autem Petrus habeat illam vocationem cui videtur conſenſurus, eſt in poteſtate Dei, non Petri, adeoque Deus primò diſcernit Petrum á Iuda eligendo vocationem cui videt Petrum conſenſurum. Quare conſenſus conditionatè futurus eſſentialiter requiritur, vt Deus diſcernat Petrum á Iuda: hic tamen conſenſus non eſt cauſa, cur Deus diſcernat, quia Deus etiamſi videat Petrum conſenſurum, eſt liber ad donandam Petro talem vocationem, cum ergo donat illam vocationem, cui videt conſenſurum, liberé donat, adeoque liberaliter, bonitas enim infinita Dei eſt illa, quæ mouet Deum ad donandam huiuſmodi vocationem Petro.

12 Ex hoc diſcurſu euidenter ſequitur conſenſum Petri eſſe liberum Deo, & liberum Petro, licet non ſit vtrique liber eodem modo; Deo eſt liber in ſuppoſitione ſiuè in actu primo: Petro veró eſt liber ex ſuppoſitione ſiuè in actu ſecundo, quia in donãda vocatione, cui videtur Petrus conſenſurus, adeoque in donando conſenſu ſolus Deus exercet libertatem, adeoque dicitur conſenſus Petri liber Deo in ſuppoſitione, quia eſt liberum Deo dare Petro actum primum coniungendum cum conſenſu potiús, quám non conſenſu. Ex ſuppoſitione huius vocationis donatæ á Deo ſolus Petrus

eſt liber ad conſentiendum, quia conſenſum in actu ſecundo determinat Petrus, non Deus; ideó conſenſus dicitur liber Petro ex ſuppoſitione. Neque mihi opponas Petrum non poſſe diſſentire ex ſuppoſitione talis vocationis, adeoque conſenſum non eſſe liberum Petro ex ſuppoſitione, ſi enim ſermo ſit de potentia ſimultatis, quæ non eſt ad rem, verum eſt: ſi de ſimultate potentiæ; falſum, quia poteſt indirectè hanc ipſam ſuppoſitionē impedire.

13 Ad aliam difficultatem dico Deum eſſe ſpecialiter beneuolum Petro, cui donat vocationem ſciens conſenſurum, non eſſe maleuolum Iudę, cui donat vocationem ſciens diſſenſurum. Ratio cur ſit beneuolus Petro eſt ſatis manifeſta, quia liberé eligit illam vocationem, cui videt conſenſurum ex amore, & beneuolentia ſingulari, cum enim poſſit non eligere huiuſmodi vocationem, exercet beneuolentiam in ea eligenda; quare illa beneuolentia, quam Deus ſingulariter exercet erga Petrū, cui donat vocationem ſciens conſenſurum, non conſiſtit præcisé in illo complexo ex vocatione, & ſcientia conſenſus conditionaté futuri, ſed conſiſtit tantùm in illa voluntate libera Deo, qua Deus ſciens Petrum conditionatè conſenſurum vult Petrum vocare ea vocatione cui nouit conſenſurum. Hinc eſt, quód Deus exercet maiorem beneuolentiam erga Petrum, cui donat vocationem ſciens conſenſurum, quám erga Iudam, cui donat vocationem ſciens diſſenſurum; quia Petro non ſolúm donat potentiam conſentiendi, ſed etiam donat ipſum conſenſum, Iudæ verò non donat conſenſum, licet donet potentiam conſentiendi. At donando Iudæ potentiam conſentiendi non ne offert ipſum conſenſum? Non eſt igitur diſpar ratio inter Petrum

trum & Iudam quantùm ad id quod à Deo prouenit. Deus quidem offert conſenſum Iudæ cui donat potentiam conſentiendi, ſed non donat conſenſum, aliud enim eſt offerre conſenſum, aliud donare ipſum conſenſum, vt patet ex terminis; illum ergo conſenſum, quem offert Iudæ, donat Petro, adeoque eſt beneuolus Petro aliqua beneuolentia, qua non eſt beneuolus Iudæ. In hac beneuolentia conſiſtit amor efficax conſenſus, ſiue prædefinitio actus boni, quæ eſt neceſſaria, vt actus bonus ſit donum Dei.

14. Ratio, cur Deus non ſit maleuolus Iudæ, quem vocat ſciens non conſenſurum, eſt, quia nullam iniuriam facit Iudæ, cum nemini teneatur dare vocationem, cui nouit conſenſurum, immò eſt Iudæ beneuolus, vocat enim illum vocatione, cui poteſt conſentire ſi velit. Quòd ſi vocando non præparat eius voluntatem vt conſentiat, ideò non præparat, quia per ſcientiam Iudæ liberam, videt Iudam non conſenſurum: non eſt igitur, quòd Iudas Deum incuſet, cum ſe ipſum debeat incuſare, qui fuit cauſa ſiué conditio cur Deus non præuiderit ſuum conſenſum, adeoque impediuit indirectè voluntatem ſpecialiter beneuolam, qua Deus dediſſet vocationem, ſi præuidiſſet conſenſurum. Fateor tamen fuiſſe Deum magis beneuolum Petro quàm Iudæ, id enim non poteſt in dubium vocari; non proindè fuit maleuolus Iudæ, aliter eſſet maleuolus qui conferret vni amico beneficium minus, nolens conferre beneficium maius, quod confert alteri. Petrus itaque debet ſuum conſenſum Deo, Iudas verò debet ſibi, non Deo ſuum diſſenſum, quia Deus donando Iudæ facultatem conſentiendi, eique non donando conſenſum poteſt adhibere illa Euangelij verba. *Amice non facio tibi iniuriam: tolle quod*

tuum

tuum eſt, & vade; An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum. Quod ſi á me quæras cur Deus fuerit ſpecialiter beneuolus Petro non Iudæ, tibi reſpondeo cum Auguſtino *Si non vis errare noli quærere, Iudicia enim Dei, occulta eſſe poſſunt, iniuſta eſſe non poſſunt*, & melius cum Paulo Apoſtolo *homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? quis nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?*

15 Voluntas igitur, qua Deus vult donare Petro vocationem, ſciens Petrum conſenſurum, eſt ſpecialiter beneuola, & Deus huiuſmodi voluntate amat, intendit, & donat conſenſum, eumque prædefinit. E contrarió voluntas, qua Deus donat Iudæ vocationem ſciens Iudam non conſenſurum, non eſt ſpecialiter maleuola, licet non ſit ſpecialiter beneuola, quia hac voluntate non prædefinit diſſenſum, eumque non amat, non intendit, neque donat, ſed tantùm permittit. Ratio á priori eſt, quia Deus vocando Petrum itá vult conſenſum Petri, vt ſi videret Petrum non conſenſurum huic vocationi, eam non daret, ſed aliam daret, cui videret conſenſurum, adeoque ſtudioſé eligit vocationem congruam, ergo conſenſum Petri poſitiué amat, intendit, & donat. E contrarió dum vocat Iudam, itá vocat, vt ſi videret huic vocationi conſenſurum, adhuc vocaret illa vocatione, adeoque non amat ipſum diſſenſum, ſed tantúm permittit.

16 Neceſſe eſt igitur, vt Deus videat liberum arbitrium conſenſurum alicui vocationi, ex infinitis vocationibus, quibus poteſt conſentire, & alicui diſſenſurum; licet nulla ſit vocatio, cui non poteſt conſentire, vel diſſentire. Ratio eſt, quia Deus, debet poſſe prædefinire actum bonum cuiuſcumque libertatis creatæ, & debet poſſe permittere actum malum eiuſdem libertatis creatæ. Vt autem

poſſit

poſſit prædefinire actum bonum cuiuſcumque libertatis creatæ neceſſe eſt, vt quælibet libertas creata alicui indeterminaté vocationi conſentiat, & neceſſe eſt vt alicui indeterminaté vocationi diſſentiat; ſi Deus poteſt permittere actum malum, ergo neceſſe eſt vt ex infinitis vocationibus aliqua coniungatur cum conſenſu,& alia cum diſſenſu. Ex hac doctrina conſtat natura illius decreti,quoDeus efficaciter vult actum bonum liberum voluntati creatæ,& permittit actum malum liberum voluntati creatæ. Vtrumque decretum habet eſſentialem connexionem cum actu bono, & actu malo: vtrumque eſt liberum Deo,cui eſt liberum efficaciter velle, vel efficaciter permittere quid quid contingit in mundo: vtrumque dirigitur á ſcientia libera voluntati creatæ, quia vtrumque antecedit ſcientia media actus boni vel mali conditionaté futuri, adeoque vtrumque poteſt impediri à libero arbitrio voluntatis creatæ. Indè eſt, quód ſcientia media quæ eſt libera nobis & non eſt libera Deo, eſt omninó neceſſaria ad componendam noſtram libertatem cum diuino concurſu, quo Deus concurrit ad actus noſtros liberos etiam ordinis naturalis, de quibus hic ſermo eſt, ſiue bonos, ſiue malos in genere moris.

QVAESTIO V.

Vtrum omnis neceſſitas antecedens tollat libertatem.

1 HVc vſque pugnauimus cum externis, expugnato præcipuo hoſte humanæ libertatis, prædeterminatione Phyſica, quam tuetur

tur Schola Thomiſtica: cogimur nunc deſcendere ad certamen domeſticum cum aliquibus ex noſtra Schola, qui in hac re de concordia humanæ libertatis cum efficacia diuinæ voluntatis nimiũ tribuunt aduerſarijs: duplicem enim diſtingũt neceſſitatem, vtramque antecedentem, vnam intrinſecam, aliám extrinſecam humanæ voluntati; illam docent pugnare cum eius libertate; ſecús iſtam: quò fit vt argumentum ex capite neceſſitatis antecedentis á nobis factum ad phyſicam prædeterminationem euertendam, vel ſit nullum, vel ſatis infirmum; ſi enim eſt aliqua neceſſitas antecedens, quæ non euertit libertatem, poſſunt Thomiſtæ ſuam prædeterminationem facilé tueri: omnia tela quibus eam oppugnamus, clypeo huius neceſſitatis hebetando.

2 Vt igitur conſtet de ſtatu huius controuerſiæ grauiſſimæ, an quælibet neceſſitas antecedens libertatem iugulet, opus habeo ſummatim attingere quæ ſunt certa apud omnes Theologos noſtræ Scholæ de hac re diſputantes, vnde habuit originem præſens controuerſia. Eſt certum apud omnes, nullum eſſe actum primũ operationis bonæ nobis liberæ, qui non poſſit coniungi cum oppoſito; adeoque ex ijs vocationibus, quibus Deus vocat homines, vt liberé conſentiant; nullam eſſe, quæ non poſſit copulari cum diſſenſu ſpectata natura ipſius vocationis; id enim neceſſarió ſequitur hoc ipſo, quòd actus primus humanæ libertatis non conſtituitur per formam phyſicè prædeterminantem. Prætereá eſt apud eoſdem indubitatum, vel non eſſe poſſibilem cognitionem certam actus boni, qui ſequetur ex actu primo indifferente ad vtrũque, vel huiuſmodi cognitionem non eſſe aliam, præter ſcientiam mediam; qua nimirùm Deus ſeclufo

cluſo quocumque decreto certó nouit, quid eſſet ſecuturum ex quolibet actu primo, qui conſtituit voluntatem creatam indifferentem ad benè vel malé operandum. Hinc eſt, quód in priori ad ſcientiam mediam, quæ eſt ſcientia contingens, & nobis non Deo libera; non cognoſcitur á Deo quid eſſet facturum liberum arbitrium, ſi poneretur in talibus circumſtantijs, vel in alijs ex infinitis, quæ ſunt poſſibiles; nempè, quid eſſet facturum ſub hoc actu primo, quid ſub alio; & ſic de ſingulis finitè in infinitum; quia in eo genere, ad quod ſpectat actus primus conſtituens voluntatem liberam ad operandum, ſunt poſſibiles infiniti actus primi, ſiue infinitæ vocationes. Neque eſt inconueniens, quòd in priori ad ſcientiam mediam Deus non cognoſcat actum ſecundum ſecuturum ex actu primo, quia nulla ſequitur in Deo ignorantia; illud enim inſtans, quód antecedit hanc ſcientiam, eſt inſtans naturæ, adeoque præſcindit á ſcientia & ignorantia, quia neque affirmat, neque negat ſcientiam: quam ergo ſcientiam habet Deus in priori ad ſcientiam mediam? habet ſcientiam neceſſariam, qua cognoſcit conſenſum eſſe poſſibilem, quia nulla eſt vocatio, cum qua non poſſit coniungi conſenſus.

3 Quia veró eſt neceſſarium neceſſitate metaphyſica non ſolúm vt quælibet vocatio poſſit coniungi cum conſenſu, adeoque poſſit eſſe efficax in actu ſecundo; ſed etiam vt ex infinitis vocationibus aliqua indeterminaté ſit, quæ coniungatur cum conſenſu, & per conſequens ſit efficax in actu ſecundó; id circò Deus anté ſcientiam mediam cognoſcit per ſcientiam neceſſariam eſſe in ſua poteſtate prædefinire opus bonum cuiuſcumque libertatis creatæ; quia nullum eſt poſſibile liberum ar-

arbitrium adeó rebelle, vt velit reſiſtere omnibus vocationibus, quibus poſſit á Deo vocari.

4. In hac re non conuenit inter omnes, qui vtuntur ſcientiá mediá, vt componant libertatem noſtram cum efficaciá diuini concurſus; ſunt enim aliqui pauci, qui putant poſſe liberum arbitrium (ſermo eſt de potentia metaphyſica) reſiſtere omnibus vocationibus, quæ conſtituunt actum primum indifferentem: melior tamen & maior pars ſentit oppoſitum, quod ego etiam ſentio; quia neceſſe eſt, vt Deus poſſit cuicunque voluerit donare actum liberum honeſtum, & bonum in genere moris, qui eſt pretium noſtræ felicitatis: id autem non poſſet, ſi eſſet in poteſtate voluntatis noſtræ reſiſtere omnibus vocationibus collectiuè acceptis, eaſque reddere inefficaces.

5. Quibus poſitis, fingamus Deum ante omnem vſum ſcientiæ mediæ, dependentér ab illa ſcientia neceſſaria, qua cognoſcit in tota multitudine vocationum poſsibilium, quibus poterit Petrum vocare, aliquam eſſe efficacem, velle actum bonum Petri, eiuſque conſenſum Deo vocanti: huiuſmodi voluntas ſiuè decretum Dei prædefinientis actum bonum neceſſarió infert neceſsitate conſequentiæ eundem actum, vt eſt indubitatum, eſt enim voluntas efficax eiuſdem actus: prætereá eſt neceſsitas antecedens, quia non poteſt impediri á voluntate creata, alitér dirigeretur á ſcientia media eidem voluntati libera, quod eſt contra hypotheſim. Quæritur nunc, an hoc decretum repugnet ex capite libertatis, non enim eſt dubium, an ſimplicitèr repugnet, quia repugnat vt Deus, cum vult actum bonum Petri, non vtatur omni ſcientia circa hunc actum, quæ antecedit eundem abſoluté futurum.

6. Sunt

6. Sunt aliqui noſtræ ſcholę Theologi, qui cenſent hoc decretum ex capite libertatis non repugnare cæteris contrarium opinantibus. Argumenta, quæ inclinant in hanc ſententiam ſatis ſingularem, ſunt. Primó: decretum, quod non tollit indifferentiam principij proximi, non opponitur libertati: huiuſmodi eſt hoc decretum; ergo non opponitur libertati; ergo aliqua neceſſitas antecedens poteſt ſtare cum libertate. Maior patet, quia nihil eſt magis tritum apud Philoſophos, quàm eſſe liberum actum, qui oritur ex principio indifferente. Min: prob: repugnat tolli indifferentiam principij proximi per illud decretum, quod vult conſenſum voluntatis indifferentis ad ipſum conſenſum: ſed hoc decretum, vt conſtat ex natura ipſius, vult huiuſmodi conſenſum; ergo &c.

7. Secundó: quod neceſſarió infert actum liberum, nõ excludit actum liberum, vt patet ex terminis, ſed prędefinitio antecedẽs ſcientiã mediam neceſſarió infert actum liberum; ergo non excludit actum liberum, ergo ex capite libertatis non repugnat. Min: prob: quia huiuſmodi prædefinitio eſt voluntas ponendi illum actum primum, quem cognoſcet ſcientia media in actu ſecundo efficacem: actus autem primus, qui cognoſcitur per ſcientiam mediam eſſe efficax, eſt actus primus actus ſecundi liberi, ergo &c.

8. Tertió: decretum, quod infert ſcientiam mediam, non pugnat cum libertate, infert enim ſcientiam nobis liberam, ſed decretum antecedens ſcientiam mediã eam infert; ergo non pugnat cum libertate. Minór patet, quia hoc decretum vult dare illam vocationem, quæ cognoſcitur per ſcientiam mediam futura efficax & congrua, ergo infert neceſſarió ſcientiam mediam. Addo non minús connecti

necti cum ſcientia media hoc decretum, quod antecedit ſcientiam mediam, quàm illud decretum quod conſequitur ſcientiam mediam; igitur ſcientia media, cum qua vtrumque connectitur, eſt cauſa, cur neutrum pugnet cum libertate.

9. Quartó: non omnis neceſſitas antecedens tollit libertatem, ergo huiuſmodi decretum non tollit libertatem. Antecedens probatur, túm quia non omnis neceſſitas antecedens immutat actum primum operandi; illa enim neceſſitas, quæ non conſtituit actum primum operandi, procul dubió eum non immutat, eſt autem poſſibilis aliqua neceſſitas antecedens, quæ non conſtituit actum primum: túm quia eſt magnum diſcrimen inter neceſſitatem antecedentem intrinſecam voluntati, qualis eſt neceſſitas phyſicæ prædeterminationis, & neceſſitatem antecedentem eidem extrinſecam, qualis eſt neceſſitas prædefinitionis antecedentis ſcientiam mediam; illa enim conſtituit, iſta non conſtituit actum primum.

10. Quintó: potentia non amandi in ſenſu diuiſo á prædefinitione ſatis eſt ad libertatem amoris, vt inter omnes conuenit, qui defendunt ſcientiam mediam; ſed in voluntate eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo á prædefinitione antecedente ſcientiam mediam, ergo prædefinitio amoris antecedens ſcientiam mediam non excludit libertatem amoris. Minor patet, quia licet non poſſit coniungi negatio amoris cum prædefinitione amoris, nihilominús eſt in poteſtate liberi arbitrij ponere negationem amoris, quando non eſt prædefinitio amoris.

11. Sextó: quidquid connectitur cum amore & non conſtituit actum primum amandi, non opponitur libertati, ſed prædefinitio amoris antecedens

ſcien-

ſcientiam mediam amoris connectitur cum actu amoris; ergo non opponitur libertati. Confirmatur, quia non alia de cauſa ſtat cum libertate prædefinitio connexa cum actu amoris, & conſequens ſcientiam mediam; niſi quia non conſtituit actum primum amoris.

12. Septimò: repugnat in terminis, vt pugnet cum libertate voluntas, quæ vult libertatem, ſed prædefinitio antecedens ſcientiam mediam eſt voluntas, quæ vult actum liberum; ergo non pugnat cum libertate. Confirmatur, quia neceſſitas non eſt impoſſibilitas, vt patet ex terminis: ergo neceſſitas, vt ſit actus liber, non eſt impoſſibilitas actus liberi; ſed prædefinitio antecedens ſcientiam mediam eſt neceſſitas, vt ſit actus liber à Deo prædefinitus; ergo iſta prædefinitio non eſt impoſſibilitas actus liberi.

13. Octauò: hæc conſequentia non valet; *neceſſe eſt eſſe amorem à Deo prædefinitum, ergo neceſſe eſt eſſe amorem*; quia neceſſitas, vt ſit amor à Deo prædefinitus, non eſt neceſſitas, vt ſit amor, ſicuti neceſſitas vt Petrus peccet, quem Deus nouit peccaturum, non eſt neceſſitas, vt Petrus peccet; ergo prædefinitio amoris, quæ antecedit ſcientiam mediam, non repùgnat libertati.

14. Nonò: ſi Deus faceret hoc decretum *volo tibi dare actum primum indifferentem ad amorem, ita tamen, vt ſi videro per ſcientiam mediam hunc actum primum futurum inefficacem prædeterminabo te phyſicè ad amorem*; huiuſmodi decretum non eſſet cauſa cur Petrus indifferens ad amandum, liberè non amaret; ergo pariter non excludit libertatem prædefinitio amoris antecedens ſcientiam mediam. Conſequentia patet, quia neutra voluntas poteſt impediri à libero arbitrio.

15. Vltimò quando Petrus amat liberè Deum, datur neceſſitas antecedens ipſius amoris compoſſibilis cum actu libero amoris; ergo non omnis neceſſitas antecedens tollit libertatem. Antecedens probatur, quia complexum ex Diuina Omnipotentia & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus neceſſariò cognoſcit liberum arbitium non poſſe reſiſtere omnibus vocationibus eſt compoſſibile cum libertate amoris; ſed huiuſmodi complexum eſt neceſſitas antecedens; quia Petrus dum amat, non poteſt impedire ſingulas partes huius complexi, quæ ſunt aliquid neceſſarium; ergo &c.

16. Contra hanc ſententiam dico, prædefinitionem, quæ antecedit ſcientiam mediam, repugnare ex capite libertatis, atque adeó nullam eſſe neceſsitatem antecedentem & inimpedibilem á libero arbitrio, quæ non tollat libertatem.

17. Plura ſunt argumenta, ex quibus mihi perſuáſum habeo huiuſmodi prædefinitionem pugnare cum libertate, atque adeò nihil differre á prædeterminatione Thomiſtica, quód ad libertatem attinet. In primis tollere poſsibilitatem non amandi, & tollere indifferentíam ad amandum eſt idem formaliſsimé; ſed prædefinitio amoris antecedens ſcientiam mediam tollit poſsibilitatem non amandi; ergo tollit indifferentiam; ergo repugnat libertati. Min: prob: quia tollere poſsibilitatem non amandi, & reddere impoſsibilem negationem amoris ſunt termini conuertibles; atqui hæc prædefinitio reddit impoſsibilem negationem amoris; negatio enim amoris á Deo prædefiniti eſt chimæra, ſicuti eſt chimæra negatio rei, quam Deus vult efficaciter eſſe; cum huiuſmodi negatio neget rem eſſe, quæ veré eſt: hæc igitur prædefinitio tollit piſsibilitatem non amandi.

18. Hoc

18. Hoc argumentum non poteſt ſoluere diſtinctio illa, quæ vulgò datur inter ſenſum compoſitum & ſenſum diuiſum, quia licèt mihi exercenti amorem prædefinitum ante ſcientiam mediam non repugnet non amare in ſenſu diuiſo à prædefinitione, inde tamen non ſequitur amorem prædefinitum eſſe mihi liberum, vt hoc ſyllogiſmo demonſtro. Potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi non libero non arguit amorem mihi liberum: ſed potentia nō amandi in ſenſu diuiſo ab iſta prædefinitione eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi non libero, ergo potentia non amandi in ſenſu diuiſo ab iſta prædefinitione non arguit amorem eſſe mihi liberum. Minor patet, quia potentia non amandi in ſenſu diuiſo à prædefinitione quam ego non poſſum impedire, eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi non libero; vt patet ex terminis: potentia autem non amandi in ſenſu diuiſo à prædefinitione antecedente ſcientiam mediam eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo à prædefinitione, quàm ego non poſſum impedire; prædefinitio enim antecedens ſcientiam mediam, & prædefinitio inimpedibilis à libertate mea ſunt termini conuertibiles: potentia igitur non amandi in ſenſu diuiſo à prædefinitione antecedente ſcientiā mediam eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi non libero. Ma: primi ſyllogiſmi ſatis patet intelligentibus diſtinctionem ſenſus compoſiti & ſenſus diuiſi: cur mihi eſt liberum currere, qui non poſſum componere non curſum cum curſu, ſiué cum diuina ſcientia mei curſus? quia nimirùm poſſum non currere in ſenſu diuiſo à curſu, & ſcientia mei curſus; quæro nunc, an iſte ſenſus diuiſus ſit mihi liber nec né? vtique eſt mihi liber, quia eſt in mea poteſtate impedire

curſum & conſequenter ſcientiam diuinam mei curſus, cum qua non poſſum componere nón curſum. Cæterum ſi mihi non eſſet liberum hoc impedire, quomodo eſſet mihi liberum currere? etiam ſi eſſet in mea poteſtate non currere quando non eſt curſus, nec diuina ſcientia mei curſus. Deinde quid eſt, quód ille, qui non currit ligatus vinculis ferreis, ſine vllo exercitio ſuæ libertatis non currit, licét poſſit non currere in ſenſu diuiſo á vinculis? niſi quia non eſt in ſua poteſtate ſoluere vincula, quibus ligatur, & ponere illum ſenſum diuiſum, in quo poteſt non currere. Ratio á priori eſt, quia potentia libera eſt formaliſsimè potentia expedita ad extrema viciſsim oppoſita, adeòque eſt potentia impediendi omne id, cum quo non poteſt componere quodlibet ex duobus extremis, quæ ſunt in eius poteſtate; id enim eſt neceſſarium ad veram notionem facultatis liberæ, nec poteſt ſatis intelligi, quomodó ſit liberũ amare, cui non eſt liberum poſſe impedire quidquid eſt incompoſſibile cum negatione amoris: quare potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi non libero non arguit in me libertatem amandi, adeóque potentia non amandi in ſenſu diuiſo á prædefinitione, quæ antecedit ſcientiam mediam, non arguit mihi liberum amorem prædefinitum, & conſequenter diſtinctio ſenſus compoſiti & ſenſus diuini non ſoluit argumentum, quo demonſtratur repugnantia huius prædefinitionis ex capite libertatis.

19 Hoc argumentum vrgetur anguſtiús ad hominem. Quæro ab áuthoribus, qui aiunt hanc prædefinitionem non repugnare libertati, eique repugnare phyſicam prædeterminationem, cur prædeterminationi non ſuffragatur potentia non

aman-

amandi in ſenſu diuiſo á prædeterminatione? quia, inquiunt, non eſt in poteſtaté prædeterminati impedire prædeterminationem: cur igitur prædefinitioni, quæ antecedit ſcientiam mediam, ſuffragabitur potentia non amandi in ſenſu diuiſo á prædefinitione? ſi non eſt in mea poteſtate impedire prædefinitionem. Nullum certé diſcrimen in hac re inuenio inter prædeterminationem Thomiſticam, & huiuſmodi prædefinitionem, quia vtraque antecedit actum, neutra præſupponit ſtatum abſolutum vel conditionatum eiuſdem: neutra poteſt directé, vel indirecté impediri á mea libertate. At prædefinitio eſt mihi extrinſeca, prædeterminatio vero intrinſeca: quid indé? hoc diſcrimen vtique video, ſed ſimul video non eſſe ad rem, cum agitur de libertate, quam perindé lædit vna, ac alia, poſito quód vtraque infert neceſſitatem antecedentem mihi prorsùs ineluctabilem, vt hoc exemplo euinco, quod mihi videtur ſatis opportunum ad rem præſentem explicandam. Finge duos homines, vnum ligatum vinculis ferreis, & alium ſolutum vinculis, ſed Romæ incluſum carcere: an fortaſsé credes eſſe in poteſtate iſtius hominis, qui ſolutus vinculis eſt in carcere, ire Tuſculum, eo quòd habet pedes expeditos, ille veró impeditos? Quis non intelligat diuerſitatem vnius ab alio eſſe omninò inutilem, quod attinet ad eundum Tuſculum? mutato nomine de te fabula narratur, qui dicis libertatem lædi á neceſſitate intrinſeca, non lædi ab extrinſeca: quid enim intereſt, an ſit mihi intrinſecum, vel extrinſecum id quod non poſſum impedire, & cum quo non poſſum componere oppoſitum illius, quod operor?

20 Ratio á priori, quæ demonſtrat libertatem

violari ab vtraque neceſſitate, eſt, quia potentia libera eſt potentia ad vtrumque actum expedita, ſed potentia ad vtrumque actum expedita, eſt potentia, quæ caret omni impedimento relatè ad vtrunque actum, ergo potentia libera eſt potentia, quæ caret omni impedimento relatè ad vtrumque actum: ſed quælibet neceſsitas antecedens vnius actus eſt impedimentum alterius actus, repugnat enim, vt exiſtente neceſsitate antecedente ad actum amoris, exiſtat actus odij incompoſsibilis cum amore: ergo potentia, quæ habet quamlibet neceſsitatem antecedentem ad vnum actum, non caret omni impedimento vtriuſque actus: ergo potentia neceſsitata neceſsitate antecedenti ad actum amoris, non eſt libera ad actum amoris, & actum odij.

21 Summa huius diſcurſus in eo fundatur, quód ea cauſa non cenſetur expedita ad agendum, quæ non poteſt tollere impedimentum ſuæ actionis: neceſsitas autem antecedens impedit actum oppoſitum, eaque non poteſt tolli à potentia libera, vt patet, alioquin non eſſet antecedens, ſed conſequens, ergo neceſsitas antecedens quatenús talis tollit libertatem.

22 Addo, quód non poſſum ſatis intelligere, quomodo mihi ſit liberum conſequens, ſi mihi nullo modo eſt liberum antecedens, ſed prædefinitio ita ſe habet ad actum prædefinitum, ſicuti antecedens ad conſequens, vt eſt certum, ſi ergo prædefinitio nullo modo eſt mihi libera, ſicuti re vera non eſt mihi libera prædefinitio, quæ antecedit ſcientiam mediam, non eſt mihi liber actus prædefinitus. Hoc argumentum inſtantiús non vrgeo, quia erit ſermo de eodem in ſequente quæſtione, vbi de hoc principio ſummuliſtico agam:

ſi con-

ſi conſequens eſt liberum, etiam antecedens eſt liberum; Ex qua doctrina patet eſſe contrariam omnibus principijs, quæ in noſtra ſchola debent eſſe firmiſſima circa ſcientiam mediam, eiuſque neceſſitatem ad concordiam humanæ libertatis cum efficacia diuini concurſus, hanc ſententiam de neceſſitate antecedente compoſſibili cum libertate, tota enim ratio, ob quám neceſsé fuit confugere ad ſcientiam mediam in hac concordia, eſt, quia nulla alia neceſſitas debet inferri ex diuinæ voluntatis efficacitate præter conſequentem: huc enim ſpectat tota machina ſcientiæ mediæ, cuius vſus eſt neceſſarius, vt Deus poſſit efficaciter velle quod eſt nobis liberum.

23 Hinc habes hypotheſim, in qua Deus ante ſcientiam mediam velit conſenſum Petri dependenter ab illa vocatione, cui deindé videbit per ſcientiam mediam conſenſurum, eſſe hypotheſim impoſſibilem, componit enim neceſſitatem conſequentem, quam infert ſcientia media cum neceſſitate antecedente, quam excludit ſcientia media, & includit prædeterminatio oppoſita ſcientiæ mediæ. Non eſt igitur mirum, quód ex vno capite inferat actum prædefinitum liberum operanti, & ex alio capite inferat eundem actum non liberum operanti, id enim eſt proprium hypotheſis impoſſibilis: ſicuti debent ipſi aduerſarij fateri in ea hypotheſi, in qua Deus haberet neceſſitatem prædefiniendi ante ſcientiam mediam actum meum liberum, neceſſitas enim dandi vocationem, quæ cognoſcetur per ſcientiam mediam fore efficax, deſtruit illam libertatem, quam adſtruit: deſtruit, quatenús eſt neceſſitas actus prædefiniti, quia non poteſt eſſe antecedens neceſſarium, & conſequens liberum: eandem adſtruit, quatenús infert voca-

tionem indifferentem, adeóque eſt hypotheſis impoſſibilis. Hanc hypotheſim, quam formo de neceſſitate prædefinitionis antecedentis ſcientiam mediam, debes in re præſenti habere ante oculos, quia manifeſta eiuſdem repugnantia cum libertate oſtendit pugnare cum libertate illam hypotheſim, quam format aduerſarius de voluntate Deo libera prædefiniente meum conſenſum ante ſcientiam mediam, eſt enim vtrobique par ratio, quòd attinet ad vſum meæ libertatis: hinc poteris manifeſté ſoluere omniá argumenta in contrarium propoſita.

24 Ad primúm diſtinguo maiorem decretum, quod non tollit & ſimul tollit indifferentiam, non opponitur libertati: nego maiorem: quod tantúm non tollit: conc: maiorem, & diſtincta minori, nego conſequentiam: hoc decretum ſibi contradicit, quiá ſignaté vult indifferentiam principij proximi, vult enim illam vocationẽ, quæ videbitur per ſcientiam mediam futura efficax: exercité non vult indifferentiam principij proximi, quia vult neceſſitatem antecedentem, quæ, vt oſtendi, excludit hanc indifferentiam, ponit enim aliquod incompoſſibile cum negatione actus prædefiniti, & à libero arbitrio inimpedibile: indè eſt, hoc decretum repugnare in terminis, quia ex vno capite pugnat, ex alio non pugnat cum libertate. Cæterùm quám ſit futile hoc argumentum, ex eo liquet, quód arguens tenetur ſimile argumentum ſoluere, dum ſimili argumento probatur non repugnare libertati illud decretum, quo Deus neceſſarió vellet ante ſcientiam mediam prædefinire meum conſenſum, ſi eſſet vera ſententia Ariſtotelis docentis Deum non eſſe liberum, huiuſmodi enim decretum eſſet decretum, quo Deus neceſſa-
rió

riò vellet dare mihi vocationem indifferentem, & cognitam efficacem per ſcientiam mediam, & tamen hoc decretum in omnium ſententia repugnaret meæ libertati, quia nimirùm indifferentiam, quam ex vno capite non tollit, ex alio tolleret.

25 Ad ſecundùm, concedo maiorem, nego minorem: ad eius probationē dico huiuſmodi voluntatem ſibi contradicere, quia ex vna parte vult actum primum, qui poteſt ponere oppoſitum, vult enim actum primum indifferentem: ex alia parte non vult actum primum, qui poteſt ponere oppoſitū, vult enim aliquod incompoſſibile cū oppoſito & inimpedibile á libero arbitrio: quomodo ergo poteſt velle me poſſe amare & non amare, ſi vult aliquid quod non poteſt coniungi cum carentia amoris, & á me non poteſt impediri? Ratio á priori eſt, quia ſcientia media eſt ſcientia mei conſenſus, quo conſentiam Deo, ſi vocabor vocatione indifferente ſine vlla neceſsitate antecedente ad conſentiendum: hanc autem ſcientiam tollit illa voluntas, quæ vult aliquam neceſsitatem antecedentem, vt ego conſentiam: voluntas igitur, quæ ante ſcientiam mediam vult meum conſenſum, tollit ſcientiam mediam mei conſenſus, quia tollit indifferentiam meæ voluntatis ad conſentiendum, ponit enim impedimentum diſſenſus, quod ego non poſſum auferre. Quare ſibi contradicit illa voluntas, quæ vult, vt ego conſentiam cum neceſſitate antecedenti ad conſenſum, & tamen vult mihi dare illum actum primum, qui videbitur per ſcientiam mediam futurus efficax, quomodo enim ſpectat ad ſcientiam mediam videre illum conſenſum, cuius datur neceſsitas antecedens, adeóque eſt aliqua neceſsitas ipſius conſenſus ante ipſam ſcien-

ſcientiam mediam? certé ſi volumus á ſuis principijs repetere naturam ſcientiæ mediæ, eam inueniemus fundatam in ipſa natura actus liberi prouenientis à principio indifferenti, & nullam habentis neceſsitatem niſi conſequentem: velle igitur componere huiuſmodi ſcientiam cum neceſsitate antecedente ipſius conſenſus eſt velle componere ea, quæ viciſsim opponuntur, adeóque fabricare chimæram ſupra fundamenta prædeterminationis, & ſcientiæ mediæ.

26 Ad tertiúm: diſtinguo ſimiliter maiorem: decretum quod infert ſignaté, & ſimul non infert exercité ſcientiam mediam, non opponitur libertati; nego maiorem: quod infert tantúm ſignaté: concedo maiorem, & diſtincta minori, nego conſequentiam. Hoc decretum, quod controuertitur, infert ſignaté ſcientiam mediam, quia vult vocationem, quam Deus videbit per ſcientiam mediam fore efficacem, exercité infert aliquod oppoſitum ſcientiæ mediæ, quia vult neceſsitatem antecedentem mei conſenſus, quæ neceſsitas antecedens excludit libertatem mei conſenſus, adeóque impedit illam ſcientiam, quæ eſt ſcientia mihi libera, quia repugnat, vt Deus habeat ſcientiam mihi liberam, ſi habet ſcientiam de actu meo mihi non libero, ergo iſta voluntas, inferendo neceſſitatem antecedentẽ mei conſenſus, infert aliquod oppoſitum ſcientiæ mediæ, quæ eſt ſcientia condicionata mei conſenſus mihi libera. Cæterúm eſt diſpar ratio inter connexionem, quam habet cum ſcientia media prędefinitio antecedens ſcientiam mediam; & connexionem, quam habet cum ſcientia media illa prędefinitio, quę ſequitur ſcientiam mediam, illa enim tollit ſcientiam, cum qua connectitur, adeóque eſt prædefinitio omninó chimæri-

mærica : iſta é contrario non tollit ſcientiam cum qua connectitur : ratio autem cur illa tollat, iſta non tollat, eſt, quia illa, non iſta ponit neceſsitatem antecedentem, adeóque ponit impedimentum mei diſſenſus, quod ego non poſſum tollere : iſta é contrario ponit impedimentum, quod ego poſſum tollere.

27 Ad quartúm : nego antecedens, quia omnis neceſſitas antecedens eſt cauſa, cur ego poſſim facere oppoſitum illius, quod facio, ſolúm in ſenſu diuiſo mihi non libero : quando autem ita operor, vt non poſſim facere oppoſitum, niſi in ſenſu diuiſo mihi non libero, ego non operor liberé, vt pluribus demonſtraui, igitur omnis neceſsitas antecedens tollit libertatem. Quidquid igitur ſit, an quælibet neceſsitas antecedens conſtituat, vel non conſtituat actum primum proximum, de qua re nolo diſputare, quia ad rem non facit, mihi eſt certúm illum actum primum non eſſe indifferentiam ad vtrumque, qui habet aliquod impedimentum, né poſsit vtrumque facere, id autem manifeſte ſequitur ex qualibet neceſsitate antecedente : ergo, &c. Cæterúm diſpar ratio vtique eſt inter hanc prædefinitionem & prædeterminationem Phyſicam, ſed hæc diſpar ratio eſt materialis relaté ad libertatem, quæ hic attenditur, in hac enim re eſt vtrobique par ratio.

28 Ad quintúm: diſtinguo maiorem: potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi libero ſatis eſt ad amorem liberum : concedo maiorem : in ſenſu diuiſo mihi non libero : nego maiorem : & diſtincta eodem modo minori, nego conſequentiam, Potentia non amandi in ſenſu diuiſo á prædefinitione conſequente ſcientiam mediam eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi libero, quia eſt in

mea poteſtate impedire prædefinitionem, ideó hęc potentia ſatis eſt ad amorem mihi liberum: é contrario potentia non amandi in ſenſu diuiſo á prædefinitione antecedente ſcientiam mediam eſt potentia non amandi in ſenſu diuiſo mihi non libero, ideó non ſatis eſt ad amorem mihi liberum.

29 Ad ſextúm diſtinguo maiorem: quidquid eſſentialiter connectitur cum amore, & eſt impedibile non opponitur libertati: concedo maiorem: & non eſt impedibile: nego maiorem; & diſtinguo minorem: prædefinitio antecedens ſcientiam mediam connectitur cum amore, & eſt impedibilis: nego minorem: & non eſt impedibilis: concedo minorem: & nego conſequentiam. Vtraque prædefinitio connectitur cum meo ámore, tam quæ antecedit, quám quæ conſequitur ſcientiam mediam, ſed illa, quæ antecedit, ita connectitur, vt non poſsit á me impediri; ideó repugnat meæ libertati, quæ veró ſequitur, ita connectitur, vt poſsit impediri, adeóque non repugnat meæ libertati.

30 Ad ſeptimùm; conſtat ex dictis, hæc enim voluntas ex vno capite vult actum liberum, ex alio capite non vult actum liberum, quia vult neceſsitatem antecedentem, quæ excludit actum liberum, eſt igitur voluntas, quæ ſibi aperté contradicit, adeóque eſt impoſsibilis. Ad confirmationem, dico neceſsitatem quá neceſsé eſt, vt ſit actus prædefinitus prædefinitione conſequente ſcientiam mediam, eſſe neceſsitatem impedibilem á me, adeóque non opponi meæ libertati: cæterúm illa neceſsitas qua neceſsé eſt eſſe actum meum liberum fundata in prædefinitione antecedente ſcientiam mediam, quia non eſt impedibilis á me, excludit meam libertatem, adeóque iſta neceſſitas actus mei

mei liberi eſt impoſsibilitas mei actus liberi, quia eſt neceſsitas, quæ non eſt neceſsitas, nimirùm neceſsitas impoſsibilis.

31 Ad octauúm: diſtinguo antecedens, non valet iſta conſequentia, *neceſsè eſt eſſe amorem prædefinitum, prædefinitione conſequente ſcientiam mediam, ergo neceſsè eſt amorem eſſe*: concedo antecedẽs, prędefinitione antecedente ſcientiam mediam: iterúm diſtinguo: non eſt neceſsé neceſsitate tollente omnem poſsibilitatem oppoſiti: concedo antecedens: neceſsitate tollente poſsibilitatem oppoſiti mihi liberam: nego antecedens, & conſequentiam. Ex eo quód neceſsé ſit peccatum fore, quód Deus futurum nouit, non ſequitur peccatum neceſſariò futurum, quia huiuſmodi neceſsitas eſt impedibilis ab ipſo Petro, quem Deus videt peccaturum, adeòque eſt diſpar ratio inter neceſsitatem, qua neceſsé eſt eſſe actum prædefinitum prædefinitione antecedente ſcientiam mediam, & neceſsitatem, qua neceſsé eſt Petrum peccare, quem Deus nouit peccaturum.

32 Ad nonúm: oſtenſum eſt pugnare cum libertate quancunque neceſſitatem á libero arbitrio inimpedibilem, ſi ergo Deus vult Petrum conſentire, & prędeterminare ipſum conſenſum in ea hypotheſi, in qua videret non conſenſurum huic vocationi, & iſta voluntas non poteſt impediri à libero arbitrio, manifeſtum eſt hanc voluntatem pugnare cum libertate, quia indifferentia requiſita ad libertatem infert negotiationem cuiuſcunque impedimenti, vt eſt ſatis certùm.

33 Ad vltimùm: hoc argumentum nimis probat, quia probat nun repugnare libertati neceſſitatem antecedentem neceſſarió exiſtentem, quòd eſt apud omnes falſum; alioquin poſſet eſſe conſequens

quens falſum, & antecedens verùm. Quód autem argumentum hoc ipſum probet, patet, quia complexum ex diuina omnipotentia, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quá Deus cognoſcit aliquam vocationem futuram efficacem, neceſſarió exiſtit, quia neutra ex partibus huius complexi contingenter exiſtit: ſi ergo hoc complexum eſt neceſſitas antecedens amoris mihi liberi, exiſtit neceſſarió neceſſitas antecedens amoris mihi liberi, adeóque amor mihi liber non eſt liber. Arguens confundit poſsibilitatem prædefinitionis cûm ipſa prædefinitione: ego non poſſum impedire poſsibilitatem prædefinitionis, quia non poſſum impedire diuinam omnipotentiam, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua Deus nouit me alicui vocationi conſenſurum, poſſum tamen impedire actualem prædefinitionem, quia poſſum impedire aliquam ſcientiam neceſſarió requiſitam, vt Deus, qui poteſt prædefinire meum amorem, eum prædefiniat, nimirùm ſcientiam mediam, adeóque argumentum ex omni capite eſt friuolum. At non ne Deus, qui vocat me vocatione efficaci, eſt paratus dare aliam vocationem efficacem, ſi hanc videret inefficacem? hoc verúm eſt, non proindé ſequitur aliqua neceſsitas antecedens, & inimpedibilis, quia licét ego non poſsim impedire omnem prædefinitionem, poſſum ſingulas impedire, quód ſatis eſt, vt nulla detur neceſsitas antecedens mei amoris.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACUMBAS.

QVÆ-

QVAESTIO VI.

Vtrum poſsit eſſe liberum conſequens cui non eſt liberum antecedens.

1 QVid interſit inter conſequentiam, & conſequens, patet ex Logica: hinc poteſt eſſe neceſſaria conſequentia, etiam ſi conſequens non ſit neceſſarium; immò poteſt contingere, vt conſequentia ſit neceſſaria, & conſequens impòſsibile, vt patet in hoc argumento *lapis eſt homo, ergo eſt animal*, vbi conſequentia eſt neceſſaria, & conſequens impoſsibile. Ratio eſt, quia non repugnat, vt conſequens neceſſariò ſit falſum, & tamen ſit verùm, ſi antecedens eſt verùm: ſed neceſſitas conſequentiæ eſt formaliſsimé neceſsitas, vt conſequens ſit verùm, ſi antecedens eſt verùm: ergo non repugnat, vt conſequentia ſit neceſſaria, & conſequens impoſsibile: ergo impoſſibilitas conſequentis poteſt ſtare cum neceſsitate, vt lapis ſit animal, ſi eſt homo. Quòd ſi conſequentia poteſt eſſe neceſſaria, & conſequens impoſsibile, poterit á fortiori conſequens eſſe contingens, & conſequentia neceſſaria, quia falſitas conſequentis optimè componitur cum neceſsitate, vt conſequẽs ſit verùm in eo caſu, in quo antecedens eſt verúm, non enim repugnat, vt id, quod in aliqua hypotheſi eſt verúm, ſit abſoluté falſum, vt patet ex terminis: hinc eſt quod neceſsitas conſequentiæ non infert determinaté neceſsitatem, neque impoſsibilitatem, neque contingentiam conſequentis, ſicuti animal indifferens ad rationale & irrationale neutrum determinaté infert: ratio eſt

eſt manifeſta, quia poteſt conſequentia eſſe neceſſaria, & conſequens neceſſarium, *vt eſt homo, ergo eſt animal*; poteſt eſſe conſequentia neceſſaria, & conſequens contingens, *vt homo currit, ergo mouetur*; prætereà poteſt eſſe conſequentia neceſſaria, & conſequens impoſsibile, *vt lapis eſt homo, ergo eſt animal*: ergo neceſsitas conſequentiȩ poteſt ſtare cum neceſsitate, vel contingentia, vel impoſsibilitate conſequentis: ergo nullam determinaté infert.

2 Eſt igitur magnum diſcrimen inter neceſsitatem conſequentiæ, & neceſsitatem conſequentis, quia licèt neceſsitas conſequentis inferat neceſsitatem conſequentiæ, neceſsitas conſequentiȩ non infert neceſſitatem conſequentis, quia poteſt eſſe conſequentia neceſſaria, etiam ſi conſequens non ſit neceſſarium. Quid ergo requiritur ad neceſſitatem conſequentis, ſi non ſufficit neceſſitas conſequentiæ? réquiritur, vt antecedens ſit neceſſarium, quando enim conſequentia eſt neceſſaria, & antecedens eſt neceſſarium, etiam conſequens eſt neceſſarium aliter poſſet antecedens eſſe verùm & conſequens falſum, quod eſt impoſsibile, contradicit enim huic principio dialectico: *ex vero non ſequitur niſi verùm*. Indé eſt, quód ſicuti conſequens eſt neceſſarium, ſi antecedens eſt neceſſarium, ita vice verſa antecedens eſt neceſſarium, ſi conſequens eſt neceſſarium: ratio eſt, quia ſi conſequens eſſet contingens, & antecedens neceſſarium, poſſet eſſe conſequens falſum, & antecedens verúm, adeòque poſſet ex vero ſequi falſum, quod repugnat. Præterea ſi conſequens eſt liberum, antecedens etiam eſt liberum, quia ſi conſequens eſſet liberum, & antecedens non liberum, eſſet conſequens contingens, & antecedens neceſſarium:

ſarium: repugnat autem, vt conſequens ſit contingens, & antecedens neceſſarium, ergo repugnat, vt conſequens ſit liberum, & antecedens non ſit liberum. Non propterea ſequitur eſſe liberum conſequens, ſi antecedens ſit liberum, quia poteſt eſſe conſequens neceſſarium, & antecedens contingens, vt patet in hac conſequentia: *ego exiſto, ergo poſſum exiſtere*; in qua eſt neceſſarium conſequens, & antecedens contingens: ratio à priori eſt, quia iuxtà leges ſummularum oppoſitum conſequentis infert oppoſitum antecedentis; ſed oppoſitum antecedentis non infert oppoſitum conſequentis, ex eo igitur quod eſt poſsibile oppoſitum conſequentis ſequitur eſſe poſsibile oppoſitum antecedentis, adeóque contingentia conſequentis infert contingentiam antecedentis: at nō ſequitur eſſe poſsibile oppoſitum conſequentis, ſi eſt poſsibile oppoſitum antecedentis, adeóque contingentia antecedentis non infert contingentiam conſequentis.

3 Eſt igitur apud omnes certúm, eſſe neceſſarium conſequens, ſi eſt neceſſarium antecedens, & eſſe liberum antecedens, ſi eſt liberum conſequens, atque adeó eſſe neceſſarium actum prædefinitum, ſi eſt neceſſaria prædefinitio, & eſſe liberam prædefinitionem, ſi eſt liber actus prædefinitus, quia eſt neceſſaria conſequentia á prædefinitione ad actum prædefinitum. Non eſt apud omnes certúm, eſſe liberum antecedens illi, cui eſt liberum conſequens, ſiué eſſe neceſſarium conſequens illi, cui eſt neceſſarium antecedens, ſi enim vtrumque eſt perindé neceſſarium, nullum remánet dubium, quin prædefinitio antecedens ſcientiam mediam repugnet libertati, adeòque omnis neceſsitas antecedens tollat libertatem. Qui ergo

cenſent, non pugnare cum libertate quamcunque neceſsitatem antecedentem, conſequenter opinantur, non ſequi eſſe mihi liberum antecedens, ſi eſt mihi liberum conſequens, poteſt enim conſequens eſſe mihi liberum, etiamſi antecedens non ſit mihi liberum, adeóque exiſtimant actum prædefinitum eſſe mihi liberum, etiamſi prædefinitio non ſit mihi libera.

4 Duo ſunt argumenta, quibus probant poſſe conſequens eſſe mihi liberum, & antecedens non mihi liberum. Primò poteſt aliquod antecedens eſſe mihi liberum, & tamen conſequens non eſſe mihi liberum: ergo poteſt aliquod antecedens eſſe mihi neceſſarium, etiamſi conſequens non ſit mihi neceſſarium: ergo conſequens mihi liberum non infert antecedens mihi liberum. Antecedens demonſtratur in hac conſequentia: *nunc video ſolem moueri, ergo ſol mouetur*; antecedens eſt mihi liberum, quia eſt mihi liberum videre curſum Solis, ergo, quia antecedens mihi liberum non infert conſequens mihi liberum: ergo neque antecedens mihi non liberum inferet conſequens mihi non liberum: ergo ex antecedenti mihi non libero poteſt inferri conſequens mihi liberum.

5 Secundò: etiam ſi conſequens ſit mihi liberum, & antecedens mihi non liberum, non ſequitur conſequens eſſe liberum, & antecedens non liberum, adeóque non ſequitur poſſe conſequens eſſe falſum, & antecedens verum, quia poteſt antecedens non eſſe mihi liberum, & tamen eſſe ſimpliciter liberum, quot enim ſunt, quæ mihi non ſunt libera, & tamen ſunt libera? atque adeò eſt in mea poteſtate ponere oppoſitum illius, quod eſt mihi liberum, quando illa libertas, cui eſt liberum antecedens, ponit oppoſitum antecedentis.

6 Hæc

6 Hæc argumenta nullius momenti ſunt: immò probant oppoſitum, vt conſtabit deinceps, non eſt igitur, quòd debeamus in dubium vocare veritatem huius principij, ex principijs dialecticis ſatis manifeſtam: *cuicunque eſt liberum conſequens, eſt liberum antecedens; & cuicunque eſt neceſſarium antecedens; eſt neceſſarium etiam conſequens*: ex quo principio ſequitur pugnare cum libertate omnem neceſſitatem antecedentem, adeoque prædefinitionem antecedentem ſcientiam mediam. Hanc veritatem paucis demonſtrò:

7 Primò: repugnat conſequens liberum, & antecedens neceſſarium, ergo repugnat conſeq: mihi liberum, & antecedens mihi neceſſarium, eſt enim vtriuſque par ratio. Conſequentia probatur: ideó repugnat conſequens liberum, & antecedens neceſſarium, quia repugnat conſequens falſum & antecedens verum; ſed repugnantia, vt conſequens ſit falſum, & antecedens verum eſt repugnantia, vt conſequens ſit mihi liberum & antecedens non ſit mihi liberum, ergo perinde repugnat, vt conſequens ſit mihi liberum, & antecedens non ſit mihi liberum, ac repugnat, vt conſequens ſit liberum, & antecedens non liberum. Minor probatur, quia conſequens eſſe mihi liberum eſt conſequens poſſe á me falſificari; & antecedens eſſe mihi neceſſarium eſt antecedens non poſſe á me falſificari, ſed conſequens poſſe á me falſificari, & antecedes non poſſe á me falſificari; eſt poſſe facere vt conſequens ſit falſum, & non poſſe facere vt antecedens ſit falſum, ergo repugnantia vt conſequens ſit falſum, & antecedens verum, eſt repugnantia, vt conſequens ſit mihi liberum & antecedens mihi neceſſarium.

8 Secundò: dicere conſequens eſſe mihi libe-

rum, & antecedens non eſse mihi liberum eſt ſibi contradicere, ſicuti ſibi contradicit, qui dicit eſſe liberum conſequens & antecedens neceſſarium, ergo non minús repugnat conſequens mihi liberum, & antecedens non mihi liberum, quám repugnet conſequens liberum, & antecedens non liberum. Antecedens probatur, quia dicere conſequens eſſe mihi liberum, & non poſſe á me impediri antecedens, eſt ſibi contradicere: ſed dicere conſequens eſſe mihi liberum, & antecedens non mihi liberum eſt hoc dicere; ergo eſt ſibi contradicere. Maior probatur, qui enim dicit conſequens eſſe mihi liberum; dicit eſſe in mea poteſtate ponere oppoſitum conſequentis: ergo qui hoc dicit, conſequenter dicit eſse in mea poteſtate ponere quidquid ſequitur ex oppoſito conſequentis; ſed ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis; ergo dicit eſſe in mea poteſtate ponere oppoſitum antecedentis, ergo dicit eſſe mihi liberum antecedens, ergo qui dicit conſequens mihi liberum, & antecedens non mihi liberum, ſibi contradicit.

9. Vrgeo anguſtiús: in hac conſequentia: *eſt prædefinitio, ergo eſt actus prædefinitus*, eſt mihi liberum conſequens, vt aduerſarij fatentur: eſt igitur mihi liberum ponere negationem actus prædefiniti: infero, ergo eſt mihi liberum ponere negationem prædefinitionis, adeoque eſt mihi liberum antecedens; ſicuti eſt mihi liberum conſequens: Probo vltimam conſequentiam; negatio actus prędefiniti eſt eſsentialiter connexa cum negatione prædefinitionis, vt hoc argumento demonſtro: negatio actus prædefiniti eſt oppoſitum conſequentis, quod infertur in hac conſequentia *eſt prædefinitio, ergo eſt actus prædefinitus*, ergo eſt eſsentialiter

liter connexa cum negatione prædefinitionis, quæ eſt oppoſitum antecedentis, quia oppoſitum conſequentis infert oppoſitum antecedentis: ſed mihi eſt liberum ponere negationem actus prædefiniti, alioquin iſte actus non eſſet mihi liber: ergo eſt mihi liberum ponere negationem prædefinitionis; cui enim eſt liberum ponere *A.* eſſentialiter connexum cum *B.*, eſt liberum ponere ipſum *B.*, vt patet ex terminis; neque alia eſt cauſa ob quam mihi ſit liberum impedire ſcientiam Dei de meo actu, niſi quia hæc ſcientia habet eſſentialem connexionem cum meo actu, atque adeo repugnat, vt ego poſſim directé impedire ſcientiam Dei de meo actu. Quare mihi eſt liberum facere, ne fuerit diuina prædefinitio: quod ſi hoc non eſt mihi liberum, neque illud erit mihi liberum, vnum enim ex alio ſequitur: ſibi ergo contradicit, qui dicit, poſſe á me impediri actum, quo impedito neceſſe eſt prædefinitionem non eſſe, & ſimul dicit non poſſe á me impediri prædefinitionem, adeoque eſt manifeſta contradictio huius ſententiæ, cum qua pugnamus.

10. Tertió: cui eſt liberum ponere aliquod incompoſſibile cum luce, eſt liberum facere ne lux exiſtat, vt patet ex terminis; ſed cui eſt liberum conſequens eſt liberum pónere aliquod incompoſſibile cum antecedente, ergo cui eſt liberum conſequens, eſt liberum facere: ne antecedens exiſtat: ſed illi eſt liberum antecedens, cui eſt liberum facere, ne antecedens exiſtat, ergo cui eſt liberum conſequens, eſt etiam liberum antecedens. Minor probatur: cui eſt liberum conſequens, eſt liberum ponere oppoſitum conſequentis, ſed oppoſitum conſequentis eſt incompoſſibile cum antecedente, quia óppoſitum conſequentis infert

oppoſitum antecedentis, id quod ſinè dubio eſt in-compoſſibile cum antecedente, ergo cui eſt liberum conſequens, eſt pariter liberum antecedens.

11. Hæc argumenta, vt arbitor, ſunt demonſtratiua, & oſtendunt conſequentiam neceſſariam conſequentis mihi liberi ex antecedente mihi libero; ſicuti enim id, quod ſequitur ex antecedente ſimpliciter neceſſariò eſt ſimpliciter neceſsarium neceſſitate conſequentiæ, & conſequentis; ita quod ſequitur ex entecedente mihi neceſſariò, eſt mihi neceſſarium neceſſitate conſequentiæ ſimul & conſequentis: illud igitur conſequens, quod eſt mihi liberum, ſequitur neceſſariò ex antecedente mihi libero, adeoque repugnat, vt antecedens ex quo ſequitur conſequens mihi liberum, non inuoluat aliquam hypotheticam mihi liberam; quo tandem fit, vt ex illa prædefinitione, quæ non inuoluit hypotheticam mihi liberam, non poſſit ſequi aliquod mihi liberum.

12. Ad primùm argumentum aduerſariorum: conc: antec: & nego conſ: diſparitas patet inter antecedens mihi liberum, quod nō infert conſequens mihi liberum, & antecedens mihi neceſſarium, quod infert conſequens mihi neceſſarium, quia antecedens liberum ſiuè contingens non infert conſequens ſimiliter liberum & contingens, vt demonſtraui: antecedens autem neceſſarium infert neceſſariò conſequens neceſſarium, aliter poſſet eſſe falſum conſequens & verum antecedens: poterit igitur antecedens eſſe mihi liberum quin conſequens ſit mihi liberum, quia ex libero poteſt ſequi non liberum, ſicuti ex contingente poteſt ſequi non contingens. At non poteſt antecedens eſſe mihi neceſsarium & conſequens mihi liberum, quia ex neceſsariò non ſequitur niſi neceſsarium,

rium, non enim poteſt antecedens eſse neceſsarium, & conſequens non neceſsarium. Hinc videre curſum ſolis eſt mihi liberum, curſus autem ſolis, qui ſequitur neceſsarió huiuſmodi viſionem non eſt mihi liber; quia veró ſolem currere non eſt mihi liberum, & videre ſolem currentem eſt mihi liberum, ideó ex curſu ſolis non ſequitur viſio ſolis currentis, hæc enim conſequentia *ſol currit, ergo video ſolem currere*, nulla eſt, vt patet; quia poteſt antecedens eſse verum, & conſequens falſum: hoc igitur argumentum, quod proponit arguens in rem ſuam, manifeſté retorquetur:

13 At, inquies, antecedens poſſibile infert neceſsarió conſequens poſſibile, & tamen antecedens mihi poſsibile non infert conſequens mihi poſſibile, quia ſolem currere eſt conſequens, quod non eſt mihi poſſibile: cur igitur non poterit antecedens mihi neceſsarium inferre conſequens mihi non neceſsarium, etiam ſi antecedens neceſſarium inferat conſequens neceſſarium? dico eſse ambiguam ſignificationem huius vocis *poſſibile* in qua vim facit argumentum: aliquando enim idem ſonat ac contingens ſiue liberum, aliquando idem ſonat ac non repugnans, ſiue, oppoſitum impoſſibili: ſi poſſibile accipiatur quatenús opponitur impoſſibili, ſicuti ex antecedente poſſibili infertur conſequens poſſibile, itá ex antecedente mihi poſſibili infertur conſequens mihi poſsibile: quemadmodum, ergo valet hæc conſeq; *videre curſum ſolis eſt poſſibile, ergo ſolem currere eſt poſſibile itá valet hac conſequentia: videre curſum ſolis eſt mihi poſſibile, ergo ſolem currere eſt mihi poſſibile*: mihi enim non repugnat curſus ſolis, ſicuti mihi non repugnat viſio curſus ſolis. Non propterea ſequitur eſſe in mea poteſtate curſum ſolis,

ſicuti eſt in mea poteſtate videre curſum ſolis, quia ex antecedente mihi poſſibili, quatenús poſſibile opponitur impoſſibili, infertur conſequens mihi poſſibile eodem poſſibilitatis genere, & ex antecedente mihi poſſibili, quatenús poſſibile conuertitur cum libero vel contingenti, non infertur conſequens mihi poſsibile hoc genere poſſibilitatis: cur hoc? quia nimirùm antecedens poſſibile quatenús poſsibile conuertitur cum libero vel contingenti, non infert conſequens poſſibile hoc genere poſsibilitatis, licet antecedens poſſibile, quatenús poſſibile opponitur impoſſibili, inferat conſequens ſimiliter poſſibile.

14. Ad ſecundùm: vel ſequitur poſſe conſequens eſſe falſum & antecedens verum, vel ſequitur eſſe liberum antecedens, cui eſt liberum conſequens: adeoque hypotheſis conſequentis mihi liberi ex antecedente non mihi libero infert aliam hypotheſim conſequentis falſi ex antecedente veró. Veritas huius diſiuncti eſt manifeſta, quia in ea hypotheſi, in qua ego ponerem oppoſitum conſequentis mihi liberi, quæ hypotheſis vtique eſt poſsibilis, vel eſset verum antecedens, vel non eſſet verum: ſi eſset verum, ergo eſt hypotheſis in qua eſt verum antecedens, & falſum conſequens, ſi non eſſet verum; ergo eſt in mea poteſtate facecere, vt antecedens ſit falſum, ergo antecedens eſt mihi liberum: ergo eſt verum hoc diſiunctum: *vel antecedens poteſt eſſe verum & conſequens falſum, vel antecedens eſt liberum cui eſt liberum conſequens*. Hinc colliges ab illa libertate, cui eſt liberum antecedens, nihil poſſe decerni circá ipſum antecedens, niſi habeat ſcientiam conditionatam illius, quod faceret alia libertas, cui eſt liberum conſequens: vnde patet argumentum potiús retorqueri.

DI-

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De modo quo cauſa prima ponit ſuam omnipotentiam in manu liberi arbitrij.

HVc vſque egimus de modo, quo Deus efficaciter vult actum bonũ mihi liberum, & permittit actum malum mihi liberum: hæc voluntas, qua Deus vult efficaciter actum bonum non poteſt coniungi cum actu malo, ſicuti voluntas permittens actum malum non poteſt coniungi cum actu bono, agendum reſtat quomodo Deus ponat in manu liberi arbitrij omnipotentiam ſuam, & quid velit Deus, quando vult omnipotentiam ſuam ſubiectam libertati noſtræ.

QVAESTIO I.

Vtrum omnipotentia Dei ponatur in manu liberi arbitrij per aliquid intrinſecum libero arbitrio.

1. PRo intelligentia huius controuerſiæ notandum eſt eam voluntatem, qua Deus vult efficaciter opus bonum mihi liberum, nihil aliud velle, quam illum actum primum indifferentem, quem nouit per ſcientiam mediam coniungen-

gendam cum opere bono potiùs, quam cum malo: hæc ſcientia antecedit voluntatem efficacem Dei de opere bo no mihi libero, vt demonſtraui; indé eſt, quod hæc ſcientia, per quam Deus nouit actum meum liberum conditionatè, futurum, debet videre ex parte conditionis, quidquid conſtituit actum primum indifferentem, quoniam veró actus primus indifferens eſt cauſa actus liberi in omni genere adæquata, & cauſa in omni genere adæquata eſt cauſa ſecunda ſimul cum cauſa primá, ideó actus primus indifferens includit cauſam primam paratam concurrere ad illum actum, quem determinat cauſa ſecunda. Ratio patet, quia non intellecta cauſa prima parata concurrere ad meum actum, non intelligor indifferens ad operandum, indifferentia enim ad operandum eſt formaliſſimé potentia operandi, nulla autem eſt potentia operandi, quando cauſa prima non eſt parata concurrere, quia repugnat aliquid fieri ſine concurſu cauſæ primæ, neceſſe igitur eſt intelligere cauſam primam paratam concurrere ad meum actum, vt ego habeam actum primum indifferentem ad operandum, quare ſicuti actum primum illuminandi conſtituit diuina omnipotentia parata concurrere cum Sole ad actum illuminationis, itá actum primum operis boni conſtituit omnipotentia diuina parata concurrere cum voluntate humana ad actum bonum.

2 Hæc omnipotentia ex ſe eſt indifferens, vt conſtituat actum primum adæquatum actus liberi, quia poteſt coniungi cum actu primó adæquato actus liberi & eiuſdem negatione. Ratio a priori eſt, quia omnipotentia diuina eſt ens neceſſarium, & actus primus adæquatus mei actus liberi eſt aliquod contingens, vt patet ex terminis; ens au-

autem neceſſarium eſt indifferens vt exiſtat cum ente contingente, vel cum eius negatione: diuina igitur omnipotentia eſt de ſe indifferens vt conſtituat, vel non conſtituat actum primum adæquatum mei actus liberi, adeoque eſt indifferens, vt ponatur, vel non ponatur in manu liberi arbitrij.

3 Quibus poſitis tanquam certis & apud omnes indubitatis, eſt controuerſum, quid tandem illud ſit, per quod omnipotentia determinatur, vt ſit potiùs, quam non ſit in manu liberi arbitrij, adeoque, quod eodem reuoluitur, vt conſtituat actum primum adæquatum libertatis noſtræ. In hac re, quia non caret difficultate explicare, quid velit Deus, quandò vult omnipotentiam ſuam noſtræ libertati ſubiectam, ideó ſcholaſtici de hac re diſputantes in varias abijcere opiniones, quas neceſſe eſt ſigillatim referre, vt cognoſcatur earum veritas.

4 Prima ſententia in præſenti examinanda docet omnipotentiã Dei poni formaliter in manu liberi arbitrij per aliquam qualitatem intrinſecam humanæ libertati; iuxta hanc ſententiam datur in voluntate humana aliqua qualitas, quæ eſt formalis poſitio diuinæ omnipotentiæ in manu liberi arbitrij, & cum eo conſtituit cauſam adæquatam in omni genere actus liberi.

5. Argumenta huius ſententiæ ſunt primò: quia omnipotentiã Dei eſſe in manu liberi arbitrij eſt formaliſſimè potentiam liberam eſſe proximè expeditam ad operandum liberè: ſed potentia eſt proximè expedita ad operandum liberè per aliquid intrinſecum ſibi, ergo omnipotentia Dei eſt in manu liberi arbitrij, per aliquid intrinſecum libero arbitrio. Minor probatur, alioquin potentia libera ſpectatis his rebus, quæ ſunt illi intrinſe-

cæ,

cæ, non eſſet libera, quia non haberet virtutem adæquatam operandi.

6. Secundò: quicunque peccat experitur ſe eſſe obligatum ad non peccandum, alioquin non peccaret, ergo experitur potentiam proximam non peccandi, ſine qua non poteſt obligari ad non peccandum: ſed potentia proxima non peccandi conſtituitur per illud, per quod omnipotentia Dei eſt in manu liberi arbitrij, ergo quicunque peccat, experitur illud per quo omnipotentia Dei eſt poſita in manu ſuæ libertatis: ſed non experitur decretum Dei, quod non cadit ſub experientiam; ergo debet experiri qualitatem ſibi intrinſecam, ergo &c.

7 Tertiò: Deus non poteſt ponere ſuam omnipotentiam in manu liberi arbitrij, niſi per aliquam formam intrinſecam libero arbitrio, ſed Deus non poteſt immediaté concurrere ad actum liberum, niſi ponat omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, ergo non poteſt immediaté concurrere ad actum liberum, niſi per aliquam formam intrinſecam libero arbitrio.

8. Hæc ſententia mihi probari non poteſt, eſt enim ex pluribus capitibus falſa, vt in præſenti demonſtro. Primó ex conceptu cauſæ primæ ſic: per illud ipſum omnipotentia Dei ponitur in manu liberi arbitrij, per quod cauſa prima immediaté concurrit ad actum liberum, ſed cauſa prima non concurrit immediaté ad actum liberum per qualitatem intrinſecam libero arbitrio, ergo omnipotentia Dei non ponitur formaliter in manu liberi arbitrij per qualitatem intrinſecam libero arbitrio. Minor probatur, quia nihil agit cauſa prima, quæ eſt primus intellectus, quod non agat per intellectum, & voluntatem; ſubſtantia enim, quæ eſt

eſt puriſſimus actus intelligendi non poteſt agere niſi per intellectum, & voluntatem vt oſtendit S. Thomas,& cum eo omnes Theologi:nil autem intrinſecũ libertati humanæ eſt intellectus,& voluntas primæ cauſæ, vt patet: nihil igitur intrinſecum libero arbitrio eſt id, per quod cauſa prima immediaté concurrit ad ad actus liberos voluntatis humanæ.

9. Demonſtratur ſecundó ex capite cauſæ ſecundę. Nulla cauſa ſecunda eſt cauſa adæquata in omni genere, vt oſtenſum eſt in quæſt. prima diſputat. 12. ergo omnipotentia diuina non eſt in manu libri arbitrij per qualitatem intrinſecam libero arbitriò. Conſequentia probatur, quia ſi diuina omnipotentia eſt in manu liberi arbitrij per qualitatem intrinſecam libero arbitrio, liberum arbitrium ſimul cum iſta qualitate eſt cauſa actus liberi in omni genere adęquata: ſed liberum arbitrium vna cum iſta qualitate eſt cauſa ſecunda, quia vtrunque eſt aliquid creatum, ergo cauſa ſecunda eſt cauſa in omni genere adæquata, ſi omnipotentia Dei eſt in manu liberi arbitrij per qualitatem eidem intrinſecam: ſed repugnat cauſa ſecũda in omni genere adæquata, ergo &c. Confirmatur quia nihil creatum poteſt eſſe cauſa in omni genere adæquata, ſed complexum ex cauſa libera & huiuſmodi qualitate eſt aliquid creatum, ergo non poteſt eſſe cauſa actus liberi in omni genere adæquata: ſed complexum ex cauſa libera & omninipotentia diuina poſita in manu liberi arbitrij eſt cauſa actus liberi in omni genere adęquata, ergo hoc complexum non poteſt eſſe complexum ex cauſa libera, & qualitate eidem intrinſeca, ergo omnipotentia Dei non eſt in manu liberi arbitrij per aliquam qualitatem intrinſecam libero arbitrio.

trio. Hinc eſt eam ſententiam quam hic oppugnamus aperté pugnare cum ſententia quæ ponit neceſſitatem concurſus cauſæ primæ ad omnes effectus cauſæ ſecundæ.

10 Demonſtratur 3. hoc argumento ad hominem: per illud conſtituitur cauſa libera potens agere & non agere, per quod conſtituitur cauſa neceſſaria potens agere: ſed huiuſmodi cauſa conſtituitur potens agere per diuinam omnipotentiam paratam cum ipſa agere ſecluſa omni qualitate eidē intrinſeca, ergo cauſa libera conſtuitur potens agere per diuinam omnipotentiam paratam cum ipſa agere ſecluſa omni qualitate eidem intrinſeca. Ma. patet, quia non minus eſt cauſa inadæquata in omni genere cauſa libera, quã cauſa neſſaria, ſi ergo hæc tranſit de inadæquata in adæquatam hoc ipſo quod coniungitur cum omnipotentia Dei ſibi extrinſeca, cauſa etiam libera poterit tranſire de inadæquata in adæquatam ſine vlla qualitate ſibi intrinſeca. Minor continet ſententiam quam oppugnamus, hæc enim docet cauſam ſecundam neceſſariam conſtitui in actu primo proximo potentem operari per omnipotentiam Dei ſecum paratam concurrere ſine vlla qualitate ſibi intrinſeca. Confirmatur, quia cauſa libera vel indiget qualitate ſibi intrinſeca quatenus cauſa eſt, vel quatenus libera eſt: non quatenús cauſa eſt, alioquin omnis cauſa indigeret, & conſequenter cauſa neceſſaria, quod tamen eſt falſum: neque indiget quatenús cauſa libera, quia cauſa libera nihil aliud addit ſupra rationem cauſæ, niſi poſſe non agere, ergo poteſt conſtitui potens agere ſine vlla qualitate ſibi intrinſecá.

11 Ad primum conc: ma: ne: mi: cauſa libera ſecundúm omne id quod eſt intrinſecum cauſæ li-

beræ non eſt cauſa in omni genere adequáta, quia eſt cauſa adæquata in genere cauſæ ſecundæ adeoque ſimpliciter inadæquata: cauſa autem, quæ non eſt in omni genere adæquata, non debet habere virtutem effectus in omni genere adæquatam; cauſa igitur libera non debet habere in ſe intrinſecè virtutem in omni genere adæquatam ſui effectus: quare ex ipſo conceptu cauſæ liberæ infertur oppoſitum: ratio eſt; quia ex conceptu cauſæ liberæ ſequitur cauſam liberam eſſe liberam in genere cauſæ ſecundę, hoc eſt, in genere cauſæ quæ non eſt adæquata in omni genere: ſed cauſa, quæ non eſt in omni genere adæquata non debet habere in ſe intrinſecè virtutem effectus in omni genere adæquatam: ergò cauſa libera quatenùs libera non debet habere in ſe intrinſecè id per quod omnipotentia Dei ponitur in manu liberi arbitrij.

12 Ad 2. conc. antecedens & diſtinguo conſequens; ergo experitur potentiam proximam non peccandi adæquatam in omni genere: nego conſequentiam: adæquatam in ſuo genere, hoc eſt, in genere cauſæ ſecundę conc. conſequentiam; vt aliquis experiatur ſe obligari ad non peccandum; ſatis eſt vt experiatur ſe habere quidquid requiritur in genere cauſæ ſecundæ ad peccatum vitandum, quia nemo poteſt dubitare de illo concurſu generali quo Deus concurrit cum omnibus cauſis ſecundis ad ſingulos earum effectus: quare illa experientia, cui multum confidit arguens, de potentia non peccandi, non probat vllam qualitatem intrinſecam voluntati per quam diuina omnipotentia ponatur in manu liberi arbitrij. Præterquã quod nemo experitur in ſe huiuſmodi qualitatem, quam arguens contendit eſſe in noſtra voluntate;

vil-

vide patet argumentum ductum ab experientia in hac re eſſe valde infirmum. Addo, quód ipſe arguens tenetur ſoluere argumentum quo nos vrgent, quia cauſa neceſſaria vtique experitur eſſe in ſua poteſtate facere id quod facit, & tamen non habet in ſe vllam qualitatem intrinſecam per quam Deus concurrit cum ipſa ad eius effectum: quando enim aſſentior huic veritati: *idem non poteſt eſſe ſimul & non eſſe*, experior me habére potentiam aſſentiendi huic veritati, & tamen non habeo in me intrinſece potentiam adæquatam in omni genere reſpectu huius aſſenſus, cur igitur non poteró in me experiri potentiam non peccandi, etiam ſi non habeam in me potentiam in omni genere adæquatam?

23 Ad 3. nego antecedens, quia Deus ponit in manu liberi arbitrij ſuam omnipotentiam per illud idem, per quod immediaté concurrit ad actũ meum liberum, ſed poteſt optimè explicari concurſus immediatus Dei ad actum meum liberum ſine vlla qualitate mihi itrinſeca, vt dicam in quæſt vltima, non eſt igitur neceſſe ponere qualitatem intrinſecam libero arbitrio ad explicandam omnipotentiam Dei poſitam in manu libri arbitrij.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

QVÆ-

QVAESTIO II.

Vtrum omnipotentia diuina ponatur formaliter in manu liberi arbitrij per actum voluntatis diuinæ, qui non eſt alicuius rei volitio.

1\. Altera ſententia docet modum, quo diuina omnipotentia ponitur formaliter in manu libri arbitrij conſiſtere in quodam actu diuinæ voluntatis, qui eſt ipſa formalis poſitio omnipotentiæ in manu liberi arbitrij, omnipotentia enim, quæ eſt indifferens, vt ſit vel nō ſit, in manu liberi arbitrij, determinatur per actum voluntatis diuinæ liberum Deo, vt ſit potius quám non ſit in manu liberi arbitrij, adeoque vt poſſit liberum arbitrium determinare omnipotentiam Dei vt concurrat ad vnum actum magis, quám ad alium.

2\. Ad explicandam naturam huiuſmodi actus per quam Deus ponit omnipotentiam ſuā in manu liberi arbitrij, diſtinguit hæc ſententia in diuina voluntate duplicem actum, vtrumque Deo liberum, vnum qui eſt volitio, alium qui non eſt volitio: quia veró volitio debet eſſe alicuius rei volitio, ideo ille actus, qui eſt volitio, aliquid vult á ſe diſtinctum; repugnat enim volitio, quæ nihil velit, niſi ſe ipſam, ſicuti repugnat cognitio quæ nihil cognoſcat niſi ſeipſam: é contrario ille actus, qui non eſt volitio, nihil debet velle á ſe diſtinctum, quia licet ſit actus voluntatis, non eſt actus, qui aliquid velit, alioquin eſſet volitio, quid ergo eſt huiuſ-

modi actus, qui eſt actus voluntatis, & non eſt volitio? hoc vlterius non explicat hæc ſententia, & meritó, eſt enim inexplicabile, vnde poteſt argui quam parum cohæreat cum vero ex hoc capite iſta ſententia quo ſit, vt iuxta hanc opinionem neceſſe ſit in Deo, qui concurrit immediatè ad actus liberos, diſtinguere duplicem actum, vtrunque ſpectantem ad diuinam voluntatem, vnum qui eſt volitio, alium qui non eſt volitio: obiectum illius actus, qui eſt volitio, eſt alius actus qui non eſt volitio, ſicuti obiectum actus reflexi eſt actus directus. Quod ſiqueras obiectum illius actus qui non eſt volitio ineptè quæris, ſupponis enim falſũ, quia natura talis actus eſt carere omni obiecto. Deus igitur vult immediaté concurrere ad actũm meũ liberum, quia vult omnipotentiam ſuam ſubiectam meæ libertati, volendo illum actum ſuæ libertatis qui eſt ipſa formalis exhibitio omnipotentiæ diuinæ.

3. Duo ſunt argumenta, quæ hanc ſententiã poſſunt ſuadere: primum negatiuum, quia id per quod omnipotentia Dei eſt in manu liberi arbitrij non eſt aliquid intrinſecum libero arbitrio, vt oſtenſum fuit in queſt prima, ergo debet eſſe aliquid intrinſecum Deo: ſed hoc explicari non poteſt, niſi ſit actus diuinæ voluntatis, qui non eſt volitio alicuius rei, ſed eſt ipſa formalis exhibitio diuinæ omnipotentiæ, ergo &c.

4. Alterum argumentum eſt poſitiuum, quiá non repugnat actus voluntatis, qui non eſt volitio, ergo poteſt eſſe actus diuinæ voluntatis, etiamſi non ſit volitio Dei id per quod eius omnipotentia eſt in manu liberi arbitrij. Antecedens probatur, tum quia in genere facultatis inteligẽtis eſt aliquis actus qui non eſt intellectio, vt patet in verbo men-

tis,

tis, quod iuxta ſententiam Tomiſticam non eſt cognitio, ergo in genere facultatis appetentis poteſt eſſe aliquis actus, qui non ſit volutio: tum quia actus quo Pater æternus generat ſuumFilium, eſt actus intellectus & non eſt intellectio, & ille actus quo Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum, eſt actus voluntatis qui non eſt volitio, ergo &c.

5. Hanc ſetentiam iudico falſam, & ex nullo capite probabilem non minùs quàm antecedentem, primò quia repugnat in terminis actus voluntatis qui non eſt volitio, ſicuti repugnat actus potentiæ viſiuæ qui non eſt viſio, & auditiuæ qui non eſt auditio. Ratio a priori huius repugnantiæ eſt quia actus volũtatis eſt formaliſſime exercitium facultatis appetẽtis, ergo repugnat intelligere exercitium facultatis & non intelligere appetitionem, ſiue volitionem alicuius rei, eſt enim idem formaliſſime exercitium facultatis appetentis, & hanc facultatem appetere ſicuti eſt idem formaliſſime facultatem ſentientem ſe exercere, & eam ſentire, ergo repugnat in terminis vt voluntas ſe exerceat & nihil, velit ergo repugnat intelligere actũ voluntatis, & nihil intelligere, per quod volũtas aliquid velit: ergo non ſatis explicatur omnipotentiã Dei poni in manu liberi arbitrij per actum diuinæ voluntatis qui non eſt volitio alicuius obiecti. Addo quód huiuſmodi actus, per quẽ omnipotentia Dei ponitur formaliter in manu liberi arbitrij, eſt ſine dubio liber Deo libertate formali & immediata: actus autem Deo liber immediata & formali libertate eſt volitio alicuius obiecti, quia libertas formalis & immediata non eſt niſi in actu qui eſt volitio & electio alicuius obiecti, ergo &c.

6. Secundum caput, ex quo exiſtimo hanc ſen-

tentiam reijciendam,eſt,quia nihil extrá ſe Deus operatur, quod non operetur per actualem intellectionem & actualem volitionem, quidquid enim Deus operatur extrá ſe, operatur per intellectum & voluntatem,adeoque per actualem intellectionem, & actualem volitionem, quia facultas intelligendi,& volendi in Deo eſt actus puriſſimus intelligendi & volendi: illud igitur per quod Deus immediate concurrit ad actus liberos, non eſt aliquid, quod non ſit intellectio diuina: ſed id per quod Deus ponit omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij eſt id, per quod immediaté concurrit ad actus liberos, ergo id,per quod ponit omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, non eſt aliquid, quod non eſt volitio: ergo actus diuinæ voluntatis qui non eſt volitio, non eſt illa forma qua Deus ponit in manu libri arbitrij ſuam omnipotentiam, ergo ex nullo capite eſt probabilis ſententia quæ docet omnipotentiam Dei poni formaliter in manu liberi arbitrij per actum diuinæ voluntatis, qui non eſt volitio.

7. Ad primum: non eſt neceſſe ponere actum diuinæ voluntatis, qui non eſt volitio ad explicandum modum quo Deus ponit omnipotentiam ſuã in manu liberi arbitrij, quia licet non ſit intrinſecum libero arbitrio id,quo Deus concurrit immediaté ad actum liberum, poteſt eſſe aliquid intrinſecum Deo, & indiſtinctum á diuino decreto, vt oſtendam in quæſt. ſequenti; optimé enim intelligitur quando Deus ponit omnipotentiam ſuam in libero arbitrio etiam ſi non ſit in Deo actus voluntatis, qui non eſt volitio,

8. Ad 2. manifeſté repugnát actus voluntatis, qui non eſt volitio, vt patet ex diſcurſu facto, quia potentia intentionalis non poteſt ſe exercere niſi oc-

occupetur circa aliquod obiectum. Exemplum deſumptum ex facultate intelligente probat oppoſitum, quia repugnat actus intellectus qui non eſt cognitio: verbum autem mentis eſt formaliſſimé cognitio producta ab intellectu, vt dictum in lib. de anima, neque illa ſententia quam de verbo mentis defendunt Tomiſtæ, habet apud me aliquam ſpeciem veritatis. Ille actus intellectus, quo Pater diuinus generat ſuum Filium eſt intellectio notionalis, ſicuti ille actus quo Pater cum Filio ſpirat Spiritum Sanctum, eſt amor notionalis, eſt enim in Deo duplex amor, & duplex cognitio; vna eſſentialis communis toti Trinitati, propria illius perſonæ alia nationalisquæ generat Verbum.

QVAESTIO III.

Vtrum omnipotentia Dei ponatur in manu liberi arbitrij per Decretum indifferens, & ex parte obiecti diſiunctiuum.

1. TErtia, & vltima ſententia de qua debeo ferre iudicium ait omnipotentiā Dei quę eſt indifferens vt ſit in manu liberi arbitrij, determinari formaliter vt ſit potius quam non ſit in manu liberi arbitrij per decretum liberum Dei, quod Decretum eſt voluntas libera Deo, per quam Deus vult indifferenter vnum actum vel alium, & neutrum determinatè vult. Quare inter iſtam ſententiam, & ſecundam á nobis oppugnatam in quæſt: præterita conuenit quòd omnipotentia eſt formaliter in manu liberi arbitrij per actum diuinæ volūtatis Deo liberū: vna tamen ab alia diſcrepat, quòd vna aſſerit, altera negat huiuſmodi actum diuinæ

voluntatis eſſe volitionem liberam Deo, ea enim quæ aſſerit eſſe volitionem liberam Dei, conſequenter docet decretum liberum Dei eſſe formalem determinationem omnipotentiæ diuinæ, vt ſit potiùs quam non ſit in manu liberi arbirij, adeoque eſſe illam formam per quam omnipotentia diuina denominatur poſita in manu liberi arbitrij. Iuxtá hanc ſententiam, quæ eſt vero ſimillima, optime explicatur, quare liberum arbitrium poſſit determinare omnipotentiam Dei, vt concurrat ad actũ bonum magis quam ad malum, vel è contrario ad actum malum potius quam ad bonum, quare Deus cum libere vult ponere ſuam omnipotẽtiam in manu liberi arbitrij, conſequenter vult eſſe in poteſtate liberi arbitrij determinare omnipotentiã diuinãm, vt concurrat potius ad vnum quám ad alium actum.

2. Hanc ſententiam ego exiſtimo veram, & omnino amplectendam dum ſermo eſt de modo quo Deus ponit ſuam omnipotentiam in manu liberi arbitrij, quia eſt mihi indubitatum cauſam primam influere in omnem effectum per cognitionem illius quod efficit, Deus enim omnia operatur per intellectum & voluntatem, qui operandi modus eſt perfectiſſimus, adeoque congruentiſſimus cauſæ perfectiſſimæ, quæ eſt cauſa prima: & quia nihil extra ſe operatur Deus, quod non operetur libere, vt oſtendam in Diſputatione ſequenti, ideo quidquid Deus operatur extra ſe, operatur per actum voluntatis ſibi liberum. Quoniam vero idem eſt actus voluntatis liber Deo, & decretum liberum Dei, ideo decretum liberum Dei eſt illa forma per quam Deus ponit in manu liberi arbitrij omnipotentiam ſuam, adeoque diuina omnipotentia determinatur vt ſi in manu liberi arbitrij per

de-

decretum liberum Dei, quo formaliter intellecto intelligitur actus primus adæquatus humanæ libertatis, ſiue cauſa in omni genere adæquata actus liberi, eo ferme pacto, quo intellecto decreto libero Dei volentis concurrere cum ſole ad aerem illuminandum, intelligitur totus actus primus lucis, ſiue cauſa lucis in omni genere adæquata. Huiuſmodi decretum liberum Dei non eſt quodlibet decretum, eſt enim decretum indifferens circa actum bonum & actum malum humanæ libertatis, adeoque eſt diuerſum ab illo decreto libero Dei, quod eſt decretum prædefinitiuum actus boni, de quo diſputatum fuit in Diſputatione præterita.

3. Hec ſententia non ſolùm eſt vera, ſed etiam eſt ſatis opportuna ad intelligendũ quomodo Deus qui determinatur a libero arbitrio ad vnum actum potiùs quàm ad alium, det eidem libero arbitrio virtutem determinandi ſuam omnipotentiam, quia nimirùm Deus liberé ponit ſuam omnipotentiam in manu noſtræ libertatis, decernit enim libere ſe velle concurrere ad illum actum, ad quem libertas humana ſe determinabit. Non eſt adeo facile explicare naturam huius decreti indifferentis quod conſtituit actum primum, ſiue, cauſam in omni genere adæquatam actus liberi, ſunt enim plurimæ difficultates in explicãdo obiecto huius decreti indifferentis, vt patet ex argumẽtis, quibus aduerſarij opinantur repugnare hoc decretum indifferens.

4. Arguunt primò: decretum indifferens nihil vult niſi ſe ipſum: decretum, quod nihil vult niſi ſe ipſum eſt chimæricum, ergo &c. Ma. probatur, quia hoc decretum vult omnipotentiam poſitam in manu liberi arbitrij, ſed omnipotentia ponitur

in manu liberi arbitrij formaliter per hoc decretũ, ſiue per voluntatem indifferentem, ergo hoc decretum nihil aliud vult. quàm ipſum decretum.

5. Secundò: hoc decretum non poteſt ſignatè velle actum bonum in eâ hypotheſi in qua non erit actus malus, ſicuti non poteſt velle ſignatè actum malum in eà hypotheſi in qua nõ erit actus bonus, ergo ſignatè & exercitè nil aliud vult, quã omnipotentiam poſitam in manu liberi arbitrij. Antecedens probatur, quia velle actum bonum ſi non erit actus malus, eſt formaliſſimè velle concurrere ad actum bonum, ſi concurram ad actum bonum, cum actus bonus non poſſit exiſtere, quin Deus concurrat ad actum bonum, ergo idem eſt dicere: volo concurrere ad actum bonum ſi erit actus bonus, ac volo concurrere ad actum bonum, ſi concurram ad actum bonum, quæ voluntas eſt omnino nugatoria, ergo &c.

5. Tertiò: voluntas indifferens non poteſt diſiunctiuè velle actum bonum vel actum malum, ergo huiuſmodi voluntas in Deo non datur. Antecedens probatur, quia velle diſiunctiuè actum bonum vel malum, actum amoris vel non amoris, eſt velle aliquid neceſſarium, quia neceſſe eſt voluntatem amare vel non amare, ſed velle diſiunctiuè actum amoris eſt velle actum amoris vel non amoris, ergo velle diſiunctiuè actum amoris eſt velle aliquod neceſſarium: ſed voluntas, per quã Deus ponit ſuam omnipotentiam in manu liberi arbitrij non eſt voluntas, quæ vult aliquid neceſſarium, ergo &c.

6 Quartò: Velle diſiunctiuè amorem & non amorem eſt perindè velle amorem & non amorem: ſed repugnat, vt Deus perindè velit amorem & non amorem, Deus enim perindè non vult actum bonum

num & malum, ergo Deus non vult diſiunctiuè amorem & nôn amorem. Maior patet, quia velle diſiunctiuè amorem & non amorem eſt eodem modo affici ad actum amoris ac ad actum non amoris: repugnat enim vt magis afficiatur ad vnū quàm ad aliud, qui vtrumque vult diſiunctiuè; ergò, &c.

7 Quintò: Si Deus vult diſiunctiuè amorem & non amorem, actum bonum & actum malum, perindè ſatisfacit Deo qui exercet actum bonum, ac qui exercet actum malum, Deus enim alterutrum vult, nec magis inclinatur ad vnum, quàm ad alium: conſequens autem eſt euidenter falſum, qui enim eligit actum malum potiùs quàm bonum, incurrit in diuinam offenſionem, in quam non incurrit, qui eligit actum bonum. Confirmatur, quia Deus non concurrit ad actum bonum perindè vt ad actum malum, ergo non vult actum bonum perindè vt malum, ergo non vult diſiunctiuè vtrumque actum.

8 Sextò: Deus determinatè vult id, ad quod immediatè concurrit, ſed immediatè concurrit ad actum amoris quando Petrus amat, & immediatè concurrit ad actum odij, quando Iudas exercet odium, ergo vult determinatè actum amoris, ergo non vult actum amoris voluntate indifferenti Confirmatur, quia prædefinitio ipſius amoris pugnat cum decreto indifferenti, quia prædefinitiò eſt voluntas quæ determinatè vult amorem, & voluntas indifferens vult diſiunctiuè amorem & non amorem. Addò explicari non poſſe ipſam prædefinitionem, ſi omnipotentia Dei ponitur in manu liberi arbitri per voluntatem indifferentem, alloquin Deus cum prædefinit actum amoris, haberet voluntatem qua vult concurrere ad actum amoris vel non

amo-

amoris, quod repugnat.

9 Vltimò: Deus quando non vult omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, vult actum bonum potiùs quàm malum, finis enim qui mouet Deum ad ponendam omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, eſt actus bonus, ergo Deus non ponit ſuam omnipotentiam in manu liberi arbitrij per voluntatem indifferentem.

10 Hæc argumenta licet habeant aliquam ſpeciem veri, nihil tamen concludunt, vt mox oſtendam, adeoque non debent nos remouere ab hac ſententia, quæ ait omnipotentiam Dei poni in manu liberi arbitrij per voluntatem indifferentem Deo liberam. Hanc voluntatem cenſeo eſſe decretum liberum Dei ex parte obiecti diſiunctiuum, huiuſmodi enim decreto Deus vult actum amoris mihi liberum, vel actum non amoris mihi pariter liberum, adeoque vult eſſe in poteſtate mea determinare Deum ad amorem potiùs quàm non amorem mihi liberum. Ratio cur Deus concurrit ad actum liberum per decretum, quo vult actum bonū mihi liberum vel actum oppoſitum mihi pariter liberum, eſt, quia concurſus Dei ad actum liberum eſt ſimilis concurſui eiuſdem ad actum neceſſarium, nimirùm ad lucem qua Sol illuminat aerem: ſed Deus immediatè concurrit cum Sole ad illuminandum aerem per decretum determinatum, quo determinatè vult iſtum effectum, ergo Deus immediatè concurrit cum mea voluntate ad actum amoris mihi liberum per decretum indifferens quo vult diſiunctiuè actum amoris vel non actum amoris mihi liberum. Hinc eſt, quòd ſicuti nemo dubitat an Deus conſtituat cauſam adęquatam in omni genere actus neceſſarij per decretum determinatum ad vnum, ità non poteſt, quantum ego arbitror,

tror, eſſe dubium, an Deus conſtituat actum primum amoris liberi, ſiue cauſam amoris adæquatam in omni genere per decretum indifferens, quo diſiunctiue vult actum amoris vel actum oppoſitum. Quia veró hæc voluntas indifferens non debet eodem modo verſari circa actum bonum, ac circa malum, ideo cenſeo hanc voluntatem eſſe ſimplicem complacentiam actus boni,& ſimplicem diſplicentiam actus mali: ſimplex autem complacentia actus boni eſt amor inefficax actus boni, & ſimplex diſplicentia actus mali eſt odium inefficax actus mali, ideo Deus hac voluntate indifferenti amat actum bonum amore inefficaci & odit actum malum odio inefficaci: hic enim modus immediatè concurrendi ad actum bonum & actum malum humanæ libertatis, eſt modus qui ſummé decet infinitam Dei bonitatem, quia ex vna parte vult humanam voluntatem eſſe liberam, ex alia parte nihil afficitur ad actum malum, cui præbet ſuum concurſum. In hac ſimplici complacentia, qua Deus ſibi complacet de actu bono, ad quem præbet ſuum concurſum cuicumque voluntati creatæ, fundamentum habet illud quód dicit Apoſtolus de Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, quia Deus vult ſalutem omnium hominum voluntate inefficaci, quatenùs vult illa media, quibus omnes poſſint conſequi ſi velint æternam ſuam fælicitatem.

11 Hinc patet, quid Deus velit quando vult efficaciter actum bonum voluntate prædefinitiua actus boni, & quid velit quando permittit actum malum voluntate eiuſdem permiſſiua: Deus enim poteſt moueri ad ponendam omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, adeoque ad habendam voluntatem indifferentem actus boni vel mali quæ conſtituit potentiam proximam actus liberi, poteſt,

teſt, inquam, moueri vel á voluntate efficaci actus boni, vel á voluntate permiſſiua actus mali, quia potest habere ſcientiam mediam operis boni, vel mali ſequuturi ex tali voluntate indifferenti. Quando mouetur ad habendam voluntatem indifferentem á voluntate efficaci actus boni, vult illa voluntate indifferenti, quam nouit per ſcientiam mediã determinandam á libero arbitrio ad actum bonũ, potiùs quám ad malum: quando veró mouetur á voluntate permiſſiua actus mali, vult illa voluntate indifferenti, quam nouit per ſcientiam mediam determinandam á libero arbitrio ad actum malum. Hinc debes diſtinguere in Deo concurrente ad actus noſtros liberos duplicem voluntatem, vnam indifferentem, quæ diſiunctiuè vult actum bonum vel malum: hæc eſt illa voluntas, quæ conſtituit actũ primum proximum actus liberi, & per ſe ipſam formaliter ponit omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij: aliam determinatam ad vnum, eamque prædefinitiuam actus boni, vel permiſſiuam mali: hæc voluntas non ponit formaliter omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, ſed ponit efficienter, quia vult illam aliam voluntatem, quæ formaliter ponit omnipotentiam in manu liberi arbitrij: indé eſt, quód voluntas quæ prædefinit actum bonum, vel permittit actum malum, non conſtituit actum primum operis boni, neque actum primum operis mali, licet neceſſarió requiratur ad actum bonum & ad actum malum, quatenús debet velle illam voluntatem, quæ conſtituit actum primum.

12. Hanc voluntatem, quæ vult determinaté actum bonum, vel permittit actum malum, Deus non poteſt habere, niſi cognoſcat per ſcientiam mediam, quid faceret liberum arbitrium, ſi Deus vellet indifferenter actum bonum, vel actum malum,

lum, quia huiuſmodi voluntas poteſt á libero arbitrio impediri. Vnde patet, quæ nam ſit illa voluntas, quam ex parte hypotheſis cognoſcit Deus, quandó cognoſcit conditionaté futurum actum bonum, vel cognoſcit conditionatè futurum actum malum: hæc voluntas, quæ cognoſcitur ex parte hypotheſis eſt voluntas indifferens, adeoqué obiectum ſcientiæ mediæ eſt ille actus, quem faceret liberum arbitrium in ea hypotheſi in qua omnipotentia diuina eſſet formaliter in eius manu per voluntatem indifferentem: Deus enim antequam velit voluntate indifferenti actum bonum vel actum malum, quæ voluntas conſtituit actum primum mei actus liberi, cognoſcit, quid ego facerem, ſi ipſe haberet voluntatem indifferentem: deindé certó ſciens me in tali hypotheſi bene operaturumvult huiuſmodivoluntatem indifferentem, quia vult determinaté: & efficaciter actum bonum meum.

13: Ad primúm; opus eſt in illa voluntat indifferenti, qua Deus ponit formaliter omnipotentiam ſuam in manu liberi arbitrij, diſtinguere id, quod exercitè vult hæc voluntas, & id, quod ſignaté vult, ſicuti aliud eſt, quod volo exercité, & id quod volo ſignate, quando aliquid volo: id quod volo ſignaté eſtvtiq; diſtinctum á meo actu; repugnat enim actus voluntatis, qui nihil velit, niſi ſeipſum: quod autẽ volo exercite non eſt aliquid diſtinctum á meo actu, quia hæc eſt natura actus voluntatis, vt exercité velit ſeipſum, vt oſtenſum eſt in lib. de anima: hinc obiectum, quod volo exercitè, eſt totum id, quod includit meus actus: Deus igitur, qui habet voluntatem indifferentem, vult exercité hanc ipſamvoluntatem indifferentem, & quia hæc voluntas indifferens eſt forma, per quam

quam omnipotentia Dei ponitur formaliter in manu liberi arbitrij, ideó Deus exercité vult omnipotentiam ſuam poſitam in manu liberi arbitrij, dúm habet hanc voluntatem indifferentem, quia veró non poteſt velle hoc exercitè, niſi velit ſignaté aliquid diſtinctum áb hac voluntáte, ideó vult ſignaté actum bonum vel malum, ſiue amorem, vel non amorem mihi liberum, quod ſine dubio eſt aliquid diſtinctum à voluntate Dei indifferenti,

14. Ad ſecundúm: patet ex dictis, quia licet ſit nugatoria illa voluntas, quæ vult conditionaté actum bonum ſi non erit actus malus, non eſt nugatoria voluntas, quæ vult diſiunctiuè actum bonum vel actum malum. Ratio eſt, quia non idem formaliter vult, qui vult vtrumque diſiunctiué, ac qui vult conditionaté vnum, ſi non erit aliud: vt patet ex terminis: quare etiam ſi idem realiter ſit velle vtrumque diſiunctiué, & velle vnum, ſi non erit aliud, quicunque vult vtrunque diſiunctiué, non nugatur, ſicuti nugatur, qui vult eſſe vnum ſi non eſt aliud, quia non eſt idem formaliter, quod vterque vult; id enim ſatis eſt, vt non ſit nugatoria vtriuſque voluntas, eo pacto, quo non nugatur, qui ait hominem eſſe animal rationale, & nugatur, qui ait hominem eſſe hominem, qua non eſt idem formaliter, quod vterque dicit, licet ſit idem realiter, quod vterque dicit.

15. Ad tertium: qui vult indifferenter amorem, vel non amorem mihi liberum, non vult aliquod neceſſarium, quia licet neceſſe ſit vt ego amem vel nón amem, non eſt neceſſe, vt liberè amem vel liberé non amem, liberè enim amare, & liberè non amare non ſunt contradictoria, tùm quia particula negatiua non negat formalitatem

tem liberi, quã affirmat amor liber, túm quia inter liberé amare, & liberé non amare datur aliquod medium, quod non datur inter terminos contradictorios: hoc medium eſt amare neceſſarió, vel non amare neceſſarió, quando enim dormis, neq; liberé amas, neque liberé non amas tuum amicum, neceſſarió enim non amas, & Beatus, qui videt Deũ, neque liberé amat, neque liberé non amat, quia neceſſarió amat. Hinc Deus, qui vult amorem mihi liberum, vel non amorem mihi pariter liberum, non vult aliquod neceſſarium, quia non eſt neceſse vt ego exerceam actum amoris mihi liberum, vel exerceam actum non amoris mihi pariter liberum: vt igitur ſit amor mihi liber, vel ſit non amor mihi pariter liber, debet Deus liberé velle amorem mihi liberum, vel non amorem mihi liberum; quia debet Deus liberé velle omnipotentia ſuam poſitam in manu libertátis meæ.

16. Ad quartúm: diſtinguo maiorem: velle diſiunctiuè amorem, & non amorem cum ſimplici complacentia in actu amoris, & ſimplici diſplicentia in actu non amoris, éſt perindè velle amorem & non amorem: nego maiorem: ſine hac ſimplici complacentia: omitto maiorem & diſtincta eodem modo: minori nego conſequ: Voluntas indifferens, qua Deus diſiunctiué vult amorem & non amorem, eſt ſimplex complacentia actus amoris ſiue actus boni, & ſimplex diſplicentia non amoris, ſiue actus mali, quia Deus quantum eſt de ſe, vellet actum bonum magis, quàm malum; dùm enim vult actum bonum, vel malum, ſolùm intendit actum bonum intentione tamen inefficaci, quia ex intentione inefficaci actus boni dat potentiam proximam actus boni. Quód ſi hæc voluntas; quæ formaliter conſtituit potentiam

pro-

proximam actus boni, non vult efficaciter actum bonum, id naſcitur, quia Deus hac voluntate conſtituit potentiam liberam. Indè eſt, quód non poteſt argui Deum non intendere actum bonum, eó quód non vult efficaciter actum bonum, quia duplex datur intentio actus boni, vna efficax, alia inefficax, adeoque non poteſt argui ex negatione intentionis efficacis negatio cuiuſcunque intentionis. Deus igitur, qui hac voluntate non intendit efficaciter actum bonum, ſiue amorem mihi liberum, adhuc intendit eumdem inefficaciter, quod ſatis eſt, vt Deus non velit perindè amorem & non amorem. Hinc eſt, quód licet repugnet liberum arbitrium reſiſtere intentioni efficaci, non repugnat reſiſtere intentioni inefficaci.

17. Neque mihi opponas, non poſſe reſiſti voluntati diuinæ, id enim eſt verum loquendo de voluntate efficaci, quæ eſt prædefinitio amoris, ad quam voluit alludere ſcriptura, dum ait, *Non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ ſi decreueris ſaluare Iſrael*, vbi ſunt notanda illa verba *ſi decreueris*, quæ notanter ſignificant volutatem efficacem. Cæterum non eſt dubium, quin poſſit reſiſti voluntati Dei inefficaci, iuxtá illud Actorum 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, adeoque Deus paſsim conqueritur ſuam voluntatem non impleri ab homine qui reſiſtit voluntati diuinæ: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas*; Ecce tibi voluntatem Dei, quæ non conſequitur illud ipſum, quod vult: quare nihil obſtat, quo minús aliquid intendat Deus, & illud non conſequatur, dummodo intendat intentione inefficaci, quæ eſt ſimplex complacentia operis boni. Illa igitur voluntas, quam vocat D. Thomas volutatem ſigni, non ſemper impletur, quia non intendit efficaciter id quod vult

hac voluntate, illa veró voluntas, quam idem Do-ctor vocatvoluntatem beneplaciti, ſemper imple-tur, quia id quod Deus vult hac voluntate, efficaciter vult, ideò voluntate beneplaciti Deus vult tantùm ſaluos fieri illos, qui re vera ſalui fiunt; huiuſmodi voluntati non poteſt reſiſtere liberum arbitrium, quia hanc voluntatem dirigit ſcientia conditionata operis futuri.

18. Ad quintùm: conſtat ex dictis, quia non ſatisfit illi voluntati, quæ vult indifferenter actum bonum vel malum, ſiue fiat actus bonus, ſiue fiat actus malus, hæc enim voluntas eſt ſimplex complacentia in actu bono, & ſimplex diſplicentia in actu malo: qui ergo eligit actum malum potiús, quám bonum non ſatisfacit perfecté huic voluntati, quæ vult indifferenter actum bonum, vel malum, quia eligit id, quod huic voluntati diſplicet, & illud relinquit, quod eidem voluntati placet. Hinc patet ad confirmationem, quod enim ibi vrgetur, noſtræ ſententiæ potiús fauet, quam repugnet, quia Deus eo ipſo, quod non concurrat ad actum malum, eodem modo, quo concurrit ad actum bonum, non vult eodem modo actum bonum & malum, licet vtrunque velit decreto diſiunctiuo, actum enim bonum amat amore efficaci, actum malum odit odio inefficaci.

19. Ad ſextúm: diſt: antec: Deus vult determinaté id, ad quod concurrit, uult, in quam, ea uoluntate, quæ conſtituit actum primum illius effectus, ad quem concurrit: nego antec: uult alia uoluntate, quæ nō conſtituit actum primum, conc: antec: & ne: conſ: id, ad quod Deus concurrit determinaté uult uoluntate efficaci, dummodo illud ad quod concurrit ſit opus bonum, quia immediaté concurrit ad opus malum, quod non uult de-

terminatè uoluntate efficaci, ſed determinatè permittit: hæc autem uoluntas, qua determinatè, & efficaciter uult opus bonum, quando immediatè concurrit ad actum bonum, non eſt illa uoluntas, qua Deus immediatè concurrit ad actum bonum, quia non eſt illa uoluntas, quæ conſtituit actum primum libertatis meæ, & ponit omnipotentiam Dei in manu liberi arbitrij. Voluntas igitur, qua Deus determinatè uult actum bonum, eſt uoluntas efficax & prædefiniens actum bonum: hæc uoluntas non ſolúm non excludit uoluntatem indifferentem, ſed eam neceſſariò præſupponit, quia Deus non poteſt uelle actum bonum uoluntate efficaci, niſi cognoſcat actum bonum futurum in ea hypotheſi, in qua ipſe Deus vellet voluntate indifferenti actum bonum vel malum. Quare ſicuti non pugnat cum indifferentia ad operandum determinatio actus ſecundi, quam determinatè agit quicunque operatur; itá non pugnat cum voluntate indifferenti vóluntas efficax, quia voluntas efficax non infert aliam determinationem, præter conſequentem, quæ non excludit, immó includit indifferentiam ad operandum. Hinc eſt facile explicari, iuxtá noſtram ſententiam, quid velit prædefinitio, quandó vult determinatè actum bonum, vult enim illam voluntatem, quæ formaliter ponit omnipotentiam Dei in manu liberi arbitrij, ſciens actum bonum coniungendum cum iſta voluntate, eó modo, quo docui Deum velle actum bonum dependenter ab illa vocatione, cui nouit conſenſurum liberum arbitrium.

20. Ad vltimúm; patet ex dictis, quia Deus vult actum bonum potiús, quàm malum voluntate inefficaci, eo quod indifferenter vult actum bonum vel malum, habet enim ſimplicem complacentiam

in

In actu bono, & ſimplicem diſplicentiam in actu malo, quæ ſatis eſt vt Deus dicatur velle in efficaciter actum bonum, & nolle inefficaciter actum malum.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De libertate cauſæ primæ & concordia cum eius immutabilitate.

HVcuſque egimus de concurſu cauſæ primæ ad actus liberos, & de concordia huius concurſu, cum humana libertate; reſtat agendum de libertate, qua ipſa cauſa prima concurrit ad actus nobis liberos, quia non poteſt ſatis intelligi diuinús concurſus ad actum meum, liberum niſi intelligatur illa libertas, qua eſt liberum Deo concurrere ad actum meum liberum. De hac libertate cauſæ, primæ agit Franciſcus Suarius in Metaphyſica; eſt enim controuerſia, quæ ad Philoſophos ſpectat, licet eam ſibi vſurpauerint Theologi, quia Deum eſſe liberum conſtat lumine naturæ; licet fortaſsè non poſſit ſolo lumine naturæ oſtendi modus, quo redigitur in concordiam libertas Dei cum eius imutabilitate. Erit igitur operę pretium in hac etiā controuerſia noſtram ſententiam ferre, quæ habet multam connexionem cum doctrina à nobis tradita de negationibus.

QVAESTIO I.

Vtrum cauſa prima ſit libera.

1. Videtur non eſſe primò: quia ratio formalis liberi includit aliquem defectum: ſed ratio formalis includens defectum non conuenit formaliter cauſæ primæ, ergo ratio formalis liberi non conuenit formaliter cauſæ primæ, ergo cauſa prima, vel non eſt libera, vel ſolum eminenter eſt libera, ergo non eſt formaliter libera. Maior probatur, quia eſſe liberum formaliter eſt eſſe mutabilem eſt habere potentialitatem ſine qua non poteſt intelligi indifferentia ad libertatem requiſita, eſt eſſe defectibile in genere moris, habere enim libertatem eſt poſſe bené vel malè operari, ſed huiuſmodi formalitates inuoluunt neceſsarió aliquam imperfectionem, ergo &c.

2. Deus vt ſit ſummé perfectis debet habere eminenter omnem perfectionem creatam, ergo Deus poteſt eſſe ſummè perfectus etiamſi formaliter non habeat perfectionem libertatis, ergo cauſa prima non eſt formaliter libera. Antec. prob: quia Deus etiamſi non hábeat formaliter perfectionem diſcurſus, quám habet homo, eſt perfectiſsimus, habet enim eminenter hanc perfectionem, ergo étiamſi non habeat formaliter formalem perfectionem libertatis, adhuc eſt perfectiſſimus.

3. Nullus actus diuiuús eſt contingens: omnis actus liber eſt actus contingens: ergo nullus actus diuinus eſt actus liber, ergo Deus non habet libertatem. Minor eſt euidens, quia eſſe liberum & eſſe contingens conuertuntur. Maior pro-

ba-

batur, quia nullus eſt actus diuinùs, qui non ſit ipſe Deus, ſed Deus non eſt ens contingens, vt patet ex terminis, ergo nullus actus diuinùs eſt contingens.

4. Reſpondetur. Eſt euidens lumine naturæ & indubitatum lumine fidei cauſam primam eſse formaliter liberam verá propriá & formali libertate. Ratio eſt, quia non minus eſt euidens Deum eſse liberum, quám ſit euidens Deum eſse, ſed lumine naturæ eſt euidens, & lumine fidei crrtiſsimum eſse Deum, ergo eſt euidens lumine naturæ & certum lumine fidei Deum eſse liberum. Maior probatur, quia ſi Deus non eſt liber, non eſt Deus; Deum enim eſse, & Deum eſse perfectiſsimum ſunt termini conuertibiles, ſed Deus ſi liber non eſt, non eſt ens perfectiſsimum, quia eſse liberum, eſt aliqua perfectio, ergo eſt itá euidens Deum eſse liberum, ſicuti eſt euidens Deum eſse. Quòd autem eſse liberum ſit perfectio, ex pluribus conſtat: in primis eſt meliús eſse liberum, quám non eſse liberum: deindé poſse ſe determinare eſt perfectiús, quám non poſse ſe determinare, ſed eſſe liberum eſt poſse ſe determinare & non eſse liberum eſt non poſse ſe determinaré, ergo eſt perfectiús eſse liberum, quám non eſse liberum, ergo eſse liberum eſt perfectio. Prætereà habere dominium eſt perfectio valdé æſtimabilis, eſse autem liberum eſt habere dominium, quia habere dominium eſt poſse ad libitum diſponere de aliqua re, ergo &c.

5. Addo, quòd repugnat Deo habere neceſſitatem operandi extrá ſe, quia huiuſmodi neceſſitas eſt aliqua imperfectio, eſt enim aliqua indigentia, cuius ne vmbra quidem debet eſse in cauſa prima. Huc ſpectat celebre argumentum Augu-

ſtini, quo probatur nullam eſſe in Deo neceſsitatem operandi ad extra tali pacto. Vbi nullus defectus nulla indigentia: vbi nulla indigentia nulla neceſsitas, ergo vbi nullus defectus nulla neceſsitas: ſed in Deo nullus eſt defectus, ergo nulla neceſsitas. Hinc eſt, quód Deus eſt liber nō ſolùm ad operandum extrà ſe, ſed etiam eſt liber ad illum actum voluntatis, quo vult extrá ſe operari adeoque in diuina voluntate eſt libertas reſpectu alicuius actus.

6. Eſt igitur manifeſtum eſſe in cauſa prima totam illam perfectionem libertatis, quę eſt in cauſa ſecunda libera, & quia perfectio libertatis creatæ eſt indifferentia ad aliquid volendum, vel volendum oppoſitum, ideó hæc indifferentia inuenitur in diuina libertate. Non eſt tamen itá diſſerendum de libertate diuina, vt omnes illas formalitates, quas reperimus in libertate creata debeamus transferre ad increatam & diuinam; quia neceſse eſt longè altiùs ſentire de libertate diuina, quám de libertate creata, quæ ſine dubio eſt libertas imperfectá. Ratio á priori eſt, quia libertas abſtractiſsimé conſiderata dum contrahitur ad libertatem creatam, neceſsarió contrahitur per aliquam formalitatem, quæ eſt defectus ſummæ libertatis ſicuti formalitas entis contracta ad ens creatum contrahitur neceſſarió per formalitatem, quæ eſt defectus ſummi entis: eſt igitur neceſſe vt plurimæ formalitates ſint in libertate creata, quæ non ſunt in diuina, ſicuti plurimæ ſunt formalitates in ente creato, quæ non ſunt in ente increato. Hinc nihil obſtat rationi formali libertatis, quod plurimæ formalitates inueniantur in libertate creata, quæ non poſſunt inueniri in libertate diuina, quia hoc non repugnat rationi formali ipſius libertatis, ſi-

cuti non repugnat rationi formali entis, inueniri in ente creato plurimas formalitates, quæ non poſſunt inueniri in ente increato.

7. Opus nunc eſt illas formalitates recenſere, quæ ſunt in libertate diuina. Prima formalitas eſt habere actum primum volendi: hæc formalitas inuenitur in libertate creata, non inuenitur in diuina & increata. Ratio eſt, quia nulla libertas creata eſt ipſe ſimpliciſsimus actus volendi, nulla enim creatura vult niſi per actum voluntatis realiter diſtinctum & realiter emanantem ab ipſa voluntate: nulla igitur eſt libertas creata, quæ non includat actum primum volendi, nimirum potentiam realiter productiuam ipſius volitionis. Hinc eſt, quód in Angelica libertate inuenitur actus primus tam libertatis, quàm voluntatis, non poteſt enim præſcindi actus primus libertatis creatæ ab actu primó ipſius voluntátis, ſiue á voluntate per modum actus primi, quæ eſt facultas volendi realiter diſtincta ab actuali volitione, ſicuti actus primus intelligendi ſiué intellectus in actu primó eſt facultas intélligendi diſtincta ab actuali intellectione. Oppoſitum contingit in libertate diuina, vbi repugnat actus primus volendi, non repugnat immó eſt neceſsarius actus primus eligendi vnam rem præ alia, adeoque non repugnat immó eſt neceſsarius actus primus actus liberi.

8 Ratio cur repugnet diuinæ libertati actus primus volendi eſt, manifeſta ex capite illius perfectionis, quam Deus habet infinitam. Repugnat diuinæ libertati qualibet potentialitas, quia diuina libertas eſt ſumma actualitas, nimirúm actus ſimpliciſſimus excludens omnem vmbram vel minimæ potentialitatis, quomodó enim fieri poteſt vt perficiatur res infinité perfecta?at qui actus pr imus

vo-

volendi infert aliquam potentialitatem,ſicuti enim ille intellectus, qui non eſt ipſe actus intelligendi, non eſt infinitus intellectus, itá illa voluntas, quæ non eſt ipſe actus volendi,non eſt infinita voluntas, adeóque ibi non eſt infinitus intellectus, nec infinita voluntas, vbi eſt actus primus cognoſcendi & volendi. Sermo eſt de actu primo phyſico, quia de actu primo logico non eſt dubium, ſed hic non eſt ad rem, quia eſt ipſa non repugnantia ad intelligendum & volendum, quam ſine dubio infert actus ſimpliciſſimus intelligendi & volendi,eo fermè pacto quo ſummum & infinitum eſſe, nimirúm actus ſimpliciſſimus exiſtendi excludit actum primum phyſicum exiſtendi; non excludit, immó includit ſummè actum primum logicum, qui eſt actus primus cum termino diſtrahente ſignificationem actus primi, eſt enim formaliter non repugnantia ad exiſtendum.

9 Ratio, cur non repugnet diuinæ libertati actus primus eligendi vnã rem præ alia ſiué actus primus exercitij liberi, eſt ſatis euidens ex capite libertatis, quæ debet eſſe in Deo infinita. Libertas infinita eſt vera libertas: immó nulla libertas eſt tanta libertas, quanta eſt infinita libertas, ſicuti nulla vita eſt tanta vita quanta eſt infinita vita, eſt enim ineptum credere non eſſe vitam éam vitam, quæ eſt infinita, non eſſe cognitionem eam cognitionem, qua eſt cognitio infinita, & alia id genus: atqui libertas, quę eſt vera libertas,eſt formaliſſimè indifferentia ad res oppoſitas electiua vnius & rejectiua alterius: huiuſmodi autem indifferentia nihil eſt aliud,quam actus primus eligendi vnum præ alio, adeóque actus primus exercitij liberi: vndè naſcitur,eſſe in poteſtate facultatis liberę vnum eligere, & aliud reſpuere: infinitæ igitur libertati

non

non repugnat actus primus eligendi vnã rem præ alia: immò eſt neceſſarium, vt infinita libertas habeat actum primum exercitij liberi & conſequenter actum primum eligendi vnam rem potiùs quam aliam: hinc ſicuti potentia infinita, qualis eſt diuina, includit actum primum phyſicum ſuæ actionis, ità libertas infinita & diuina excludit actum primũ phyſicum exercitij liberi. Debes igitur diſtinguere in ipſa natura actus liberi qui inuenitur in diuina libertate duas formalitates, nimirùm formalitatē actus, & formalitatem actus liberi, ſiuè formalitatem volitionis & formalitatem volitionis liberæ: formalitas volitionis excludit actum primũ phyſicum, eſt enim infinita volitio, formalitas autem volitionis liberæ non excludit, immò neceſſariò includit actum primum phyſicum; eſt enim infinita libertas, adeóque vera libertas, quæ non poteſt conſiſtere ſine actu primo phyſico exercitij liberi. Vndé patet manifeſtum diſcrimen quod inuenitur inter formalitatem volitionis & formalitatem volitionis liberæ, petendam eſſe ex natura vtriuſque formalitatis: ratio enim volitionis abſtractiſſimę acceptæ præſcindit ab actu primo phyſico, & non actu primo phyſico, poteſt igitur contrahi ad varias ſpecies per volitionem quæ excludit actum primum phyſicum, & volitionem quæ eundem includit: è contrariò libertas includit formaliſſimé actum primum phyſicum exercitij liberi, quia includit indifferentiam ad vnum præ alio eligendum, quam ſinè dubio non includit ratio volitionis; non poteſt igitur contrahi ad vnam ſpeciem libertatis per illam formalitatem, quæ excludit omnem rationem actus primi phyſici. Adde volitionem quæ excludit omnem actum primum phyſicum in genere volitionis; eſſe ſummam & perfectiſſimam volitio-

volitionem; libertatem verò quæ excludit omnem actum primum phyſicum exercitij liberi, eſſe nullam, immò Chimæricam libertatem.

10 Ex quo diſcurſu habes non eſſe idem actũ primum volitionis, & actum primum volitionis liberæ; quia vnum ex alio non ſequitur: multa enim ſunt, quæ habent actum primum volitionis, & non habent actum primum volitionis liberæ, vt manifeſté conſtat in illa voluntate quæ aliquid vult ex neceſſitate. Prætereá, aliquid eſt vbi inuenitur actus primus volitionis liberę, & nō inuenitur actus primus volitionis, quia volitio infinita eſt volitio libera; ſed volitio infinita non habet actum primũ volitionis, alioquin non eſset infinita volitio; eadem habet actum primum phyſicum exercitij liberi, alioquin non eſset libera: non eſt igitur idem actus primus volitionis liberæ, & actus primus volitionis. At quomodó fieri poteſt, vt volitio libera quæ eſt formaliſſimè volitio, habeat actum primũ volitionis liberæ & non habeat actum primum volitionis. Hoc eſt illud grande & arcanum myſterium, ad quòd explicandum opus eſt altiori diſcurſu; hinc enim pendet tota controuerſia de concordia libertatis diuinæ cum diuina immutabilitate, de qua dicam in ſequentibus quæſtionibus; non enim debeo de omnibus rebus ſimul & promiſcué diſputare: vt enim de omnibus quantúm ſatis eſt diſputem, debeo certa ab incertis ſecernere, & ea in præſenti tradere de quibus á nullo viro ſapiente poteſt in hac re dubitari.

11 Volitio igitur diuina, quæ eſt eſsentialiter volitio per modum actus ſecundi, eſt libera per modum actus primi, quia eſt indifferens ad hanc vel illam rem volendam adeòque in priori ád actuale exercitium diuinæ libertatis intelligitur diuina voli-

volitio, ſiuè totus actus ſecundus diuinæ volitionis, quæ eſt actus ſimpliciſſimus volendi, hoc nequaquam contingit in Angelicâ vel humana libertate quia in priori ad illam electionem, qua homo vel Angelus vnum præ alio eligit non intelligitur actualis volitio ſiuè actus volendi; ſolùm enim intelligitur facultas volendi indifferens ad habendam vel non habendam phyſicè illam voluntatem, à qua denominetur in actu ſecundo volens: Vndè patet exercitium libertatis creatę eſſe formaliſſimè exercitium, quod perficit facultatem liberam, exercitium verò increatæ libertatis non eſſe exercitium, quod perficit facultatem liberam: Ratio eſt ſatis manifeſta, quia exercitium facultatis liberæ eſt tale vt in priori ad tale exercitium non intelligatur totus actus ſecundus volendi; ſed exercitium quod eſt tale vt in priori ad ipſum non intelligatur totus actus ſecundus volendi perficit formaliter facultatem liberam; addit enim huic facultati aliquam perfectionem quæ non eſt in facultate libera in priori ad tale exercitium, ergo exercitium libertatis creatæ formaliter perficit facultatem liberam. Hoc eodem diſcurſu conſtat, exercitium libertatis increatæ non perficere formaliter facultatem liberam; quia in priori ad tale exercitium eſt tota perfectio volendi; quia eſt totus actus ſecundus volendi. Indè eſt quòd libertas increata exercet ſe propter abundantiam perfectionis, ſicuti decet ſummam & infinitam libertatem quæ non ſe exercet, vt acquirat aliquam perfectionem; quia omnem perfectionem habet in priori ad tale exercitium: è contrariò libertas creata exercet ſe propter indigentiam perfectionis, quia exercet ſe vt acquirat aliquam perfectionem, quam in priori ad tale exercitium non habet.

14 Alia

12 Alia formalitas, quæ conſequitur iſtam, & inuenitur in libertate creata, nec inuenitur in libertate increata, conſiſtit in indifferentia ad hanc vel illam volitionem: hæc autem indifferentia eſt formaliſſimé poteſtas eligendi hunc vel illum actum ſecundum volitionis: quia in genere volitionis in actu ſecundo ſunt plurimæ volitiones diuerſæ, & fortaſsè tot ſunt, vel poſsunt eſse volitiones diuerſæ, quot ſunt diuerſa obiecta, quæ poſsumus velle: libertas igitur creata, quæ eſt indifferens ad volendam vnam rem vel aliam, eſt indifferens ad eligendam illam actualem volitionem, quæ eſt volitio vnius rei, & relinquendam aliam volitionem; quæ eſt volitio alterius rei. Quód autem iſta indifferentia ſit formalitas, quæ ſpectat ad libertatem creatam, & nulláteuús ſpectat ad libertatem increatam, eſt manifeſtum ex diſcurſu hucuſque facto. Indifferentia ad eligendam hanc vel illam volitionẽ arguit neceſsarió actum primum non ſolúm libertatis, ſed etiam voluntatis, quia indifferentia ad eligendam hanc vel illam actualem volitionem eſt talis naturæ, vt in priori ad exercitium ſuæ libertatis non ſit actualis volitió, quia hæc actualis volitio eſt in ſigno poſteriori ad ipſam libertatem ſe exercentem: ergo indifferentia ad eligendam hanc vel illam volitionem eſt formaliſſimé indifferentia quæ conuenit libertati creatæ & repugnat increatæ. Hinc Deus eſt indifferens ad me amandum vel non amandum, & tu etiam es indifferens ad me amandum vel non amandum, tu enim qui me amas, liberé amas; & Deus qui me amat, liberé amat: hæc igitur indifferentia ad me amandum vel non amandum eſt eadem vtrobique, quãtúm ſpectat ad rationem formalem indifferentiæ, in te videlicet, qui es liber libertate finitá, & in

Deo

Deo qui eſt liber libertate infinita. Non eſt tamen cur credas eodem modo te eſſe indifferentem ad me amandum; ſicuti eſt indifferens Deus: tu enim itá es indifferens ad me amandum, vt in tua poteſtate ſit eligere illum actum, qui denominat te amantem mei, & omittere illum qui denominat non amantem mei, atque adeó in priori ad exercitium tuæ libertatis non habes illum actum amoris, quem habes, dum me liberé amas. Ratio eſt manifeſta, quia exercitium tuæ libertatis non conſiſtit in eo quód tuus amor poſſit mutare obiectũ, adeóque poſſit ad arbitrium tuum gradum facere á denominando te amante mei ad denominandum te non amantem mei, id enim tibi repugnat qui habes libertatem finitam: quare tua libertas in eo præcisé conſiſtit quòd tu potes ad arbitrium tuum inter duos actus quorum vnus eſt amor mei, alius eſt non amor mei, vnum eligere, & alium relinquere. E' contrarió Deus eſt indifferens, vt amet me, vel non amet me, quia eſt liberum Deo facere, vt ille amor qui eſt in priori ad omne exercitium libertatis ſuæ, & eſt ſummus atque infinitus amor, quia eſt ipſe Deus, ſit potiùs amor mei, quám non amor mei, eſt enim indifferens, vt mihi applicetur, vel mihi non applicetur: illa enim indifferentia quę eſt in mea voluntate habente actum primum volendi, vt eligat vnum actum volendi potiús quam alium, eſt in diuina voluntate, ſiuè in amore diuino, qui eſt ſimpliciſſimus actus, vt eligat ſibi hoc potiús quám illud obiectum.

13 Ad hanc rem veré mirabilem, ſed indubitatæ veram tibi vtcumque explicandam, finge tibi duos colores vnum indifferentem vt ſit vel non ſit in pariete A, ſed eſſentialiter determinatum vt ſit color albus, & alium eſſentialiter determinatum

vt

vt ſit in pariete B.ſed indifferentem vt ſit albus vel niger: deindé finge etiam tibi vtrumque parietem liberum ad habendum colorem album vel nigrum: quid faceret in hac hypotheſi: paries A. ſi vellet eſſe albus potiús quam niger? applicaret ſibi illum colorem qui eſt albus, & relinqueret illum qui eſt niger: quid è contrariò faceret paries B. ſi vellet eſſe albus? illum colorem quem eſſentialiter habet, applicaret colori potiús albo quam nigro, quia licét vtrique parieti eſſet liberum eſſe album vel non album, vni eſſet liberum applicando ſibi colorem album potiús quam nigrum, alteri eſſet liberum applicando colorem ſuum colori albo vel nigro. In hunc modum debes intelligere illam libertatem quàm Deus habet ad amandum me, longè diuerſam ab illa libertate & indifferentia quam habes tu ad me amandum, tibi enim eſt liberum applicare tuæ voluntati amorem mei, Deo eſt liberum applicare amorem ſuum mihi potiús quam alteri obiecto: quarè tua libertas exercetur in applicanda ſibi illa formá, quæ éſt eſſentialiter amor mei, & libertas diuina exercetur in applicando amore ſuo mihi potiús quam alteri obiecto, amor enim diuinus eſt indifferens ad eligendum vnum potiús quám aliud obiectum.

14 Iſtæ duæ formalitates, quibus differunt libertas creata, & diuina, viam nobis aperient ad oſtendendum quomodó nihil detrahatur diuinæ immutabilitati ex diuina libertate, adeóque quomodò actus liber, & actus immutabilis non ſint formalitates viciſſim repugnantes; licét enim ratio liberi & ratio immutabilis ſint rationes viciſſim oppoſitæ in libertate finita & creata, nihilominùs vna alteri non repugnat; immo vna conſentit cum altera in libertate infinita & increata, quia non mu-

tabi-

tabilitas ſequitur rationem libertatis non abſtractiſſimè conſideratæ ſed contractæ ad libertatem creatam & imperfectam: vndè patet ad argumenta partis contrariæ.

15 Ad primum nego maiorem: ad eius probationem dico illam rationem libertatis formalis, quæ includit actum primum volendi, non præſcindere à mutabilitate, vt oſtenſum fuit, illam veró rationem libertatis formalis quæ excludit actum primum volendi, non ſolúm non præſcindere á mutabilitate; ſed includere ipſam immutabilitatem: indé eſt, quòd ratio formalitatis liberæ, quæ præſcindit ab actu primo volendi, & non actu primo volendi, præſcindit etiam à mutabilitate & immutabilitate. Libertas creata ideò eſt mutabilis, quia habet actum primum non ſolùm libertatis, ſed etiam voluntatis, nulla enim libertas creata eſt ipſe actus volendi: libertas igitur increata quæ eſt actus puriſſimus volendi eſt immutabilis. Ratio à priori eſt quia illa libertas eſt mutabilis, quæ poteſt ſibi applicare vel non applicare volitionem: ſed ſola libertas creata poteſt ſibi applicare vel non applicare ſuam volitionem; ergo ſola libertas creata eſt mutabilis.

16 Ad ſecundum ſátis conſtat ex dictis, quia in Deo eſt formaliter omnis perfectio, quæ in ſuo formali conceptu nullam inuoluit imperfectionem, ſed perfectio libertatis nullã inuoluit imperfectionem, ergo debet eſſe formaliter in Deo. Eſt indubitatum contineri eminenter in Deo libertatem creatam, eamque non contineri formaliter quia libertas creata eſt libertas imperfecta, adeóque habet imperfectionem quæ eſt cauſa cur non ſit formaliter in Deo libertas creata: non propterea ſequitur non eſſe in Deo formaliter libertatem forma-

formalem, licet oppoſitum contingat in perfectione diſcurſus, qui in ſuo formali conceptu inuoluit defectum perfectionis, adeóque non eſt par ratio.

17 Ad tertium: diſtinguo maiorem: nullus actus diuinus eſt contingens contingentia actus: concedo maiorẽ: contingentia actus liberi, nego maiorẽ: & conceſſa minori; nego conſequentiam. Non eſt idem actum liberum eſſe contingentem contingentia actus, & eſſe contingentem contingentia actus liberi, quia ille actus liber qui eſt exercitium infinitæ libertatis, hoc eſt illius libertatis quæ eſt indifferens, vt applicet volitionem ſuam huic, vel illi obiecto, non eſt contingens contingentia actus, ſed eſt contingens contingentia actus liberi quia in priori ad omne exercitium liberum quòd ſine dubio includit contingentiam, eſt totus actus qui in poſteriori denominatur liber ab ipſo exercitio libero. An veró illud ipſum, quód denominat actum liberum ſit intrinſecum, vel extrinſecum illi actui qui denominetur liber, eſt alia controuerſia ſoluenda in quæſtionibus ſequentibus.

QVAESTIO II.

Vtrum omnis actus liber diuinæ voluntatis fuerit ab æterno.

1 OStenſum fuit in prima quæſtione Deum eſſe liberum quia eſt in eius poteſtate velle, vel non velle aliquid à ſe diſtinctum; cum enim repugnet infinitæ perfectioni neceſſitas operandi ad extrá, conſequens eſt, vt infinitæ perfectioni ſit liberum ſe communicare, vel non communi-

municare rebus a ſe diſtinctis, illud enim intereſt inter communicationem finitam & infinitam, vt non ſit libera communicatio infinita, ſit verò libera communicatio finita, adeóque ſummum & infinitum bonum præſcindendo ab omni actu libero ſe infinité communicet, & idem non ſe communicet communicatione finita niſi dependenter ab aliquo actu ſibi libero: hinc neceſſe eſt, vt diuina Omnipotentia, quæ nullam habet neceſſitatem operandi extrá ſe determinetur ad operandum potiùs quám ad non operandum per voluntatem liberam Deo: quó ſit vt ſummum bonum quòd eſt fæcundum ad intrá, vt docet fides, & ad extrá, vt docet cum fide lumen rationis, ſecluſo quocumque actu libero operetur intrá ſe, & dependenter ab actu libero operatur extrá ſe, quia operari ad extrá eſt liberum Deo, operari ad intrá non eſt liberum Deo.

2 Opus igitur eſt in bono ſummo, in quo eſt ſumma inclinatio ad communicandum ſe, diſtinguere duplicem communicationem vnam ad intrá, aliam ad extrá, illam neceſſariam & ſempiternam, iſtam contingentem, liberam, & temporaneã. Propter communicationem neceſſariam qua infinitum bonum poteſt ac debet ſe communicare, diſtinguunt omnes Theologi in Deo prædicata abſoluta, & relatiua ad intrà: vtraque Deo neceſſaria, quia neceſſe eſt vt bonum ſummũ quod eſt in vno ſuppoſito diuino, communicetur alteri ſuppoſito diuino per veram & realem actionem qua vnum ſuppoſitum producit aliud: vndè naſcitur oppoſitio relatiua inter perſonam quæ producit, & perſonam quæ producitur. Deum igitur eſſe optimum, eſſe ſapientiſſimum, & alia id genus prædicata ſunt prædicata Dei abſoluta quia huiuſ-

modi prædicata non includunt ordinem vnius ad aliud quem procul dubio includunt prædicata relatiua. E contrario eſſe Patrem & eſse Filium quæ verè sũt in Deo,ſunt prædicata relatiua,quia ſignificant reſpectum vnius ſuppoſiti diuini ad aliud ſuppoſitum diuinum. Hoc eſt diſcrimen inter prędicata Dei abſoluta & prędicata relatiua ad intrà, quòd licét omnia ſint neceſsaria, illa tamen, nimirùm abſoluta ſunt communia omnibus diuinis perſonis, quæ habent vnam & eandem naturam: iſta é contrarió nimirùm prædicata relatiua non ſunt omnibus communia,ſunt enim fundamentum realis diſtinctionis inter plures perſonas eiuſdem naturæ. Hinc eſt neceſsaria aliqua diſtinctio obiectiua inter prædicata neceſsaria & prædicata relatiua, quæ diſtinctio non ſolùm non eſt neceſsaria, ſed eſt impoſſibilis inter formalitates creatas realiter indiſtinctas, vt oſtenſum fuit in Logica: hanc diſtinctionem vocant feré omnes Theologi virtualem intrinſecam.

3 Propter áliam communicationem,quę eſt in bono ſummo contingens & libera,debemus etiam diſtinguere in eodem ſummo bono prædicata neceſsaria & prædicata libera, illa nullam habent relationem ad extrà, hæc veró habent relationem ad extrá,adeòque vocantur relatiua ad extrá:quidquid deindé ſit an hæc relatio ſit realis, vel ſolum rationis,ſicuti eſt illa qua docet Philoſophus referri ſcibile ad ſcientiam, Ad prædicata libera ſpectant omnia decreta, quibus Deus vult efficaciter fieri, vel permittit fieri, quidquid ab Orbe condlto vſque ad præſentem diem factum fuit, vel in poſterum fiet, quia cum nihil ſit quod Deo volente vel permittente non ſit, & nihil neceſsariò ſit ex ijs quæ ſunt à Deo diſtincta; conſequens eſt

nihil

nihil fuiſse, nihil eſse, nihil futurum eſse, quód originem ſuam non habeat ex aliquo decreto diuino libero Deo, quód decretum dicitur actuale exercitium libertatis diuinæ. Sunt igitur in Deo prædicata neceſsaria abſoluta, & prædicata libera relatiua ad extrá communia omnibus perſonis diuinis, quia ſicuti nullá eſt perſona diuina quæ non habeat eandem perfectionem quam habent cæteræ, itá nulla eſt perſona diuina quæ non habeat illud decretum liberum, quód habent cæteræ perſonæ.

4 Hinc debes colligere, quód ſicuti eſt aliquod diſcrimen inter prædicata diuina abſoluta, & relatiua ad intrá, itá debet eſse aliquod diſcrimen inter prædicata diuina neceſsaria & libera, ſiué relatiua ad extrá, quemadmodum enim aliquid verificatur de prædicatis abſolutis, quòd non verificatur de relatiuis, itá aliquid verificetur de prædicatis neceſsarijs quod non verificatur de liberis. Prædicata neceſsaria non potuerunt non eſse, prædicata veró libera potuerunt non eſse, ideó potuit Deus non habere illum actum liberum, ſiué illud decretum quod nunc habet. Dubium eſt in hac quæſtione ſoluendum, an nimirúm Deus poſſit ab vno actu libero tranſire ad alium actum liberum, & an aliquid poſſit Deus nunc liberé velle, quod ab æterno non voluerit, adeóque an decreta libera Dei fuerint ab æterno, ſicuti Deus fuit ab æterno.

5 Rationes dubitandi ſunt primó. Quia tunc Deus voluit liberé producere Mundum quandò liberé produxit, ſed Mundum produxit liberé in tempore ergo voluit liberé in tempore Mundum producere; ergo non voluit ab æternó; ergo decretum liberum non fuit ab æterno, ſicuti non fuit ab

æterno res, quam decreuit huiuſmodi decretò. Maior probatur, quia voluntas diuina eſt voluntas efficaciſſima, adeóque efficiens illud ipſum quòd vult: voluntas ergo libera Dei non fuit ab æterno, ſi ab æterno non fuit obiectum huius voluntatis: ſed obiectum huius voluntatis non fuit ab æterno, ergo neque ab æterno fuit huiuſmodi voluntas: ergo decretum liberum Dei tunc incæpit eſſe quando incæpit eſſe Mundus.

6 Secundó: Nihil obſtat, quominús Deus habeat in tempore aliquam denominationem ſibi liberam, quam ab æterno non habuit, ergo eſt poſſibile nunc eſse decretum liberum Dei quód ab æterno non fuit, ergo non omnis actus liber Dei fuit ab æterno. Antecedens probatur quia creare Mundum eſt aliqua denominatio libera Deo, ſed iſta denominatio fuit in tempore, non fuit ab æterno, ergo aliqua denominatio libera Deo fuit in tempore, etiam ſi non fuerit ab æterno. Cõfirmatur, quia eſt in poteſtate Dei producere nunc aliquid quod eſt puré poſſibile, ergo eſt in poteſtate Dei velle nunc liberè id, quod ab æterno liberè non voluit, quia ab æterno non voluit producere id, quod eſt purè poſſibile.

7 Tertiò: Quidquid habet principium, non fuit ab æterno: ſed omne decretum liberum Dei habuit principium: ergo nullum decretum liberum Dei fuit ab æterno. Minor probatur, quia habere aliquid antè ſe, & habere principium ſunt termini conuertibiles, ſed omne decretum liberum Dei habuit aliquid ante ſe, tum quia Deus fuit ante omnem actum ſuum liberum, prædicata enim Dei neceſsaria ſunt in priori ad prædicata libera, túm quia ſicuti ſcientia Dei neceſsaria antecedit omnem ſcientiam Deo vel nobis liberam, itá omnem

nem actum liberum Dei antecedit ſcientia Dei neceſſaria. Confirmatur, quia Deus antecedit omne exercitium ſuæ libertatis eo modo, quo actus primus antecedit actum ſecundum.

8 Quartó: Nihil contingens fuit ab æterno, ergo nullum decretum liberum Dei fuit ab æterno. Antecedens patet, quia ab æterno nihil fuit præter Deum, qui eſt ens neceſſarium. Conſequentia probatur, quia decretum liberum eſt aliquid contingens: nihil contingens fuit ab æterno: ergo nullum decretum liberum fuit ab æterno.

9 Vltimó: Deus amat modo, quem antea non amabat, vt contingit quando aliquis tranſit á ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ, & modò non amat quē anteá amabat vt contingit, quando quis tranſit á ſtatu gratiæ ad ſtatum culpæ: ergo amor, quo Deus amat quem antea non amabat, non ſemper fuit: ſed amor, quo Deus amat, quem anteá non amabat, eſt actus liber Dei, ergo aliquis actus liber Dei non ſemper fuit, atque adeó non fuit ab æterno. Confirmatur, quia aliquando Deum pœnitet feciſſe quod fecerat, vt nobis conſtat ex Geneſ. 6. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus delebo, inquit hominem quem creaui*: ergo Deus poteſt mutare actus ſuos liberos, ſicuti poteſt homo quem pœnitet illius rei quam fecit, ergo decreta libera Dei non fuerunt ab æterno. Ad hanc difficultatem ſoluendam.

10 Dico primó: nullus actus diuinæ libertatis ſiuè nullum decretum liberum Dei poteſt tranſire de eſſe ad non eſſe. Ratio eſt quia nihil habet durationem indiuiſibilem, quód poſſit tranſire ab

eſſe ad non eſſe, vt patet, ex tom. 2. diſp. 15. qu. 3. ſed omnis actus diuinæ libertatis habet durationem indiuiſibilem; ergo nullus actus diuinæ libertatis; poteſt tranſire de eſſe ad non eſſe. Minor probatur, quia omnis actus diuinæ libertatis habet illam eamdem durationem, quam habet Deus, ſed Deus habet durationem indiuiſibilem, vbi nihil eſt præteritum, nihil futurum, ergo omnis actus diuinæ libertatis habet durationem indiuiſibilem, ergo nullus eſt actus diuinæ libertatis, qui aliquandó ſit & non ſemper ſit, ergo illud decretum liberum Dei, quod ſemel eſt, ſemper eſt. Ratio á priori eſt, quia non ſemper eſſe illud decretum, quod ſemel eſt, arguit imperfectam libertatem, ideó enim libertas creata eſt imperfecta, quia non eſt neceſſe, vt ſemper ſit illud exercitium libertatis creatæ, quod aliquando eſt: illa igitur libertas, quæ eſt perfectiſſima libertas, debet ita ſe exercere, vt illud exercitium, quo aliquando ſe exercet, ſemper ſit: quare diuina libertas non poteſt alio modo ſe exercere, niſi per exercitium, quod ſemper ſit. In hac ratione fundatur metaphyſica impoſſibilitas mutandi decreta, quæ ſine dubio debet eſſe in Deo, quia de ſe ipſo ait, ego ſum Deus & non mutor, quia neceſſe eſt, vt illud decretum, quo Deus exercet libertatem ſuam, ſemper exiſtat poſito quod exiſtit: ſed neceſſitas, vt ſemper exiſtat decretum Dei poſito, quod exiſtit, nihil eſt aliud, quàm eſſentialis & metaphyſica immutábilitas eiuſdem decreti, ergo nullum eſt decretum liberum Dei, quod non ſit immutabile. Hoc non contingit in actibus liberis noſtrę libertatis, quia nullus eſt actus liber creatæ libertatis, qui habeat eſſentialem & metaphyſicam neceſſitatem, vt ſemper ſit poſito, quòd aliquando eſt, quia libertas increata.

Ra-

Ratio á priori, cur poſſe mutare decreta & actus liberos ſpectet ad imperfectionem potiùs, quam ad perfectionem libertatis, patet, quia in tantùm poteſt aliquis nunc velle, quod ante nolebat, eligendo illum actum liberum, quem antea non elegerat, in quantúm aliquod nunc cognoſcit, quod antea ignorabat, ſed nunc cognoſcere rem antea ignotam eſt argumentum euidens libertatis imperfectæ, arguit enim libertatem regulatam á cognitione imperfecta, cognitio enim imperfecta refundit imperfectionem in actum voluntatis, qui eſt formale exercitium ipſius libertatis: ergo eſt imperfecta libertas illa libertas, quæ poteſt mutare actus ſuos liberos, ergo ſpectat ad perfectionem libertatis non poſſe mutare decreta ſemel ſtabilita.

11. Hinc eſt, quód illa contingentia, quæ debet eſſe in quolibet decreto libero Dei, ſiué in quolibet exercitio libertatis diuinæ, eſt longé diuerſa ab illa contingentia, quam inuenimus in omnibus rebus creatis eſſentialiter imperfectis. Illa contingentia, qua contingit mundum eſſe, non ſolúm eſt contingentia, vt mundus, qui nunc eſt, potuerit non eſſe, ſed etiam eſt contingentia, vt iſte mundus, poſito quód eſt, poſſit tranſire de ſtatu exiſtentiæ, ad ſtatum non exiſtentiæ, quia mundus, qui eſt, nõ ſemper neceſſarió eſt, eſse enim & ſemper eſſe ſine potentia non exiſtendi, eſt tale eſſe, vt non poſſit conuenire rei creatæ. Quod ſi aliquando aliquid eſt, & creatum non eſt, ſemper eſt, quiquid enim eſt, & creatum non eſt, poſito, quod ſemel eſt, ſemper eſt, atque adeó non poteſt á ſtatu exiſtentiæ tranſire ad ſtatum non exiſtentiæ. Ratio á priori eſt, quia id, quod aliquando eſt, & creatum non eſt, habet durationẽ indiuiſibilem & permanentem, nimirúm durationem á parte ante &

te & à parte poſt empiternam, nulla enim alia duratio eſt poſſibilis permanens, & indiuiſibilis, præter durationem à parte ante, & a parte poſt ſempiternam, ergo id quod aliquando eſt, & creatum non eſt, ſemper eſt. Quare decretum liberum Dei, quod procul dubio non eſt aliquid creatum, cum ſit exercitium increatum libertatis increatæ, ſi ſemel eſt, ſemper eſt, immó habet neceſſitatem metaphyſicam vt ſemper ſit, poſito quód aliquando eſt, ſicuti ens neceſſarium habet metaphyſicam neceſſitatem non tranſeundi de ſtatu exiſtentiæ ad ſtatum non exiſtentiæ, eſt enim vtrobique par ratio quantùm ad metaphyſicam neceſſitatem non amittendi illud eſſe, quod habet: ratio huius neceſſitatis patet, quia ſicuti repugnat idem eſſe ſimul & non eſſe, nihil enim eſt quod poſito quód ſit, non habeat metaphyſicam neceſſitatem exiſtendi in illo inſtanti quod eſt mẽſura propriam ſui eſſe, ut docui in tractatu de compoſitione continui, ita repugnat, vt decretum liberum Dei aliquando ſit, & non ſemper ſit, alioquin eſſet ſimul, & non eſſet, quia illud inſtans, quod eſt menſura propria actus liberi Dei, eſt tota aeternitas.

12 Dico 2. actus liber, ſiue decretum liberum, quo Deus vult mundum, potuit non eſſe ſecundũ hanc denominationem decreti volentis mundum: quod autem dico de hoc decreto, quo Deus decreuit mundum eſſe, dicendum conſequenter eſt de quocunque decreto ſiue actu diuinæ.

13 De libertatis ratio patet, quia non poteſt inueniri libertas ſine contingentia: ſed in illo actu libero, quo Deus vult mundum eſſe, eſt libertas in actu ſecundo, hic enim actus eſt formale exercitiũ libertatis diuinæ, ergo neceſſe eſt in hoc actu libe-

ro

ro eſſe aliquam contingentiam: ſed contigentia huius actus liberi non eſt talis naturæ, vt poſſit huiuſmodi actus tranſire de eſſe ad non eſſe, eſt enim decretum immutabile, ergo eſt contingens illo genere contingentiæ, quo potuit non eſſe id, quod contingenter eſt: ergo potuit non eſſe illud decretum liberum Dei, quod nunc eſt. Præterea decretum, quod neceſſe eſt vt ſemper fuerit, non eſt decretum liberum, ergo decretum liberum potuit non eſſe, ſi enim Deus potuit nolle mundum, quem voluit eſſe, potuit etiam non eſſe hæc denominatio Dei volentis mundum eſſe, ſed iſta denominatio eſt decretum liberum Dei, ergo potuit non eſſe decretum liberum Dei quantùm ad hanc formalitatem ſiue denominationem. Hinc vna formalitas denominat Deũ volentem, alia denominat Deum volentem mundum: vtraque denominatio eſt in Deo, ſed vna eſt neceſſaria, alia libera, quia Deus ita vult, vt non potuerit non velle, ita tamen vult mundum, vt potuerit non velle mundum: illa igitur forma, quæcunque tandem res & forma ſit, quæ eſt cauſa cur Deus voluerit mundum potius quam non mundum, potuit non eſſe, licet poſito quod fuerit, debeat ſemper eſſe.

14 Dico 3. Decretum liberum, quo Deus vult mundum, ſemper fuit, adeoque ab æterno fuit quilibet actus liber Dei.

15 Ratio eſt, quia tunc Deus liberé decreuit mundum eſſe, quando fuit totum id, quod erat neceſſarium vt Deus libere decerneret mundum aliquando futurum: ſed ab æterno fuit quidquid erat neceſſarium, vt Deus liberé vellet mundum aliquando futurum, ergo Deus ab æterno habuit decretum, quo liberé voluit mundum in tempore futurum. Ma: patet, quia in tantum ego non decerno

cerno nunc libere quod ſum facturus in poſterum; quia nunc non habeo totum id, quod requiritur ad decernendum modo, quod in poſterum faciam, multa enim in poſterum cognoſcam, quæ modo non cognoſco, eaque ſunt neceſſaria vt cognoſcam ad conſtituendum quid mihi expediat facere. Mi: probatur, quia nihil eſt quod Deus fluente tempore cognoſcat, & ante omnia tempora non cognouerit, alioquin Deus ab æterno aliquod ignorauit ex his, quorum habet in præſenti cognitionem certiſſimam, quod apertè repugnat infinitæ ſapientiæ: nihil igitur poteſt intellectus diuinus repræſentare diuinæ voluntati in tempore circa mundum, an expediat illum eſſe vel non eſſe, quod eidem ab æterno non repræſentauerit: fuit igitur ab æterno quidquid erat neceſſarium, vt Deus ſtatueret liberè quidquid vellet circa exiſtentiam vel non exiſtentiam mundi: adeoque fuit ab æterno illud decretum, quo Deus liberè conſtituit mundum in tempore futurum. Addo quód ſicuti repugnat intellectui diuino aliquid noſſe in tempore, quod ab æterno ignorabat, ita repugnat diuinæ voluntati aliquid velle in tempore, quod ab æterno non voluit: inde eſt fuiſſe ab æterno liberum decretum Dei earum rerum, quæ in aliqua temporis differentiâ contingenter exiſtunt, vel contingenter non exiſtunt.

16. Ad primúm: æquiuocatio argumenti eſt in tranſitu ab illo inſtanti, in quo eſt voluntas libera Dei volentis mundum eſſe, ad illud inſtans, quod eſt obiectum huius voluntatis: inſtans, in quo eſt voluntas libera Dei volentis mundum nunc eſſe; eſt inſtans diuinæ æternitatis, quod eſt inſtans indiuiſibile, & permanens, eſt enim inſtans ſempiternum: illud veró inſtans, quod eſt obie-

ctum

ctum huius voluntatis, eſt illud inſtans temporis in quo mundus eſt, quia nimirùm Deus voluntate libera, quæ ſemper fuit, vult mundum eſſe in illo inſtanti temporis, in quo mundus eſt, quia nimirùm Deus voluntate libera, quæ ſemper fuit, vult eſſe mundum in illo inſtanti temporis, in quo eſt mundus. Quare mundus tùm eſt, quando Deus liberé vult mundum eſſe, ità tamen, vt in eo inſtanti mundus ſit, quod obijcitur diuinæ libertati volenti mundum eſse. Hinc tamen non ſequitur, quòd voluntas libera, qua Deus vult mundum eſse, non poſſit antecedere ipſam exiſtentiam mundi, immó ſequitur opoſitum, quia non poteſt mundus eſse in eo inſtanti temporis, quod obijcitur diuinæ voluntati, niſi Deus ab æterno voluerit mundúm eſse in eo inſtanti, in quo exiſtit. Efficacia igitur voluntatis diuinæ in eo præcsé conſiſtit, quód illa res, quam efficaciſſimè vult, tunc exiſtat, quando eam vult exiſtere, quod optimè componitur cum voluntate, quæ antecedit æternitate exiſtentiam rei volitæ. Non eſt igitur neceſſe ad efficaciam voluntatis diuinæ, vt res, quam vult, coexiſtat ſemper huic voluntati, immó eſt neceſse, vt non ſemper coexiſtat, quia hæc voluntas non vult ſemper exiſtere id, quod vult aliquando exiſtere: eodem pacto nos poſsumus habere in præſenti voluntatem efficaciſſimam ambulandi poſt horam, in quo caſu voluntas efficax ambulandi antecedit duratione actum ambulandi.

17. Ad ſecundum: diſt: antec: nil obſtat, quominùs Deus habeat in tempore aliquam denominationem immediatè, ſibi liberam, quam ab æterno non habuit: nego antec: : mediatè ſibi liberam: conc: antec: & ne: conſ: hoc eſt diſcrimen inter voluntatem, quæ vult producere mundum, & actio-

nem,

nem, quæ producit mundum, quòd voluntas producendi mundum eſt æterna, adeoque denominat Deum ab æterno volentem producere mundum, actio verò, quæ producit mundum, eſt temporalis, adeoque denominat Deum producentem in tempore id, quod voluit producere voluntate æterna: indè eſt quòd Deus ab æterno voluit producere mundum, cumque ab æterno non produxit. Vtraque denominatio eſt libera Deo, quia eſt liberum Deo non ſolùm velle producere mundum, ſed etiam producere mundum: actio tamen, qua Deus producit mundum, eſt libera Deo mediatè, non immediatè, voluntas verò, qua Deus vult producere mundum, eſt libera Deo immediatè. Ratio eſt, quia in tantùm Deus producit liberè mundum, in quantùm vult liberè producere mundum, ergo actio, qua producit mundum, denominatur libera ab illa libertate, qua eſt liberum Deo velle producere mundum, ergo voluntas producendi mundum eſt libera immediatè, & actio producens mundum eſt libera mediatè, eo pacto quo actiones externæ ſunt liberæ dependenter à libertate actus interni. Quemadmodum igitur ambulare non eſt mihi liberum, niſi illa libertate, qua eſt mihi liberum velle ambulare, ita producere mundum eſt liberum Deo illa libertate, qua eſt liberum Deo velle producere mundum: indè eſt, quòd velle producere mundum eſt liberum Deo immediatè, producere autem mundum eſt liberum mediatè, quemadmodum velle ambulare eſt mihi liberum immediatè, & ambulare eſt mihi liberum ſolùm mediatè. Ratio, cur aliqua denominatio mediatè libera poſſit Deo conuenire in tempore, quæ ab æterno non conueniebat, & non poſſit denominatio immediatè libera, eſt manifeſta, quia deno-

denominatio mediatè libera poteſt eſſe extrinſeca rei denominatæ, denominatio verò immediatè libera debet eſſe intrinſeca rei denominatæ: atqui non repugnat vt Deus habeat in tempore aliquam denominationem extrinſecam, quam ab æterno non habuit, igitur non repugnat, vt habeat in tempore denominationem mediatè liberam, quam ab æterno non habuit. E contrariò repugnat, vt Deus habeat in tempore denominationem intrinſecam, quam ab æterno non habuit, repugnat igitur, vt in tempore habeat denominationem immediatè liberam, quam ab æterno non habuit.

18. Ad 3. conc.ma. & ne.mi: duplex eſt prioritas, vna naturæ, alia durationis: illa non excludit coexiſtentiam duarum rerum, quarũ vna eſt prior alia poſterior: hanc excludit prioritas durationis, vt patet. Hinc prioritas naturæ non excludit durationem æternam ab illa re, quæ eſt poſterior natura, licet hanc durationem excludat prioritas durationis, quia repugnat ſemper fuiſſe illam durationem, ante quam fuit alia. Deus antecedit actus ſuos liberos prioritate naturæ, quia in priori ad ſuum decretum eſt phyſicé indifferens, vt decernat vel non decernat rem quam decernit: non antecedit prioritate durationis, quia actus liberi Dei ſunt æterni, ſicuti Deus eſt æternus. Eodem modo diſcurre de actibus liberis Dei, ſicuti diſcurris de mundo in ea hypotheſi, in qua fuiſſet ab æterno, ſicuti enim Deus in hac hypotheſi fuiſſet ante mundum prioritate naturæ, non prioritate durationis, ita Deus fuit ante decretũm ſuum liberum prioritate naturæ non durationis. Hinc patet ad confirmationem argumenti, quia actus primus libertatis diuinæ antecedit actum ſecundũm natura non duratione.

15. Ad quartum: diſt: antec: nihil contingens fuit ab æterno diſtinctum ab actu libero Dei conc: antec: indiſtinctum ab actu libero Dei: nego antec: & conſ: Eſt indubitatum lumine fidei, & quantum arbitror, etiam lumine rationis nihil fuiſſe ab æterno diſtinctum a Deó, adeoque nihil contingens extrinſecum Deo fuſſe ab æterno. Non eſt certum nihil contingens fuiſſe ab æterno intrinſecum Deo, quia ſi actus liberi Dei complentur, per aliquid intrinſecum Deo, de qua re dicam in ſequenti quæſtione, neceſſe eſt fuiſse ab æterno, aliquod contingens intrinſecum Deo, eſt enim indubitatum fuiſſe ab æterno actum liberum Dei, ſicuti ab æterno fuit ipſe Deus.

20. Ad vltimum: eodem modo diſcurrendum eſt de amore Dei amantis vnum & eundem hominem vno tempore, & alio tempore non amantis, quo diſcurrimus de illo decreto, quo Deus ab æterno voluit mundum eſſe nunc, & non voluit eſse ante ſex annorum millia, eodem enim decreto Deus conſtituit mundum eſse eo tempore, quo mundus eſt, & conſtituit non eſſe eo tempore, quo non eſt: quare non eſt neceſse Deum aliquid velle nunc, quod ab æterno non voluit, vt Deus velit aliquam rem eſse in vna temporis differentia, eamque non velit eſſe in alia temporis differentia. Hinc Deus ab æterno habuit amorem ſibi liberum quo amauit Iudam eo tempore, quo fuit vocatus á Chriſto ad Apoſtolatum, eumque non amauit eo tempore, quo Chriſtum vendidit. Idem dico de amore libero Dei, quo Deus ab æterno amauit Petrum pro eo tempore, quo ſuam culpam retractauit, eumque non amauit pro eo tempore, quo in culpam incidit. Vndè patet nullam eſſe vmbram mutationis in Deo, quando Deus amat hominem

nem dum tranſit à ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ.

QVAESTIO III.

Vtrum actus liberi Dei compleantur per aliquid extrinſecum & exiſtens in tempore.

1. HVc vſque fuerunt diſputata, quæ ſunt apud omnes certa, qui rectè ſentiunt de libertate Diuina, quia inter omnes conuenit duo eſſe, quæ ſignificat denominatio Dei liberé volentis mundum, vnum in recto, pro quo ſupponit hæc denominatio nimirúm eſſe Diuinum, quod eſt actus ſimpliciſſimus intelligendi & volendi indifferens, vt velit, vel non velit mundum: aliud in obliquo, quod intrinſecè conſtituit hanc denominationem, licét non ſit id, pro quo ſupponit hæc denominatio, nimirúm actuale exercitium libertatis diuinæ, ſiué illa forma, quæ formalitér determinat actum ſimpliciſſimum diuinæ voluntatis, vt mundum potiús, quám non mundum velit; repugnat enim in terminis, vt actum diuinæ voluntatis ex natura ſua indifferentem nihil determinet formaliter ad vnam potiús, quám aliam rem eligendám. Hanc formam alij vocant terminationem liberam, alij actuale exercitium diuinæ libertatis, alij complementum actus liberi diuini, álij applicationem liberam, quia ea intellecta ſtatim intelligitur actus ſecundus diuinæ libertatis, ea non intellecta nondum intelligitur actus ſecundus diuinæ libertatis, ſed ſolúm intelligitur

actus

actus primus indifferens ad hunc, vel illum actum ſecundum libertatis diuinæ: hinc dicitur complere & terminare actum diuinæ libertatis, quia per hanc formam actus ſimplicisſimus diuinę libertatis applicatur ad volendam illam rem, quam libere vult, quidquid ſit de varietate nominum, quibus hæc forma appellatur, re enim intellecta non eſt operæ pretium dimicare de voce. Eſt indubitatum eſſe aliquam contingentiam in huiuſmodi forma, ſiué in hoc complemento actus liberi diuini, quia ſecluſa contingentia nulla remanet libertas, adeóque excludere quamlibet contingentiam eſt formaliſsimé excludere á cauſa prima libertatem, adeóque eſt incidere in errorem Ariſtotelis non ſolúm fidei Catholicæ, ſed etiam lumini naturæ ſatis repugnantem.

2. Quid ſi huiuſmodi forma, quæ eſt complementum actus liberi diuini, non ſatis conſtat apud Scholaſticos, qui de hac re diſputarunt, in hac enim re, vnde pendet concordia libertatis diuinæ cum diuina immutabilitate, quot capita, tot ſentētiæ: ex quo poteſt intelligi, quám arduum ſit in hac lite decidenda verum attingere. Duo ſcopuli debent euitari, in quorum vnum videtur offendere, qui alium declinat, nimirùm, Deum poſſe mutari & deficere, & Deum non eſſe liberum, quæ videntur inter ſe ita viciſsim connecti, vt egrè poſſit ſe ab vno errore expedire, quin ſtatim in alium incurrat quicunque philoſophatur de complemento actus liberi. In eam igitur curam debet incumbere Philoſophus, qui hanc controuerſiam aggreditur, né tantùm tribuat diuinæ immutabilitati, vt re ipſa libertatem excludat, vel è contrarió, tantúm libertati, vt in diſcrimen adducat ipſam immutabilitatem: ſicuti in re ſimili opus eſt magna

dex-

dexteritate in componenda efficacia diuini concurſus cum noſtra libertate, quia prima ſpecie videtur opponi Deum efficaciter velle, quod nunc volo, & me liberè velle, quæ tamen re vera nullam habent oppoſitionem, vt demonſtratum fuit. Huiuſmodi controuerſiam, quæ in hoc vertitur, intrinſeca né, an extrinſeca Deo ſit forma quæ complet actum liberum Dei, non enim poteſt eſſe media alia ſententia, hanc, inquam controuerſiam apud nullum ex antiquioribus Scholaſticis inuenies agitatam, cuius rei mihi non eſt, adhuc ſatis perſpecta cauſa, niſi forte viros doctos deterruit ab inueſtigando vero difficultas, né dicam, impoſsibilitas inueniendi veri; multa de hac re diſputauit Caietanus & poſt Caiet. omnes noſtræ ſcholæ Doctores, ex quibus duos ſeligo vicisſim oppoſitos, vt decernam in præſenti controuerſia vter verum attingat, Vaſquez, & Suarium, quorum alter credidit eſſe extrinſecum Deo, alter intrinſecum complementum actus diuini liberi. Primum igitur audiamus Vaſquez, qui in ea ſententia fuit, quód intrá Deum nihil ſit, quod in genere cauſæ formalis determinet actum voluntatis diuinæ ad mundum potiús, quám non mundum volendum, vt conſtat ex ijs, quæ ſcripſit in prim. S. Thomæ part. quæſt. 80. cap. 2. quia nimirùm in Deo nihil eſt contingens, nihil defectibile, atque adeó id, quód eſt complementum huiuſmodi actus quo Deus vult mundum, non eſt Deo intrinſecum, eſt enim contingens & defectibile. Quid ergo eſt, quod in genere cauſæ formalis eum determinat, vt mundum potiús quám non mundum velit? eſt ipſe mundus á Deo conditus, inquit iſte Doctor, quia cum volitio diuina indifferens ad volendum mundum potiús quám non mundum

hoc munus præſtare poteſt ille ipſe mundus, quem Deus extra ſe condidit, quod autem ait de actu diuinæ voluntatis circa mundum potiús quam non mundum, conſequentér dicit de cognitione diuina indifferente, vt cognoſcat mundum vel non mundum, ea enim determinatur formaliter ab ipſo mnndo, vt ſit applicata mundo magis quàm non mundo, adeóque ſit cognitio mundi, quamuis poſſit eſſe cognitio non mundi. In hunc modum explicat Vaſquez contingentiam ſcientiæ diuinæ contingentis, & complementũ extrinſecum diuinæ libertati, quá in re eſt ſatis prouiſum diuinæ immutabilitati, quia totam mutabilitatem, & totam defectibilitatem, quam videtur ſignificare contingentia & libertas, refundit Vaſquez in mundum ſine dubio mutabilem atque defectibilem. Vtinam hic modus explicandi actus liberi diuini libertatem tueretur perindé, ac immutabilitatem, nihil enim eſſet, quod me ab hac ſententia remoueret: quia veró cenſeo non poſſe retineri verum conceptum libertatis ſi complementum actus liberi eſt Deo extrinſecum, vt mox oſtendam, ideo non poſſum huic Doctori in hac re acquieſcere, vt enim rectè ait Ariſtoteles opus eſt ad omnia attendere, non eſt igitur ſatis, ad hanc controuerſiam pro dignitate expediendam, attendere ſolam immutabilitatem, quia Ariſtoteles negauit Deum eſſe liberum, vt aſſereret immutabilem.

3. Sententiam hanc Vaſquez plurimi Recentiores probarunt vtpoté idoneam ad explicandum quomodo Deus ſit immutabilis & liber: quia veró ſunt multæ difficultates, quibus vrgetur hæc ſententia, ideo multi ſunt, qui inhærendo doctrinæ ab hoc Doctore traditæ, eamque promouendo, eſt enim facilè inuentis addere, aiunt, diuinam

voli-

volitionem indifferentem ad creandum mundum propter hunc vel illum finem, determinari ad illum creandum propter vnum finem potiús, quam propter alium ab illa eadem actione, qua mundum producit: hinc eſt, quòd ſi Deus creaſſet mundum propter finem diuerſum ab illo, propter quem creauit, complementum illius actus liberi fuiſſet actio diuerſa ab illa actione, qua fuit in præſenti creatus: quiá vero ſunt plurimi actus liberi, quibus Deus nihil operatur intrinſecum illi rei; de qua aliquid decernit, vt patet in diuina voluntate, quæ aliquid vult inefficacitér, leges condit, pœnam condonat, & præmium promittit, ideo aliqui ex recentioribus, docent applicationẽ liberam diuinæ volũtatis huic obiecto eſſe aliquam entitatem temporalem, quæ forma formaliter determinans volitionem diuinam ad hanc rem potiús quám ad aliam, vel ad vnam & eandem rem, hoc modo potiús, quàm alio volendam. Hinc opinantur eſſe poſſibilem aliquam entitatem, quæ nullum aliud munus præſtet, quám applicare diuinam volitionem vni obiecto potiús quàm alteri: hanc entitatem dicunt eſſe ipſum actuale exercitium diuinæ libertatis, fieri enim non poteſt, vt ea exiſtente volitio diuina non ſit applicata huic obiecto potiús quam alteri, ſicuti fieri non poteſt, vt exiſtat id, quòd formaliter determinat albedinem ad inhærendum parieti, & paries non ſit albus.

4. Hanc ſententiam de complemento actus liberi diuini extrinſeco & temporali huiuſmodi auctores vnà cum eodem Vaſquez his argumentis confirmant. Primó: complementum actus liberi debet eſſe tale, vt componatur cum diuina immutabilitate, ſed ſolúm complementum extrinſecum Deo componitur cum diuina immutabilitate, ergo

ſolum complementum extrinſecum Deo eſt complementum actus liberi Dei. Min: eſt certa, túm quia complementum extrinſecum Deo nihil detrahit de diuina indefectibilitate, etiam ſi ſit defectibile, tùm quia ſi complementum eſt intrinſecum Deo, ſequitur Deum eſſe defectibilem.

5. Secundó: non repugnat, vt Deus denominetur volens libere mundum per aliquod extrinſecum Déo, ergo poteſt aliquid eſſe Deo extrinſecum & complere actum liberum Dei volentis mundum. Antecedens prob; quia Deum liberé velle mundum eſt formaliſſimè actum ſecundum diuinæ volitionis applicari mundo potiùs quam non mundo, ſed non repugnat actum diuinæ volitionis applicari mundo potiùs quám non mundo per aliquod extrinſecum Deo, vt enim Deus denominetur intrinſecè volens mundum, ſatis eſt, quód forma denominans ſit intrinſeca Deo, quidquid ſit de illa re, quæ applicat hanc formam, ergo &c.

6. Tertió: per illud idem conſtituitur Deus volens liberè mundum & cognoſcens contingentèr mundum eſſe, per quod conſtituitur cognoſcens verè mundum, ſed conſtituitur cognoſcens verè mundum per aliquid extrinſecum exiſtens in tempore, ergo conſtituitur volens libere mundum per aliquid extrinſecum exiſtens in tempore. Min: patet, quia cognitio, qua Deus cognoſcit mundum eſſe, eatenús eſt vera, quatenùs mundus eſt, érgo ipſe mundus exiſtens in tempore conſtituit verám cognitionem diuinam. Ma:prob: túm quia nullum eſt diſcrimen inter cognitionem diuinam, & cognitionem veram, repugnat enim cognitio diuina non vera, ergo illud idem quód conſtituit veram cognitionem Dei cognoſcentis mundum eſſe, eandem conſtituit applicatam mundo: tùm

quia

quia non minùs repugnat, vt complementum actus veri ſit extrinſecum eidem actui, & complementum actus liberi ſit eidem extrinſecum, ergo vel vtrunque vel neutrum repugnat.

7. Vltimò: non eſt neceſſe, vt exiſtant phyſicè omnia, quæ conſtituunt aliquam denominationem, quando eſt talis denominatio, vt patet in denominatione aquæ benedictæ, domus antiquæ, hoſtiæ conſecratæ, & propoſitionis veræ de re præterita vel futura, ergo potuit Deus velle ab æterno mundum voluntate ſibi libera, etiam ſi ab æterno non fuerit phyſicè, quidquid conſtituit actum liberum Dei volentis mundum, ergo decretum liberum Dei exiſtens ab æterno poteſt conſtitui per aliquod extrinſecum & temporale.

8. Contra hanc ſententiam dico eſſe manifeſtam repugnantiam, vt exercitium libertatis diuinæ ſit aliquid extrinſecum Deo & exiſtens in tempore; illa enim eadem euidentia, qua euidens eſt Deum eſſe liberum, eſt euidens non eſſe aliquid creatum & extrinſecum Deo complementum actus liberi diuini. Duo ſunt hîc demonſtranda, nimirùm, repugnantia vt aliquid extrinſecum Deo ſit complementum actus liberi diuini, & repugnantia vt aliquid exiſtens in tempore conſtituat intrinſecè decretum liberum Dei, quod fuit ab æterno, vtrunque enim docet hæc ſententia Vaſquez, quam oppugnamus, vtpotè lumini naturæ repugnantem.

9. Quòd ad primam partem ſpectat, pluribus demonſtro repugnare, vt aliquid extrinſecum Deo, compleat actum liberum Dei, illum, nimirum, actum, quo Deus libere vult mundum eſſe. Demonſtro primò ex capite libertatis, quam exiſtimo euerti ab hac ſententia, quæ hoc modo com-

ponit libertatem cum immutabilitate. Repugnat actui libero determinatio, quæ non eſt ab intrinſeco: ſed complementum extrinſecum actui libero eſt determinatio actus liberi, quæ non eſt ab intrinſeco, ergo complementum actus liberi extrinſecum actui libero repugnat actui libero, ergo dicere actum liberum Dei compleri per aliquid extrinſecum Deo eſt ſibi contradicere, ergo ſententia, quæ ad componendam libertatem cum immutabilitate, vtitur complemento extrinſeco, euertit ipſam libertatem. In hoc ſyllogiſmo opus eſt demonſtrare veritatem vtriuſque præmiſſæ, quantúm arbitror manifeſtam. Ma: igitur propoſitio itá oſtenditur, quia inter actum liberum, & non liberum hoc diſcrimen eſt, quód formalis determinatio, quæ determinat actum non liberum, eſt extrinſeca habenti actum ſibi non liberum, & formalis determinatio, quæ determinat actum liberum, eſt intrinſeca habenti actum ſibi liberum: cur enim ignis, qui calefacit meam manum, habet actum calefaciendi ſibi non liberum? quia nimirû formalis determinatio, quæ determinat ignem ad calefaciendam manum, eſt ab extrinſeco, nihil enim eſt in igne, vndé ignis ſe determinet: prætereá cur materia, quæ recipit formam, eam recipit modo ſibi non libero? quia formalis determinatio prouenit ab extrinſeco: é contrarió cur ego, qui amo Petrum habens poteſtatem non amandi, amo liberé, & habeo actum mihi liberum? quia nimirúm formalis determinatio, quæ determinat me ad amandum potiús quam non amandum, eſt á me, adeóque eſt á principio intrinſeco: ſecluſa enim hac determinatione ab intrinſeco nullum eſt diſcrimen inter me, qui amo Petrum, & ignem qui calefacit manum, vel materiam quæ recipit formam,

mam, eſt enim vtrobique determinatio ab extrinſeco. Ratio à priori, cur rationi actus liberi repugnet determinatio, quæ non eſt ab intrinſeco, peti debet ex natura actus liberi, qui formaliſſimé eſt ipſa formalis electio vnius rei præ alia: ſed formalis electio vnius rei præ alia eſt formaliſſimé determinatio ab intrinſeco, determinatio enim ab extrinſeco non eſt electio, vt ſignificat ipſum nomen electionis, ergo formalis electio vnius rei præ alia eſt formaliſſimé determinatio ab intrinſeco: ergo repugnat rationi formali actus liberi determinatio ab extrinſeco, ergo actus liber, qui eſt determinatio libera ab extrinſeco, eſt actus liber qui non eſt actus liber. Addo quòd ſicuti repugnat neceſſitas antecedens illi indifferentiæ, quæ debet conſtituere actum primum libertatis, ita determinatio ab extrinſeco repugnat determinationi mihi liberæ, quæ conſtituit actum ſecundum meæ libertatis, eo enim pacto, quo non poteſt intelligi me eſſe indifferentem ad te amandum, vel non amandum, ſi habeo neceſſitatem antecedentem te amandi, neque poteſt intelligi me tranſire ab hoc ſtatu indifferentiæ ad electionem amoris mihi liberam, niſi illa forma, quæ eſt cauſa cur tranſeam ab indifferentia ad determinationem, ſit mihi ab intrinſeco. Eſt igitur indubitata hæc propoſitio: *repugnat actui libero determinatio, quæ non eſt ab intrinſeco,* quam aſſumpſi in primo ſyllogiſmo ad demonſtrandam repugnantiam ſententiæ, quàm hic oppugnamus.

10. Non minùs euidens eſt altera propoſitio nimirùm; *complementum extrinſecum actui libero eſt determinatio, quæ non eſt ab intrinſeco,* tùm quia hoc ipſum opinatur ſententia de qua hic ſermo eſt, ait enim non eſſe intrinſecam Deo, adeóque non

eſſe Deo ab intrinſeco illam formam, quæ applicat volitionem Dei huic obiecto potiùs quàm alteri, Deumque denominat volentem libere illud ipſum, quod vult: tùm quia repugnat, vt aliquid ſit mihi ab intrinſeco, & non ſit mihi intrinſecum, ergo repugnat, vt complementum liberum Dei ſit Deo ab intrinſeco, & non ſit Deo intrinſecum. Ratio eſt, quia quidquid eſt mihi ab intrinſeco, eſt mihi intrinſecum, vt patet inductione: cognitio, qua ego te cognoſco, quia eſt mihi ab intrinſeco, eſt mihi intrinſeca: amor, quo te liberé amo, quia eſt mihi ab intrinſeco, eſt etiam mihi intrinſecus, ergo eſſe intrinſecum ſequitur neceſſarió ad ipſum eſſe ab intrinſeco, licét enim fieri poſſit, vt aliquid ſit mihi intrinſecum, & non ſit mihi ab intrinſeco, vt patet in ipſa exiſtentia, quæ eſt mihi intrinſeca, & mihi non eſt ab intrinſeco, nihilominús fieri non poteſt, vt aliquid ſit mihi ab intrinſeco, & mihi non ſit intrinſecum. Ratio á priori eſt, quia eſſe ab intrinſeco includit vnionem phyſicam, vel identitatem formæ denominantis cum re denominata, ea enim forma, quæ denominat me habentem aliquid ab intrinſeco eſt in me phyſicé, vel per vnionem phyſicam ſui cum me, vel per identitatem ſui cum me, quæ eſt longé nobilior ipſa vnione: ſed vnio phyſica, vel identitas formæ denominantis cum re denominata ſignificat denominationem intrinſecam rei denominatæ, ergo eſſe ab intrinſeco eſt formaliſſimé prædicatum intrinſecum rei, quæ habet ab intrinſeco hanc denominationem: repugnat igitur in terminis complementũ extrinſecum actus liberi, & complementum, quod actus liber habet ab intrinſeco. Addo, quód intellectus diuinus ideo habet ab intrinſeco actum intelligendi, quia habet á ſe actum intelligendi

gendi á ſe indiſtinctum, intellectus humanus ideo habet ab intrinſeco cognitionem, qua cognoſcit; quia habet ſe aliquo modo cognitionem á ſe diſtinctam, & ſibi phyſicé inhærentem. Hinc eſt; quòd exercitium diuinæ libertatis, de quo hic quæſtionem habemus, vel non eſt Deo liberum, vel eſt aliquid intrinſecum Deo; ſicuti enim repugnat vt ego, qui ſum indifferens ad amandum te, me determinem ad amandum te ſine vlla determinatione mihi intrinſeca, ita repugnat vt Deus, qui eſt indifferens ad volendum, vel non volendum mundum, determinetur ad volendum ſine determinatione ſibi intrinſeca. Neque hoc argumentum ſoluit, vt aduerſarij contendunt, diſpar ratio inter diuinam libertatem, & meam libertatem, quæ in eo coſiſtit. quód Deus eſt indifferens ad applicandum ſuam volitionem mundo vel non mundo, & ego ſum indifferens ad applicandum mihi actum, qui denominat te amatum á me, quia in vtraque libertate eſt aliqua indifferentia eſſentialiter requiſita ad actum liberum, in diuina eſt indifferentia ad applicandam mundo volitionem; in mea libertate eſt indifferentia ad applicandum amorem tui meæ volitioni, adeóque ſicuti eſt in mea poteſtate applicare mihi, vel non applicare amorem tui, ita eſt in poteſtate Dei applicare mundo, vel non applicare volitionem ſuam. Quare ſicuti (in hoc enim conſiſtit paritas) non poſſum me determinare ad applicandum mihi huiuſmodi amorem per determinationem mihi extrinſecam, alioquin non applicarem mihi liberè hunc amorem, ita Deus non poteſt applicare volitionem ſuam mundo per determinationem ſibi extrinſecam, quia eſt liberum Deo applicare mundo litionem ſuam.

11. De-

11. Demonſtrō ſecundō eandem repugnantiam ex capite infinitæ perfectionis, cui repugnat complementum extrinſecum actus liberi, in hunc modum. Repugnat infinitæ perfectioni indigere aliqua re ſibi extrinſeca, ergo infinita perfectio vel non eſt libera, vel complementum actus liberi quo eſt libera infinita perfectio, non eſt aliquid extrinſecum infinitæ perfectioni, ergo actus liberi Dei non complentur per aliquid extrinſecum Deo. Conſequentia probatur, quia perfectio libera non poteſt eſſe ſine quolibet complemento actus liberi, non poteſt enim eſſe actus primus libertatis ſine actu ſecundo libertatis, qui eſt complementum actus liberi; ergo infinita perfectio, vel non eſt libera, vel non poteſt eſſe ſine aliquo complemento actus ſui liberi: ſed infinita perfectio poteſt eſſe ſine qualibet re ſibi extrinſeca, quocunque tandem nomine hæc res vocetur, alioquin haberet indigentiam rei à ſe diſtinctæ, quod repugnat infinitæ perfectioni; ergo infinita perfectio, vel non eſt libera, vel complementum ſui actus liberi non eſt aliquid ſibi extrinſecum: ſed euidens eſt infinitam perfectionem eſſe liberam, ergo euidens eſt complementum actus liberi non eſſe eidem extrinſecum. Summa huius argumenti conſiſtit in eo, quòd infinita perfectio, quæ eſt ſummum verum, ſummum bonum, & ſummum eſſe, poteſt ad arbitrium dicere: nolo extra me eſſe aliud bonum, ego enim ſum bonum ſummum: nolo extra me eſſe aliud ens, ego enim ſum ens ſummum: nolo extra me eſſe aliud verum, ego enim ſum verum ſummum: ſi enim hoc non poteſt velle, non eſt infinitum verum, indiget enim aliquo verò à ſe diſtincto. Quod ſi hoc poteſt velle manifeſtum eſt non eſſe extrinſecum Deo id, quòd com-

plet

plet eiuſdem actus liberos; quia non poteſt Deus eſſe & non eſſe aliquid, quòd compleat actum liberum Dei: repugnat enim vt Deus careat omni exercitio libertatis ſuæ.

12. Demonſtro tertiò: eandem rem ex capite actus liberi Dei. quo nihil vult eſſe, hoc pacto, vel omnis actus diuinæ libertatis completur per aliquid extrinſecum Deo, vel nullus: non omnis, ergo nullus: Ma: patet, min:prob: actum liberum Dei nolentis aliquid eſſe (eſt enim poſſibile hoc decretum) nihil extrinſecum Deo poteſt complere, ergo hoc decretum, vel caret complemento, quod eſt impoſſibile, vel completur per aliquid intrinſecum Deo. Probo antec: quid eſt Deo extrinſecum, quod complet actum liberum Dei nolentis aliquid eſſe? an aliquod ens poſitiuum? at Deus nullum ens poſitiuum vult eſſe extra ſe: repugnat enim vt aliquid ſit extra Deum, cum Deus nihil extra ſe vult eſſe: an aliquod ens negatiuum? at hoc eſt indiſtinctum ab ente poſitiuo, quod excludit rem negatam, vt oſtenſum fuit in tractatu de ente negatiuo: nihil eſt igitur, quod compleat hoc decretum liberum Dei. Ne tamen redarguar, quaſi ad hanc cauſam vincendam adhibeam argumentum deductum ex doctrina dubia, & fortè apud te, cum quo contendo, falſa nimirum ex identitate entis poſitiui cum illa re, quæ mundum negat, libet te inſtantiùs vrgere hoc dilemmate. Ens negatiuum, quod complet decretum liberum Dei nolentis mundum eſſe, vel habet, vel non habet identitatem cum ente poſitiuo, quid dicis? eſt enim tibi liberum vtrumlibet dicere: ſi habet identitatem: infero, ergo eſt aliquod ens poſitiuum extra Deum, quando Deus vult nihil extra ſe eſſe: ſi non habet: infero, ergo hoc ens negatiuum nihil

hil eſt, ergo non eſt, quod enim nihil eſt, non eſt, ergo complementum liberum huius decreti non eſt. Probo conſequentiam, complementum huius decreti eſt id, quòd nihil eſt, quia eſt negatio mundi, quæ per te nihil eſt, ſed id, quód nihil eſt, non eſt, vt patet, & tu ipſe fateris qui dicis, mundo non exiſtente, non eſſe negationem mundi adeóque neque eſſe mundum, neque eius negationem, quod eſt valdè mirabile, ergo non eſt complementum huius decreti, ergo hoc decretum non eſt completum: ſed hoc decretum eſt completum, ergo complementum huius decreti decreti non eſt aliquid extrinſecum Deo. Neque hic confugias ad eſſe ſupertranſcendentale, quaſi hoc ſatis ſit ad complendum actum liberum Dei, quo Deus vult nihil eſſe á ſe diſtinctum: hoc enim eſſe ſupertranſcendentale habet in tua ſententia etiam ipſa chimæra, quæ ſine dubio non poteſt eſſe complementum actus liberi Dei; cum ergo id, quód complet huiuſmodi decretum non habeat niſi eſſe ſupertranſcendentale, quòd habet commune cum chimæra, cogeris conſequentér dicere actum liberum Dei compleri per id, quód non eſt niſi ſupertranſcendentaliter, adeóque non eſt niſi eo modo, quo eſt chimæra, quæ eſſentiáliter non eſt; quis autem ita deſipiat, vt dicat complementum vnius decreti diuini eſſe tale, vt nihil differat á chimæra? an hoc opinari non eſt delirare potiús quám diſcurrere? præterquam quód tibi contradicis, qui dicis hoc decretum compleri ab aliquo exiſtente ſupertranſcendentaliter, quid enim eſt tranſcendentaliter eſſe, niſi habere nunc aliquod predicatum intrinſecum? certè ſi poteſt aliquid nunc habere prædicata intrinſeca, & non eſſe tranſcendentaliter, ignoro quid ſit illud eſſe tranſcendentale, quod omni-

omnibus rebus conuenit, & vagatur per omnia rerum genera? atqui complere actum liberum Dei eſt aliquod prædicatum intrinſecum huius entis negatiui, quod in tua ſententia complet decretum Dei nolentis mundum eſſe, ergo hoc complementum actus liberi Dei habet eſſe tranſcendentale, ſicuti habeo eſſe tranſcendentale ego qui nunc exiſto, & nunc habeo prædicata mihi intrinſeca: ergo quicunque dicit huic complemento eſſe intrinſecum complere actum liberum Dei, & ſimul dicit huiuſmodi complementum eſſe aliquid tantùm ſupertranſcendentaliter, ſibi manifeſtè contradicit.

13. Demonſtro quartò ex capite illius decreti liberi, quo Deus vult mundum eſſe. Repugnat in terminis, vt hoc decretum, quo Deus vult mundum eſſe, compleatur per ipſum mundum; ergo non omne decretum liberum Dei completur per aliquid extrinſecum Deo. Anteced. prob: repugnat, vt effectus conſtituat formaliter ſuam cauſam, ſed mundus eſt effectus illius decreti liberi, quo Deus vult mundum eſſe, ergo repugnat vt mundus conſtituat formaliter hoc decretum, ergo decretum liberum Dei volentis mundum eſſe non completur per ipſum mundum. Vltima conſequentia patet, quia formale complementum actus liberi conſtituit formaliter actum liberum, ergo id, quod non poteſt conſtituere formaliter decretum liberum Dei non poteſt eſſe formale eiuſdem complementum. Ma: patet, túm quia cauſa efficiens adæquatè diſtinguitur à ſuo effectu, túm quia cauſa efficiens debet eſſe in priori ad ſuum effectum. Mi: prob: quia Deus eſt cauſa mundi per voluntatem ſuam liberam, ſecluſa enim voluntate libera Dei non intelligitur cauſa mundi adæquata in actu pri-

mo

mo proximo, licét intelligatur omnipotentia diui-na, quia Deus non operatur ex neceſſitate naturæ: igitur decretum liberum Dei debet eſſe in priori ad ipſum mundum, ergo non poteſt compleri per ipſum mundum, qui eſt in poſteriori ad decretum. Hoc argumentum euincit nihil eſſe factum á Deo, quod poſſit complere actum liberum Dei eſſentia-ter requiſitum ad hoc vt ſit factum, quidquid á Deo eſt factum, ſicuti enim repugnat vt aliquid fa-ctum ab omnipotentia Dei compleat ipſam omni-potentiam á qua eſt factum, ita repugnat vt com-pleat actum liberum Dei id, quód eſt factum ab ipſo actu libero Dei; ſed quidquid exiſtit, eſt fa-ctum á decreto libero Dei, ergo id, quód exiſtit non poteſt complere decretum liberum Dei.

14. Demonſtro vltimó: afferendo varia incon-uenientia, quæ ſequuntur ex hac ſententia quám oppugnamus. In primis ſequitur obiectum non eſſe extrinſecum cognitioni & volitioni, quod con-tradicit toti Metaphyſicæ docenti obiectum eſſe connotatum extrinſecum omnium actuum inten-tionalium, tám intellectus, quám voluntatis: quid enim magis repugnat lumini naturæ, quam me cognoſcere & velle per illud idem, quod cognoſco & volo? certé ſi hoc non eſt euidens nimirúm re-pugnantia, vt aliquis conſtituatur formaliter co-gnoſcens per illud ipſum, quod cognoſcit, neſcio quid poſſit eſſe euidens; atqui ex hac ſententia hoc ſequitur, quia Deus conſtituitur cognoſcens formaliter mundum per ipſum mundum; ſecluſo enim mundo, qui eſt complementum actus liberi, cognitio diuina non eſt cognitio mundi. Ex hac igitur ſententia ſequitur aliquid contrarium lumi-ni naturæ. Addo, quód eidem lumini natu-ræ repugnat non eſſe realiter vitam, non eſſe

reali-

realiter cognitionem, non eſſe realiter amorem illud per quod ſubſtantia rationalis denominatur cognoſcens & amans hoc obiectum: id autem ſequitur ſi complementum actus liberi Dei eſt aliquod extrinſecum Deo, quia nihil extrinſecum Deo eſt realiter vita & cognitio Dei. Deinde nulla eſt actio quæ non poſſit fieri propter plurimos fines, eſt enim probabiliſſimum, non ſolum mundum, ſed etiam actionem, qua mundus fuit factus eſſe indifferentem, vt ſit ex hoc vel illo motiuo: atqui oppoſitum ſequitur, ſi actio, qua factus eſt mundus, complens actum liberum Dei, quo Deus vult mundum eſſe, nihil eſt aliud quám actio productiua mundi, illud enim exercitium, quo Deus exercet ſuam libertatem, non eſt indifferens, vt ſit ab vno motiuo potiús quám ab alio, ergo &c. Præterea eſt probabile illam actionem, qua Deus creat Angelum, eſſe indiſtinctam ab Angelo, ſed poteſt Angelus creari propter diuerſos fines, ergo exercitium diuinæ libertatis non poteſt eſſe aliquid extrinſecum Deo.

15 Quod ſpectat ad alteram partem noſtræ ſententiæ, conſtat hoc argumento, complementum actus liberi Dei non eſſe aliquid exiſtens in tempore. Nihil exiſtens in tempore poteſt conſtituere id quod fuit ab æterno: ſed omnis actus liber Dei fuit ab æterno, vt demonſtratum fuit, ergo nihil exiſtens in tempore poteſt conſtituere actum liberum Dei, ergo repugnat in terminis vt complementum decreti liberi Dei ſit aliquid extrinſecum Deo exiſtens in tempore. Hinc eſt, quód mundus, quem Deus condidit in tempore, non poteſt complere illud decretum liberum quo Deus ab æterno decreuit creare mundum, quia hoc decretum fuit ab æterno, ergo fuit ab æterno complementum huius de-

decreti, ſed non fuit ab æterno mundus, ergo mundus non eſt complementum huius decreti. Quod autem ab æterno fuerit huiuſmodi decretum, & quodlibet decretum liberum Dei, patet ex pluribus Scripturæ Sacræ locis, ex quibus nobis conſtat de hac veritate ad Epheſ. 1. *elegit nos ipſe ante conſtitutionem mundi*, vt eſſemus Sancti: ad Rom. 8. *quos præſciuit, & prædeſtinauit*: vndè ſequitur complementum illius actus liberi, quo Deus antè mundi fabricam amauit & elegit omnes prædeſtinatos, non eſſe aliquid temporale, quomodó enim fieri poteſt, vt Deus ab æterno veré nos elegerit, ſi quid quid fuit ab æterno erat indifferens ad nos eligendos vel non eligendos? præterquam quód in tota Philoſophia eſt inauditum me nunc velle, & me nunc cognoſcere ſi nunc nihil eſt phyſicé quód me denominat cognoſcentem potiùs quám non cognoſcentem: quomodò ergo Deus verè ab æterno voluit mundum eſſe, ſi nihil fuit ab æterno, quòd denominaret Deum volentem potiùs quam non volentem eſſe mundum? Addo, quód Deus per ſcientiam mediam nouit id quòd nunquam erit, ſed eſſet: hæc ſcientia procul dubio eſt nunc phyſicè non minùs quám ſcientia viſionis & ſcientia ſimplicis intelligentiæ: hæc igitur ſcientia non poteſt compleri per illud obiectum quód cognoſcit, alioquin hæc ſcientia non eſt nunc, ſed tantúm eſſet, ſicuti non eſt nunc, ſed eſſet obiectum huius ſcientiæ, quod eſt eiuſdem formale complementum: quare Deus vel non cognoſcit nunc quid eſſet factūrum liberum arbitrium in qualibet hypotheſi vel eit aliquis actus liber Dei, qui non completur per illud ipſum quód vult vel cognoſcit.

16. Hinc conſtat mundum à Deo conditum non eſſe complementum illius decreti quo Deus voluit

voluit mundum condere: ratio eſt, quia ſi complementum huius decreti eſt illa actio, qua Deus condidit mundum, ſequitur ab æterno vel non fuiſſe denominationem Dei volentis mundum, vel fuiſſe denominationem Dei creantis mundum, quia Deus denominatur creans mundum ab illa actione, qua mundum creat: ſi ergo denominatur volens mundum ab hac eadem actione, vel vtramque vel neutram denominationem ab æterno habuit, quia non eſt potior ratio, cur actio, qua Deus creat mundum in tempore, denominauerit Deum ab æterno volentem, & non denominauerit Deum ab æterno creantem: ſi enim Deus ab æterno non habuit denominationem creantis mundum, quia non fuit ab æterno illa forma quæ denominat formaliter Deũ creantem, neque tunc habuit denominationem volentis mundum, quia neque ab ęterno fuit illa forma quæ facit vt Deus velit mundum: non minùs enim eſt denominatio in præſenti & de præſenti creare mundum, quám velle mundum, licet obiectum quód vult hæc voluntas, in præſenti non ſit, quia id non obſtat, quo minùs velle & intelligere ſint denominationes in præſenti & de præſenti, aliter poſſem ego nunc velle & nunc cognoſcere per cognitionem & volitionem craſtinam, quód repugnat lumini naturæ.

17 Ad primùm: non eſt minus euidens Deum eſſe liberum, quám Deum eſſe immutabilem, ergo falſa eſt illa ſententia, quæ dum conſtituit complementum actus liberi, euertit ipſum actum liberum: quid quid ſit an diuina immutabilitas meliús explicetur: de qua re hic non diſputo, erit enim infra ſermo, vbi oſtendam non repugnare immutabilitati complementum actus liberi intrinſecum Deo.

18 Ad ſecundúm: patet ex dictis falſitas ante-

cedentis, quia repugnat vt formalis determinatio actus liberi non ſit intrinſeca libero arbitrio, quare Deus vel non eſt liber ad applicandam volitionem ſuam mundo, vel ſe determinat per aliquid ſibi intrinſecum ad eam applicandam, ſicut enim libertas creata propter indifferentiam, quám habet ad applicandam ſibi volitionem huius obiecti, debet ſe determinare per aliquid ſibi intrinſecum, itá libertas diuina indifferens ad applicandam volitionem ſuam mundo, debet ſe determináre per aliquid ſibi intrinſecum. Cęterum indifferentia, quam habet Deus ad applicandam obiecto volitionem ſuam, & Indifferentia quam habet creaturá ad applicandam ſibi volitionem obiecti, arguit creaturam eſſe mutabilem, Deum veró immutabilem.

19 Ad tertiùm: eſt diſpar ratio inter denominationem actus veri, & denominationem ſubſtantiæ cognoſcentis vel volentis, illa enim eſt denominatio extrinſeca actui veró, vt démonſtratum fuit in Logica, iſta, é cõtrarió eſt denominatio intrinſeca: hinc eſt, quód cognitio diuina, qua Deus nunc cognoſcit Antichriſtum peccaturum, conſtituitur vera veritate formali, de qua hic eſt ſermo, per ipſum obiectũ quód cognoſcit, nimirúm per peccatum futurum Antichriſti, & eadem non poteſt conſtitui cognitio huius obiecti, nimirúm péccati, per ipſum peccatum, quia cognitio obiecti eſt denominatio intrinſeca eidem cognitioni, & cognitio vera eſt denominatio extrinſeca ipſi cognitioni. Quód ſi ſermo eſt de veritate radicali, iſta eſt intrinſeca actui veró, adeoque diuina cognitio per ſe ipſam conſtituitur vera veritate radicali, habet enim eſſentialem exigentiam, vt obiectum ſit eo modo quo ipſa cognoſcit eſſe.

20 Ad Vltimum: denominationes cognoſcentis

tis & volentis ſunt denominationes in præſenti & de præſenti, adeoque omnia earum conſtitutiua debent eſſe in præſenti: ſecús accidit in denominatione aquæ benedictæ, & hoſtiæ conſecratæ, vtraque enim denominatio eſt in præſenti non de præſenti, adeoque eſt diſpar ratio: indè eſt, quód nemo poteſt, vt ipſe arguens fatetur, cognoſcere nunc per cognitionem præteritam vel futuram, ſicuti poteſt aqua denominari benedicta per benedictionem præteritam. Ratio á priori huius differentiæ eſt, quia velle & cognoſcere eſt intrinſecum volenti & cognoſcenti: eſſe autem benedictum non eſt aliquid intrinſecum aquæ quæ denominatur benedicta. Huc adde in tota philoſophia eſſe omninó inauditum quomodo poſſit forma exiſtens nunc denominare ſubiectum, ſi applicatio non exiſtit nunc.

QVAESTIO IV.

Vtrum complementum actus liberi ſit aliquid extrinſecum Deo, & exiſtens ab æterno.

1 QVi cúm Vaſquez opinantur Deo extrinſecum id, quód complet actum liberũ Dei, & applicat eius volitionem mundo potiús quam non mundo, cum hoc Doctore non conueniunt circa naturam huius complementi, quód enim hic Doctor cenſet temporaneum, vt ex quæſt. antecedenti patet, ipſi æternum exiſtimant, his argumentis ad hoc opinandum adducti, quibus oſtẽſum á nobis fuit vel in Deo non fuiſſe ab æterno decretum liberum creandi mundum in tempore,

vel fuiſſe ab æterno id quòd denominabat Deum volentem potiús quam non volentem creare mundum. Quid ſit illud, quód ab æterno compleuit actum liberum diuinæ voluntatis volentis creare mundum, non ſatis explicant iſti auctores, eſt enim, vt arbitror, omninò inexplicabile, niſi velint concedere aliquod ens ęternum á Deo diſtinctum, quòd repugnat lumini naturæ & fidei: rogati enim quid ſit illud, quòd ab æterno denominabat Deum volentem liberé mundum, dicunt neque eſſe ſubſtantiam, neque eſſe accidens, & tamen aliquid eſſe, quia fieri non poteſt, vt Deus ab æterno voluérit mundum potiús quam non mundum, ſi nihil fuit ab æterno, quòd Deum determinauit ad volendum mundum potiús, quám non mundum: quid ergo eſt id, quòd ab æterno fuit complementum huius actus liberi, quo Deus ab æterno voluit mundum eſſe, ſi neque eſt ſubſtantia, neque accidens? quid quid enim eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, vt omnibus patet aliqua philoſophiæ tinctura aſperſis, ex illa diuiſione qua ens abſtractiſſimé acceptum diuiditur in ens per ſe & ens in alio: eſt ne aliquid an nihil eſt? ſi nihil eſt: ergo nihil ab æterno fuit, quód compleret actum liberum Dei ab æterno volentis mundum eſſe, adeoque hæc ſententia ſibi contradicit, & incidit in ſententiam Vaſquez á nobis oppugnatam: ſi aliquid eſt: ergo eſt ſubſtantia uel accidens. Vt ab hac difficultate, qua vrgentur, ſe aliquo modo expediant, diſtingunt eſſe, in illud eſſe, quód diuiditur in decem prędicamenta, & illud eſſe quód diuiditur in verúm & falſum, in ea enim ſunt opinione, quòd aliquid veré ſit & non includatur in illa celebri partitione, qua omnes Philoſophi cum Ariſtotele partiuntur ens in decem prædicamenta: hinc petenti, an veré fuerit vel non fuerit

aliquid contingens, quód ab æterno compleret actum liberum Dei volentis mundum eſſe; reſpondēt cum diſtinctione, ſi enim nomine entis intelligitur illud ens quòd diuiditur in decem prædicamenta: nihil ab æterno fuit, quia ab æterno ſolus Deus fuit. Quòd ſi nomine entis intelligitur illud ens, quód diuiditur in uerum & falſum, ab æterno aliquid fuit, quiá ab æterno fuit illa ueritas obiectiua quæ denominauit Deum uolentem mundum potiús quám non mundum: inde eſt, quód docent huiuſmodi Philoſophi complementum actus liberi diuini eſſe aliquam ueritatem obiectiuam contingentem & ęternam, quam aliquandó uocant ens diminutum medium inter ens reale & purum nihilum, aliquandó ens negatiuum, aliquandó ens denominatiuum ſiue ens rationis non fictum, uarijs enim uocibus utuntur ad hanc ſuam ſententiam probandam,confirmandamque.

2 Hic modus explicandi actus liberos Dei, quem omnium primùs docuit in hoc Rom. Collegio Cardinalis Pallauicinus, deindé typis mandatum in lib. 4. aſſert. Theologicarum cap. 40. ſecuti ſunt perpauci recentiores eiuſdem diſcipuli, non ſolúm eſt manifeſté falſus, ſed etiam apud me eſt longé improbabilior eo, quem adhibent plurimi recentiores ex doctrina Vaſquez ad componendam diuinam libertatem cum diuina immutabilitate, quia non habet ullam ſpeciem ueritatis: hinc eſt, quòd ſi crederem non poſſe ſtare cum diuina immutabilitate complementum actus liberi intrinſecum Deo, uel totam controuerſiam de actibus liberis Dei relinquerem indeciſam, uel cum Vaſquez opinarer complementum actus liberi diuini eſſe aliquid extrinſecum exiſtens in tempore, iam diu enim eſt,quód mihi perſuaſum habui,nihil om-

ninò eſſe illud, quód neque eſt ſubſtantia, neque eſt accidens, adeoque non habet aliquod ex illis prædicatis, quæ conueniunt enti tranſcendentaliter accepto, quód diuiditur in decem prædicamenta.

3 In primis demonſtratur falſitas huius ſententiæ, quæ docet actus liberos Dei compleri per aliquid æternum á Deo diſtinctum, illis eiſdem argumentis, quibus demonſtratum eſt nihil extrinſecum Deo poſſe in genere cauſæ formalis determinare Deum ad uolendum mundum potiùs quám non mundum. Deindé ea certitudine, qua certũ eſt Deum ab æterno uoluiſſe quidquid eſt in tempore, eſt certum nihil fuiſſe ab æterno diſtinctum á Deo: ergo illud complementum, quód eſt terminatio decreti liberi diuini, uel non fuit ab æterno, uel non eſt aliquid à Deo diſtinctum: atque adeó aſſerere complementum huius decreti eſſe aliquid extrinſecum Deo quód ſemper fuit, eſt incidere in ſententiam apud omnes falſam, quæ docet fuiſſe ab æterno aliquid á Deo diſtinctum. Prçterea id, quód ab æterno fuit complementum illius decreti liberi, quo Deus uoluit mundum eſſe, & uocatur ens negatiuum ſiue ens abuſiuum exiſtens in eſſe ueri, & non exiſtens in eſſe rei, potuit non eſſe, eſt enim aliquid contingens: quæro nunc: undè nam habuit ut potiús eſſet quám non eſſet, ſi re uera fuit & potuit non eſſe? á ſe, an ab alio hoc habuit? nihil enim eſt inter hæc duo extrema medium: ſi á ſe habuit, ergo huiuſmodi complementum eſt ens neceſſariũ, adeoque ens perfectiſſimum, eo modo quo eſt ens perfectiſſimum Deus qui ità eſt, ut à ſe ſit. Conſequentia patet, quia ex alio capite nobis non conſtat neceſſitas diuinæ exiſtentiæ, quám ex capite aſeitatis, eſt enim notum lumine naturæ habere

neceſ-

neceſſitatem vt ſit quidquid eſt á ſe: ſi ergo hoc complementum actus liberi diuini eſt a ſe, idem neceſſarió eſt, adeoque contingenter non eſt: ſi ergo contradicit qui dicit hoc complementum potuiſſe non exiſtere, & itá exiſtere vt á ſe exiſtat. Quód ſi non habuit eſſe á ſe, conſequens eſt, vt habuerit eſſe ab alio: ergo habuit eſſe á Deo, quia ab æterno nihil fuit prçter Deum, quód potuerit facere vt hoc complementum tranſiret de ſtatu puræ poſſibilitatis ad ſtatum actualis exiſtentiæ: atqui á Deo non habuit eſse: túm quia nihil habet eſſe á Deo, quód poſitiuè non exiſtat, tùm quia eſt indubitatum fide diuina nihil ab æterno fuiſſe á Deo productum, nulla enim alia communicátio fuit ab æterno, præter communicationem neceſſariam, qua vna perſona diuina producit aliam perſonam: ergo non habuit eſſe ab alio, ergo hoc complementum veré nō fuit. Neque dicas non fuiſſe poſitiué, eo modo quo eſt quidquid eſt á ſe vel ab alio, ſed fuiſſe abuſiué & denominatiué, quia difficultatem non ſoluis; ſed auges hac tua diſtinctione, quæ nullum habet fundamentum in vera Philoſophia, illud enim eſſe abuſiuum quód tu concedis huic complemento, potuit non eſſe: vndé igitur habes vt fuerit potiùs quám non fuerit? repugnat enim fuiſſe potiús quám non fuiſſe id, quód potuit non eſſe, ſi nihil fuit cauſa vt potiús fuerit quàm non fuerit.

4 Addo ad hæc omnia quód fieri non poteſt, vt aliquid ab æterno determinauerit Deum ad volendum mundum potiús quam non mundum & idem ab æterno poſitiué non fuerit: ſicuti enim eſt indubitatum apud omnes Phyloſophos eſſe poſitiuè illud ens, quòd determinat materiam & formam ad mutuam perfectionem ſibi communicandam, eſſe poſitiué illud ens, quód me determinat ád exi-

ſtendum hic potiús quám alibi, ità non poteſt negari ſine magna inſipientia fuiſſe poſitiuè id, quód ab æterno determinauit Deum ad volendum mundum potius quam non mundum: non ne ſecum ipſe manifeſtè pugnat, & ſibi contradicit, quicumque ait me determinari formaliter ad exiſtendum hic potius quám alibi, & ſimul ait nihil eſſe poſitiuè in rerum natura, quod in genere cauſæ formalis me determinat ad exiſtendum híc potius quám alibi? quid igitur dicam de hac tua ſententia dum ſimilem philoſophandi modum adhibes in controuerſia apud omnes grauiſsima de complemento actus liberi diuini? quaſi poſsit aliquam veritatis ſpeciem habere, nō poſſe non eſſe poſitiuè id quód me determinat vt hic potius quám alibi exiſtam,& poſſe non eſſe poſitiuè id quód determinat actum Diuinæ voluntatis ad volendū mundū potius quàm non mundum: ſicuti enim indifferentia, quam ego habeo vt exiſtam hic, non poteſt tolli niſi per aliquod ens poſitiuum, ita indifferentia quam habet actus volnntatis diuinæ vt velit mundum, debet tolli per aliquod ens poſitiuum, ergo complementum actus liberi diuini eſt aliquod ens exiſtens poſitiuè non tantum abuſiuè.

5 Hanc ſententiam de complemento æterno actus liberi Dei, eique extrinſeco quam hucuſque oſtendi falſam argumētis metaphyſicis quantū ego arbitror, cogentibus, vtcumque tolerandam crederem, ſi eam nobis traderent illi auctores, qui in alia controuerſia de ente negatiuo alibi examinata, nobis aduerſantur opinantes nullā eſſe realē identitatē entis poſitiui cū illa veritate obiectiua quæ verè excludit rem negatam: quia verò Philoſophi cum quibus hic contendimus in ea ſunt opinione, quod repugnat aliquid in eſſe veri quód ſimul non ſit in

eſſe

eſſe rei, & nihil poſſit denominari ueré non exiſtens niſi in rerum natura aliquid poſitiué exiſtat, á quo denominatur non exiſtens, fateor ingenué me ignorare quo iure poſſint huiuſmodi Philoſophi recurrere ad huiuſmodi entia abuſiua, uel negationes contradiſtinctas á quolibet ente poſitiuo, quæ ipſi opinantur repugnare, ad complendos actus liberos Dei & ad componendam libertatem Dei cum eius immutabilitate, quaſi decretum liberum Dei ſit aliqua chimæra. Quid enim minus tolerandum in Philoſopho quàm ſibi non conſtare? præſertim in re maximi momenti, qualis eſt libertas primæ cauſæ. Hoc igitur breui dilemmate eſt anguſté vrgendus quicumque ex vna parte ſentit negationem eſſe realiter indiſtinctam áb ente poſitiuo, & ex alia parte ſimul ſentit complementum illius decreti, quo Deus liberé voluit mũdum, fuiſſe aliquod ens negatiuum æternum. Vel eſt verum vel non eſt verum eſſe aliquod ens negatiuum diſtinctum ab ente poſitiuo: ſi non eſt verum, vt tu ipſe mihi concedis, quare vteris ſententia falſa ad explicandam veritatẽ lumine fidei certiſſimã, & lumine rationis indubitatam de actibus liberis primæ libertatis? quod ſi eſt verum: quare opinaris contrarium in ea quæſtione quæ agitatur inter Philoſophos de reali identitate entis negatiui cum aliquo ente poſitiuo? huic argumento non poteſt inueniri exitus: an licet ſententias perinde vt veſtes ad libitum mutare? quid deteriús hoc genere philoſophandi? at eſt probabile dari aliquod ens negatiuum diſtinctũ ab omni ente poſitiuo, id enim docent multi philoſophi: cur ergo non licebit adhibere opinionem probabilem ad vtcumque ſoluendam difficultatem omninó inſolubilem de actibus liberis Dei. Sit hoc probabile, de qua re nolo tecum diſputare, at hoc

quod

quod eſt probabile,in tua ſententia eſt falſum,quomodo ergo purgabis vitium manifeſtæ inconſequentiæ, qui ſententia apud te falſa vteris ad tuendam libertatem diuinam? hoc igitur quantumuis ſit probabile, tibi non licet, nemini enim licet eſſe inconſequentem, etiam ſi liceat illis,qui negant realem identitatem entis negatiui cum ente poſitiuo.

6 Huiuſmodi argumentis, quæ opponuntur ſententiæ,quam oppugnamus, quid poſſit reponi, quod habeat aliquam ſpeciem veri,non ſatis video, quia illud ens ſupertranſcendentale, quod habet fundamentum in doctrina Ariſtotelis 9. Metaph. tex. 21. non eſt ad rem, de hoc enim ſatis diſputatum fuit in tractatu de negationibus, vbi oſtenſum fuit nomine entis ſupertranſcendentalis ab Ariſtotele, S. Thoma, & cęteris Philoſophis intelligi id, quod eſt ſubiectum alicuius denominationis extrinſecæ, ideo chimęra,alius mundus,& cætera quæ non exiſtunt,habent eſſe ſupertranſcendentale quatenus ſuſtinent plurimas denominationes ſibi extrinſecas, nimirùm cogniti, non exiſtentis, &c. vnde non poteſt deſumi aliquod argumentũ, quod habeat vmbram probabilitatis, ad probandum eſſe aliquid, quod intrinſecé ſit in eſſe veri, & intrinſecè non ſit in eſſe rei. Quare ex hoc capite non poteſt hæc ſententia ſuaderi, aſſumit enim rem apud me falſam. Supereſt aliud caput,ex quo poteſt ſuaderi, & eſt argumentum omninó negatiuum, quia nempe nullus alius modus occurrit explicandi actus liberos Dei: ſed hoc argumentum ego exiſtimo infirmum, in primis quia non debemus aperte errare, quód veritatem ignoramus,eſt enim meliús ignorare verum quàm rem falſam aſſerere: deinde quia poteſt ſine vllo periculo erroris aſſeri complemen-

mentum actus liberi diuini fuiſſe æter[illegible]um, & negare fuiſſe extrinſecum Deo, vt conſtabit ex quæſtione ſeq.

QVAESTIO V.

Vtrum complementum actus liberi diuini ſit intrinſecum Deo.

1 HActenus demonſtratum fuit diuinam libertatem non ſatis explicari ab illis Philoſophis, qui in hac controuerſia de complemento actus liberi eam partem amplectuntur, quam docuit Vaſquez de complemento extrinſeco: in qua controuerſia facillimum eſt aliorum ſententias refellere, arduum propriam ſtatuere, nihil enim poteſt definiri, quòd argumentis robuſtiſſimis non vrgeatur, cum hæc controuerſia, quam agitamus de actibus liberis Dei non ſit minùs implexa quàm illa de qua cum Ariſtotele in 8. lib. Phiſ. diſputauimus in tract. de compoſ. continui. Videndum reſtat, an poſſit componi cum diuina immutabilitate ſententia, quam docuit contra Vaſquez Suarius de complemento actus liberi diuini intrinſeco ipſi Deo: quòd enim diuina libertas optimè explicetur in hac ſententia, patet ex his quibus vrgentur contrarium opinantes. Non ſatis patet in hac ſententia de diuina immutabilitate, cui habenda eſt ratio in hac controuerſia: id enim fuit cauſa, quantùm poſſum intelligere, cur plurimi recentiores ab hac ſententia receſſerint, quam omnibus conſideratis exiſtimo veram & omninò amplectendam in concordia diuinæ libertatis cum diuina immutabilitate: 2 eam notanter docent Caiet. Fonſeca, Sales, Suarius,

rius, Montoya diſp. 10. de volunt. Dei ſect. 4. & nuper Parez diſp. 3. de vol. Dei cap. 1. cum alijs recentioribus. Qui ſunt in hac ſententia, in qua nos ſumus de complemento actus liberi intrinſeco ipſi Deo, non conueniunt in explicando modo quo eſt intrinſecum Deo complementum contingens & defectibile, quale indubitanter eſt complementũ actus liberi diuini: hinc enim pendet grauiſſima difficultas de diuina immutabilitate, cui videtur repugnare contingentia, & defectibilitas actus liberi intrinſeci Deo.

2. Quidquid eſt intrinſecum alicui rei, eſt eidem intrinſecum vel phyſicé vel identicé, quia forma intrinſeca rei denominatæ habet identitatem vel vnionem phyſicam cum illa re quam denominat: ſi habet identitatem, eſt identicé intrinſeca: ſi vnionem, eſt phyſicé intrinſeca: ita eſt mihi intrinſecum exiſtere, & eſt mihi intrinſecum intelligere, non eſt tamen perinde intrinſecum intelligere ac exiſtere, quia forma, quę intrinſecé denominat me exiſtentem, eſt mihi intrinſeca identicé, eſt enim exiſtentia realiter indiſtincta a mea exiſtentia: forma é contrario quæ intrinſecé denominat me intelligentem, eſt mihi intrinſeca non identicé ſed phyſicé, illa enim cognitio quæ denominat me cognoſcentem habet vnionem, non identitatem cum me. Hinc originem habent duę ſententiæ inter ſe contrariæ in explicatione huius complementi liberi quód eſt intrinſecũ Deo: vna enim docet, quæ eſt auctoris incerti, eſt enim iam antiquata, neque vllum extat auctoris nomen, docet, inquam, huiuſmodi complementum eſſe Deó intrinſecum phyſicé popter vnionem phyſicam cum Deo; eo pacto quo eſt mihi intrinſeca cognitio, qua cognoſco, & volitio qua volo: iuxta

hanc

hanc opinionem optime explicatur quomodo eſſe diuinum ſit eſſe eſſentialiter neceſſarium indefectibile, quia nihil contingens nihil defectibile habet realem identitatem cum Deo, illa enim contingentia & illa defectibilitas quæ reperitur in complemento áctus liberi diuini, & eſt in Deo, non eſt intrinſeca identicé ſed ſolum phyſicé ipſi Deo, adeoque totum in quod conſtituit Deum in eſſe Dei eſt eſſentialiter neceſſarium, & indefectibile, quod ſatis eſt ad diuinam immutabilitatem.

3. Alia ſententia, quam cæteri ſequuntur, docet complementum actus liberi diuini eſſe intrinſecum Deo identicé propter identitatem realem huius complementi cum ipſó Deó. An vero potuerit nō eſſe aliquod quod eſt realiter á Déo indiſtinctum; non conuenit inter eos qui hanc ſententiam ſequntur, quia non ſatis conſtat quid ſit hoc complementū realiter indiſtinctum á Déo,& quid ſuperaddat prædicatis neceſſarijs Dei quæ conſtituunt ipſum Deum, terminatio libera actus diuini.

4. Caietanus in 3. parte quæſt. 1. art. 1. docet terminationem liberam, ſupra perfectionem neceſſariam quæ eſt in Deo, addere aliquam perfectionem liberam: hanc perfectionem docet idem Doctor potuiſſe deficere ſine vllo preiudicio diuinæ immutabilitatis, quia eius defectus fuiſſet cōpenſatus per aliam perfectionem quæ inuenitur in terminatione libera incompoſſibili cum illa ternatione libera quæ in præſenti eſt complementum decreti liberi volentis mundum eſſe. Hinc eſt quod iuxta ſententiam Caietani Deum velle libere mundum eſt aliqua perfectió libera ſupra totam perfectionem neceſſariam: hæc eadem perfectio potuit non eſſe in Deo, quia potuit Deus non vel-

le

le libere mundum: quòd ſi Deus non voluiſſet libere mundum, non habuiſſet illam perfectionem quam in præſenti habet, quia non fuiſſet terminatio libera actus diuini liberé volentis mundum: ſed loco iſtius perfectionis habuiſſet aliam perfectionem omnino æqualem, quæ conſiſtit in terminatione libera actus diuini non volentis liberè mundum. Fonſeca & Salas in prima 2. tract. 3. diſp. 1. ſect. 8. conſentiunt cum Caiet. terminationem liberam eſſe modum realiter identificatum cum Deo, diſcrepant à Caiet. adeoque opinantur nullam perfectionem ſuperaddi perfectioni neceſſariæ à terminatione libera, id circo caſtigatiús loquuntur dum ſermo eſt de huius terminationis defectibilitate, negant enim potuiſſe deficere aliquã perfectionem diuinam, quod Caiet. concedere nõ dubitauit, licet admittant eſſe huius terminationis potuiſſe ſimpliciter deficere.

5. Suarius in tom. 2. ſuæ Metaph. diſp. 30. ſec. 7. docet terminationem liberam nihil aliud addere entitati neceſſariæ quæ eſt in Deo, quám denominationem Deo intrinſecam volentis libere mundum: hæc denominatio potuit deficere, etiam ſi non potuerit deficere Deus, quia illud eſſe neceſſarium quod habet Deus, eſt tantæ perfectionis vt ſine vlla ſua defectibilitate poſſit ſibi identificare denominationem cætera defectibilem: hinc Deus ſi non voluiſſet creare mundum, fuiſſet ille idem Deus, qui eſt nunc, licet tunc non habuiſſet illam denominationem liberam ſibi intrinſecam, quam habet nunc, nimirúm, denominationem volentis liberè creare mundum, ideo rogatus Suarius an terminatio libera decreti diuini potuerit deficere, reſpondet, potuiſſe deficere denominatiuè non entitatiuè, quæ eſt optima & prudentiſſima di-

ſtin-

ſtinctio, vt conſtabit inferius.

6. Antonius Perez loco citato docet complementum actus liberi diuini eſſe aliquam formalitatem, quæ præſcindit a perfectione & imperfectione realiter indiſtinctam & virtualiter diſtinctã a Deo, eo ferme pacto, quo docent ferè omnes Theologi perſonalitates diuinas habere identitatem realem cum natura diuina, à qua virtualiter diſtinguũtur propter prædicata cõtradictoria, quæ nullo intellectu cogitante verificantur de natura diuina, & diuinis perſonalitatibus, natura enim diuina cômunicatur filio, & Paternitas quæ eſt vna ex diuinis, perſonalitatibus nõ cõmunicatur Filio, hinc opus eſt diſcurrere de terminationibus liberis quæ vocantur prædicata Dei relatiua ad extra, ac diſcurrimus de perſonalitatibus diuinis, quæ vocantur prædicata Dei relatiua ad intra, quemadmodum enim prædicata Dei abſoluta, & prædicata Dei relatiua adintra identificantur realiter, & diſtinguũtur virtualiter, ita prædicata Dei neceſſaria & prædicata Dei libera quæ ſunt relatiua ad extra identificantur realiter, & diſtinguuntur virtualitet.

7. Quid in tanta opinionum varietate ſentiendum ſit circa modum quo eſt intrinſecum Deo complementum actus liberi diuini ſequentibus Aſſertionibus patebit.

8. Aſſertio prima. Complementum actus liberi diuini non eſt Deo intrinſecum phyſicé per aliquã vnionem phyſicam ſui cum entitate neceſſaria Dei.

9. Ratio patet, quam deſumo ex infinita Dei ſimplicitate in hunc modum. Repugnat enti ſimpliciſſimo omnis compoſitio: ſed vnio phyſica cum natura diuina eſt aliqua compoſitio, ergo repugnat enti ſimpliciſſimo: ſed natura diuina eſt

ens

ens ſimpliciſſimum, ergo repugnat naturæ diuinæ vnio phyſica cum illa re quæ eſt complementum actus liberi diuini, ergo huiuſmodi complementum quod eſt intrinſecum Deo, non eſt intrinſecum per vnionem phyſicam. Prætereá quidquid eſt in Deo Deus eſt, quia Deus eſt actus ſimpliciſſimus excludens omnem compoſitionem ex materia, forma, natura & ſubſiſtentia, accidente, & ſubſtantia, vt demonſtrabimus inferius ſed complementum actus liberi diuini eſt in Deo, eſt enim intrinſecum Deo, ergo eſt Deus, ergo non eſt intrinſecum Deo per vnionem phyſicam eo modo quo eſt intrinſeca anima corpori, & cognitio cognoſcenti: vltima conſequentia patet, quia id quod eſt intrinſecum per vnionem phyſicam non eſt verè prædicabile de illa re cui eſt intrinſecum, vt conſtat in anima quæ eſt intrinſeca corpori & non eſt prædicabilis de corpore, in cognitione intrinſeca cognoſcenti de quo non eſt prędicabilis: ſed complementum actus liberi diuini eſt prædicabile de Deo, alioquin eſſet in Deo aliquid quod non eſſet Deus, ergo &c. Huc adde, quod hoc complementum ſi eſt intrinſecum Deo ſolum phyſicè, eſt aliquid productum à Deo, nihil enim eſt quod realiter non eſt Deus, & nō eſt á Deo productum, quidquid enim eſt vel Deus eſt, vel á Deo productum eſt: atqui hoc complementum à Deo non eſt productum, quia ſemper fuit: nihil autem eſt a Deo productum adæquate a Deo diſtinctum quod ſemper fuit, ergo hoc complementum eſt intrinſecum pluſquam phyſice.

10. Aſſertio ſecunda: complementum actus liberi diuini eſt intrinſecum Deo identicè, habet enim realem identitatem cum Deo, qui eſt ens neceſſarium.

11. De-

11 Demonſtratur hoc ſyillogiſ. Quidquid eſt intrinſecum, eſt intrinſecum phyſicè vel identicè: ſed complementum actus liberi diuini eſt intrinſecum Deo, & non eſt intrinſecū phyſicè, ergo eſt intrinſecum identicè, ergo habet realem identitatem cū Deo: eſſe enim identicè intrinſecum, & habere realem identitatem ſunt termini conuertibiles. Maior patet, minor fuit demonſtratá ex ijs, quæ docuí tùm in quæſt. præteritis, vbi oſtendi, vel Deum non eſſe liberum, vel complementum actus liberi eſſe intrinſecum Deo, túm in aſſertione prima huius quęſt. vbi oſtenſum fuit repugnare in terminis, vt aliquid ſit intrinſecum Deo, & ſit intrinſecum ſolùm phyſice.

12. Hic ſyllogiſmus ſatis eſt ad oſtendendam hanc noſtram ſententiam de reali identitate inter actum liberum Dei & ipſum Deum, qui eſt ens neceſſarium: eam tamen iuuat pluribus argumentis confirmare. In primis, ea, quæ ſibi communicant omnem perfectionem itá vt vnum perficiat aliud, quantum perficit ſe, habent realem identitatem, vt patet ex tract. de Ident. & diſtinctione: ſed Deus communicat omnem ſuam perfectionem complemento actus ſui liberi, & tantùm illud perficit quantùm perficit ſe ipſum, ſi enim in hoc complemento non eſſet tanta perfectio, quanta eſt in ipſo Deo, eſſet intrinſecum Deo aliquid imperfectum, quia carere ſumma & infinita perfectione eſt formaliſſimé eſſe imperfectum: repugnat autem, vt Deus, qui habet omnem perfectionem, habeat in ſe intrinſecè aliquam imperfectionem, ergo inter complementum actus liberi diuini, & ipſum Deum datur realis identitas; datur enim ſumma communicatio, hoc eſt talis vt maior eſſe non poſſit. Deindé quidquid fuit ab æter-

by Google

no habet realem identitatem cum Deo, cum nihil ab æterno fuerit, quod non poſſit veré prædicari de Deo: ſed complementum actus liberi diuini ab æterno fuit, ergo habet realem identitatem cum Deo. Prætereá non eſt minùs neceſſe, vt bonum ſummum ſit fœcundum intrá ſe, quám vt ſit liberum, adeoque habeat aliquod exercitium libertatis ſuæ: ſed neceſſitas, quam habet ſummum bonum, vt ſit fœcundum intrá ſe, eſt formaliſſimé neceſſitas realis identitatis inter ſummum bonum & diuinas perſonalitates, per quas eſt formaliſſimé intrá ſe fœcundum, ergo neceſſitas, quam habet ſummum bonum, vt habeat aliquod exercitium ſibi liberum, eſt formaliſſimé neceſſitas realis identitatis inter ſummum bonum, & aliquod exercitium ſibi liberum: ſed huiuſmodi exercitium eſt complementum actus liberi diuini, ergo neceſſe eſt dari realem identitatem inter Deum & complementum actus liberi diuini. Hinc nihil eſt in actu libero Dei, quod non habeat realem identitatem cum Deo, ſicuti nihil eſt in ſingulis perſonis diuinis, quod non habeat realem identitatem cum Deo: etiamſi in eodem actu libero Dei aliquid ſit, pro quo ſupponit decretum liberum Dei, nempe actus ſimpliciſſimus diuinæ voluntatis indifferens, vt velit mundum, & aliquid ſit pro quo non ſupponit idem actus liber Dei, nimirum exercitium diuinæ libertatis, ſiué applicatio diuinæ volitionis mundo potiùs, quàm non mundo. Quomodó autem poſſit decretum liberum Dei, quod vtrumque ſignificat, ſupponere pro actu diuinę voluntatis, & non ſupponere pro exercitio diuinæ libertatis, ſi datur realis identitas inter vtrumque, conſtabit ex tertia Aſſert.

13. Duo argumenta opponi poſſunt huic do-

ctrinæ: vnum ex eo, quód Deus non communicat omnem ſuam perfectionem complemento ſui actus liberi, ſicuti communicat omnem ſuam perfectionem diuinis Perſonis, quia neceſsitatem exiſtendi communicat illis, non communicat illi, vt eſt manifeſtum: neceſſitas autem exiſtendi eſt aliqua perfectio, immó eſt ſumma perfectio, quod enim exiſtit ſine neceſſitate exiſtendi, caret infinita perfectione, quám habet id, quod neceſſarió exiſtit; Deus ergo, qui non communicat decreto libero ſuo neceſſitatem exiſtendi; neque communicat omnem ſuam perfectionem, ergo non habet realem identitatem cum decreto ſuo libero.

14. Alterum argumentum oritur ex prædicatis contradictorijs, quæ non poſſunt de eodem verificari, vt patet, eſt enim certum prædicata contradictoria eſſe argumentum realis diſtinctionis: atqui neceſsarium & contingens ſunt prædicata contradictoria, & vnum conuenit Deo, qui eſt ens neceſsarium, aliud actui libero; qui eſt aliquid contingens; ergo non datur identitas realis inter Deum & complementum actus liberi diuini.

15. Ad primum reſp: diſtinguendo duplicem prædicationem, quæ poteſt fieri de complemento actus liberi diuini, quod habet realem identitatem cum ente neceſsarió: nimirũ cum ipſo Deo, vnam materialem,&in ſenſu reali fundatam in reali identitate prædicati cum ſubiecto, aliam formalem & in ſenſu formali fundatam in virtuali identitate cum ſubiecto. Hæc prædicatio *complementum actus liberi diuini eſt aliquid neceſſarium* eſt vera in ſenſu reali,ſiue prædicatione materiali,quia datur realis identitas inter hoc prędicatum *ens neceſſarium* & hoc ſubiectum *complementum actus liberi diuini*,atque adeo reſoluitur in hanc propoſitionem

quæ certé eſt vera ſuppoſita identitate reali inter formalitatem entis neceſsarij, & formalitatem complementi liberi: *complementum liberum eſt id, quod eſt ens neceſſrium* eadem prædicatio eſt falſa in ſenſu formali formalitate obiectiua, quia non datur formalis ſiue virtualis identitas inter prædicatum & ſubiectum, complementum enim actus liberi non eſt formaliter ens neceſsarium, licet realiter ſit ens neceſsarium, datur enim inter vtramq; formalitatem aliqua diſtinctio obiectiua, de qua mox dicam. Habes in hac re aliquid ſimile in Myſterio Trinitatis, quod valdé conducit ad infirmanda omnia argumenta, quæ nobis opponuntur. Hæc prædicatio, *paternitas eſt bonum ſummum infinitè communicabile*, eſt ne vera an falſa? reſpondet Theologus, ad quem ſpectat componere vnitatem Dei cum eius Trinitate, eſse veram in ſenſu reali, materiali, & identico, quia Paternitas habet réalem identitatem cum diuina eſsentia, quæ eſt formaliſſimé bonum ſummum infinité communicabile, non eſse veram in ſenſu formali, formalitate obiectiué diſtincta á formalitate Eſſentię diuinę, quia formalitas Paternitatis eſt obiectiué diſtincta á formalitate eſsentiæ propter virtualem vtriuſque diſtinctionem, Paternitas enim eſt formalitas formaliter incommunicabilis, & eſſentia diuina eſt formalitas formaliter communicabilis: ita reſpondet Theologus & optimé. Quód ſi in celebri controuerſia, quæ eſt apud Theologos de concordia vnitatis diuinæ cum Trinitate perſonarum ait Theologus, tantúm perfectionis eſse in Paternitate, quantum eſt in eſsentia diuina, eó quód paternitas eſt illa eadem res, quæ eſt bonum ſummum infinité communicabile, etiamſi Paternitas in ſenſu formali, ſiue virtualiter non ſit bo-

num

num ſummum infinitè communicabile: cur non poterit Philoſophus in hac controuerſia, quam decidere ad Philoſophum ſpectat, de concordia libertatis cum immutabilitate, dicere tantum perfectionis eſse in terminatione libera, quantum eſt in eſsentia diuina propter realem vtriuſque idẽtitatem: iſta enim identitas eſt cauſa cur terminatio libera ſit illa res, quæ eſt ens neceſsarium, etiamſi terminatio libera virtualiter ſiuè in ſenſu formali non ſit ens neceſsarium. Vt igitur terminatio libera tantum perfectionis habeat, quantum habet Deus, qui eſt ens neceſsarium, ſatis eſt ſi terminatio libera in ſenſu reali & identicè ſit illud ens, quod eſt ens neceſsarium, quidquid ſit de ſenſu formali, qui non eſt ad rem.

16. Dices: eſsentia diuina in ſenſu reali, & formali eſt ens neceſsarium, terminatio libera in ſenſu formali non eſt ens neceſsarium: ſed eſſe neceſsarium in ſenſu reali, & formali eſt aliqua perfectio, ergo aliqua perfectio eſt in eſsentia diuina, quæ non eſt in terminatione libera.

17. Reſpondeo: conc: ma: & diſt: mi: eſse in ſenſu reali, & in ſenſu formali ens neceſsarium eſt aliqua perfectio, quæ non eſt in illa formalitate, quæ in ſenſu reali eſt ens neceſsarium: nego min: quæ eſt in illa formalitate, quæ in ſenſu reali eſt ens neceſsarium: conc: mi: & ne: conſ: Non dubito an ſit aliqua perfectio eſse in ſenſu reali & in ſenſu formali ens neceſsarium, ſicuti eſt aliqua perfectio bonum ſummum, quod in ſenſu reali, & in ſenſu formali eſt infinitè communicabile: ſed indubitanter dico totam perfectionem illius formalitatis, quæ in ſenſu reali & in ſenſu formali eſt ens neceſſarium, eſse in illa formalitate, quæ in ſenſu reali eſt

aliquid neceſsarium, etiamſi in ſenſu formali non ſit aliquid neceſsarium eo pacto, quo formalitas, quę in ſenſu reali eſt bonum ſummū infinité communicabile, & non eſt in ſenſu formali bonum ſummum infinité communicabile, eſt æqué perfecta, ac illa formalitas, quæ in ſenſu reali & formali eſt bonum ſummum infinitè communicabile; quēadmodum ergo vt perſonalitas diuina ſit perindé perfecta ac natura diuina, ſatis eſt, quód in ſenſu reali ſit bonum ſummum infinité communicabile; itá terminatio libera, vt ſit perindé perfecta ac Deus, ſatis eſt, quòd in ſenſu reāli ſit ens neceſsarium,

17. Ad ſecundúm argumentum dico prædicata contradictoria non poſse ſimul verificari de eodē, quod eſt omnino idem, vt docet Ariſtoteles in lib. Analyt. ſed poſse verificari de eodem, quod non eſt omninò idem, ſiué non eſt omnibus modis idem. Hinc Théologi docent hæc prædicata contradictoria; *communicari, & non communicari* ſine vlla contradictione verificari de natura diuina & paternitate, quia natura diuina & paternitas ſunt idem propter realem identitatem, non ſunt omninó idem, ſiué omnibus modis idem propter distinctionem virtualem. Neceſsarium igitur & contingens, quæ ſunt prædicata contradictoria, verificantur ſine contradictione de complemento actus liberi diuini, & de ipſo Deo, quia huiuſmodi formalitates ſunt idem propter realem identitatem vniùs cum alia, & non ſunt omninó idem ſiue omnibus modis idem propter virtualem diſtinctionem vniús ab alia, quæ neceſsarió datur inter prædicata Dei neceſsaria & libera, ſicuti inuenitur inter prædicata eſsentialia ſiue abſoluta, & perſonalia ſiue relatiua, vt nunc dicam.

18. Aſ-

18. Aſſertio tertia: inter naturam diuinam, quæ eſt ens neceſsarium, & complementum actus liberi diuini datur aliqua diſtinctio obiectiua, quę eſt diſtinctio formalis, ſiue virtualis intrinſeca.

19. Ratio huius ſententiæ patet ex natura diſtinctionis virtualis intrinſecæ, de qua dixi in Log. Ea diſtinguuntur virtualiter intrinſecé, quę habent identitatem realem cum diſcrepantiá intrinſeca in aliquo prædicato obiectiuo: ſed hæ duæ formalitates, nimirum *eſſe Deum, & velle liberè mundum*, habent identitatem realem cum diſcrepantia intrinſeca in aliquo prædicato obiectiuo, ergo huiuſmodi formalitates diſtinguuntur virtualiter intrinſecé, ergo &c. Minor probatur, quantùm ſpectat ad intrinſecam diſcrepantiam huiuſmodi formalitatum in aliquo prædicato obiectiuo, quia dę reali earum identitaté non eſt dubium ex ijs, quæ docui in ſecunda áſsertione. Ratio neceſsarij eſt prædictum obiectiuè affirmabile de natura diuina, ſiue de hac formalitate *eſſe Deum*: hoc idem prædictum eſt obiectiué negabile de terminatione libera actus diuini ſiué de hac formalitate *velle mundum*, quia de hac formalitatę eſt obiectiué affirmabile prædicatum oppoſitum, nimirúm ratio contingentis, quæ conuertitur cum ratione liberi, ergo de vna formalitate diuina, quæ eſt formalitas entis neceſsárij, eſt aliquid obiectiuè affirmabile, quod eſt obiectiué negabile de alia formalitate ſimiliter diuina, quæ eſt formalitas entis liberi: ſed duas formalitates realiter indiſtinctas eſse tales, vt de vna ſit obiectiuè negabile id, quod obiectiué eſt affirmabile de alia, eſt formaliſſimè duas formalitates realiter indiſtinctas diſcrepare intrinſecé in aliquo prædicato obiectiuo, ergo formalitas neceſsaria, & formalitas libe-

 libe-

libera ſunt duæ formalitates diuinæ realiter indiſtinctæ, quæ diſcrepant intrinſecé in aliquo prædicato obiectiuo.

20 Hinc debes eodem modo diſcurrere de duabus formalitatibus diuinis, quarũ vna eſt neceſsaria & alia libera; ſicuti docet fides diſcurrendum de duabus formalitatibus diuinis, quarum vna eſt eſsentialis ſiue abſoluta,& alia perſonalis ſiue relatiua. Eſse Deum eſt formalitas diuina eſsentialis, & abſoluta: eſse Patrem eſt formalitas diuina & relatiua: huiuſmodi formalitates realiter indiſtinctæ diſcrepant intrinſecé in prædicato obiectiuo communicabilitatis, quia docet fides eam eſse naturam formalitatis infinitæ, vt poſsit intrinſece diſcrepare in aliquo prædicato obiectiuo ab alia formalitate, cum qua habet realem identitatem: ſimiliter eſse Deum eſt formalitas diuina neceſsaria, & eſse liberum eſt formalitas diuina libera: huiuſmodi formalitates realiter indiſtinctæ diſcrepant intrinſecé in prędicato obiectiuo neceſsitatis, quia ratio entis infiniti eſt cauſa cur poſsint habere realem identitatem ea quæ intrinſecé diſcrepant in hoc prædicato obiectiuo.

21 Aſsertio quarta: Terminatio libera realiter nihil ſuperaddit naturæ diuinæ, licet aliquid virtualiter ſuperaddat.

22 Ratio patet, quia terminatio libera non eſt aliquud realiter diſtinctum á natura diuina, vt oſtenſum eſt in ſecunda aſsert. ergo non poteſt aliquid realiter addere naturæ diuinæ, ergo Deum velle mundum nihil realiter addit ſupra hoc, quod eſt Deum velle, ergo exercitium diuinæ libertatis nihil realiter addit actui ſimpliciſſimo diuinæ voluntatis, qui eſt aliquid neceſsarium. Quód autem terminatio libera addat aliquid virtualiter, eſt

mani-

manifeſtum, quia terminatio libera eſt aliquid virtualiter diſtinctum ab ente neceſſarió, quod eſt Deus, adeoque Deum velle mundum, ſupra id quod eſt neceſſarium, addit aliquam virtualitatem, quæ vocatur formalitas libera virtualiter diſtincta à formalitate neceſſaria. Quare ſi vis ſapienter diſcurrere de hac terminatione libera, debes ſemper habere ante oculos diuinas perſonalitates, ſiue formalitates diuinas relatiuas ad intrà: ſicuti enim formalitas relatiua ad intrá, nimirùm formalitas Verbi Diuini non addit aliquid realiter ſuprá naturam diuinam, eſt enim idem realiter cum natura diuina, ſed addit aliquid virtualiter, quia non eſt idem virtualiter cum natura diuina, adeoque in priori ad æternam Verbi originem eſt totum eſſe reale Verbi Diuini, non eſt totũ eſſe virtuale eiuſdem: itá formalitas diuina relatiua ad extrá, ſiuè formalitas libera Dei volentis mundum non addit aliquid realiter ſupra formalitatem diuinam entis neceſſarij, quia eſt idẽ realiter cum hac formalitate: addit aliquid virtuale, quia non eſt idem uirtualiter cum hac formalitate, atque adeo in priori ad decretum liberum eſt totum eſſe reale huius decreti, non eſt totum eſſe uirtuale huius decreti, quod ſatis eſt, vt in illo priori Deus non poſsit denominari liberè uolens mundum.

23. Aſſertio ultima: Iſta formalitas, ſiue uirtualitas, quam terminatio libera addit ſupra eſſe neceſſàrium Dei, virtualiter neque eſt perfectio neque imperfectio, licet realiter ſit infinita perfectio.

24. Ratio, cur virtualiter non ſit perfectio, patet, quia nihil virtualiter perfectum ſuperaddit diuinæ eſſentiæ, ſed terminatio, quæ nihil virtualiter ſupraddit diuinæ eſſentiæ, nullam habet virtualiter

liter perfectionem, ergo &c. Maior patet, quia eſsentia diuina habet omnem perfectionem.

24. Ratio, cur virtualiter non ſit imperfecta, eſt, quia nulla virtualitas intrinſeca Deo eſt virtualiter imperfecta; ſed omnis terminatio libera eſt virtualitas intrinſeca Deo: ergo nulla terminatio libera eſt virtualiter imperfecta: ergo terminatio libera illius actus, quo Deus vult liberé mundum, neque virtualiter eſt perfectio, neque virtualiter imperfectio. Quód autem realiter ſit infinita perfectio patet, quia habet realem identitatem cum formalitate infinité perfecta, nimirùm cum formalitate entis neceſſarij; eo igitur pacto quo paternitas eſt quædam virtualitas in ſenſu reali infinité perfecta, & in ſenſu formali ſiue virtualiter, neq; perfecta, neque imperfecta, terminatio libera Dei eſt realiter infinitè perfecta; & virtualiter neque perfecta, neque imperfecta. Quo fit vt, etiamſi potuerit deficere terminatio libera Dei volentis mundum, de qua re dicam in quæſt. vlt. nulla tamen perfectio, quæ eſt in Deo, potuit deficere, quod ſatis eſt ad explicandam indefectibilitatem ſummam perfectionis diuinæ. Quia veró illud ens eſsentialiter eſt immutabile, quod eſt tantæ perfectionis, vt non potuerit non habere infinitam perfectionem, quã habet, ideò cauſa prima eſt eſſentialiter immutabilis, quamuis ſit liberá, quia cauſa prima, licet quatenús libera potuerit non habere terminationem liberam, quam nunc habet, ſi tamen careret terminatione libera, quam nunc habet, nulla careret perfectione, quia virtualitas terminationis liberæ nullam perfectionem adiungit eſſentiæ diuinæ, quæ eſt ens omnino neceſſarium.

25. Hæc doctrina poteſt oppugnari pluribus mo-

modis. Primò ex eo, quòd nulla prædicata contradictoria poſſint verificari de formalitatibus realiter indiſtinctis ſiue creatis, ſiue increatis. Hic modus,quo oppugnatur MyſteriumTrinitatis,non eſt ad rem, quia Philoſophus non debet ſoluere argumenta contra Myſterium S.Trinitatis, id enim ſpectat ad Theologum, qui debet componere vnitatem Dei cum Trinitate.Poſita hac veritate, quam fides reuelauit de tribus perſonis habentibus eamdem naturam,adeoque de prædicatis contradictorijs, quæ verificantur ſine contradictione de natura diuina, & diuina perſonalitate realiter indiſtinctis, poteſt & debet Philoſophus Catholicus aſſumere ad concordiam immutabilitatis cum libertate diſtinctionem virtualem inter formalitates diuinas realiter indiſtinctas, neque debet ea refellere, quæ opponuntur huic diſtinctioni abſtractiſſimè acceptæ; quia id eſſet agere Theologum inter Philoſophos.

26. Alius modus oppugnandi hanc doctrinam eſt, eo quòd de nullis formalitatibus realiter indiſtinctis poſſunt verificari ea in ſpecie prędicata contradictoria, de quibus eſt ſermo in hac controuerſia philoſophica, nimirùm neceſſarium & contingens. Arguméta hinc deſumpta ſunt ad rem,& debent à nobis ſolui, quia ſi eſt ſingularis repugnantia in reali identitate duarum formalitatum, quarum vna eſt neceſſaria, alia contingens, nec debet nec poteſt Philoſophus vti illa identitate, quam docet fides inter formalitatem eſſentiæ diuinæ cum diuina perſonalitate ad probandam realē identitatem terminationis liberę cum ente neceſſariò: hæc argumenta ſoluemus in quæſt.vltima, vbi conſtabit, quomodo potuerit non eſſe virtualitas terminationis liberæ realiter indiſtincta à formalitate entis neceſſarij.

27. Re-

Google

27. Reſtat tertius modus eam ex duplici capite oppugnandi : Primó ex capite oppoſitionis contradictoriæ, quæ infert diſtinctionem realem in ſe vel in tertio,vt dixi in log.ideo eſſeDeum & eſſe Patrem, quibus conueniunt prædicata contradictoria, diſtinguuntur realiter in tertio,nimirũ in Verbo diuino, cum quo habet realem identitatem Deus, non habet Pater, atque adeo diſtinctio virtualis inter formalitatem Dei & formalitatem Patris arguit identitatem realem naturæ diuinæ cũ formalitatibus realiter diſtinctis. Nihil ſimile contingit in re præſenti, quia terminatio libera decreti volentis mundum & Deus non diſtinguuntur realiter in tertio, ſicuti perſonalitas Patris & Deus diſtinguuntur realiter in tertió : hæc igitur terminatio libera non poteſt diſtingui virtualiter àDeo, quia non poteſt habere identitatem realem cum Deo.

28. Secundó ex capite terminationis liberæ, quæ virtualiter neque eſt perfectio, neque imperfectio: id enim videtur repugnare : primó, quia non eſse imperfectum eſt eſſe perfectum: ſed huiuſmodi terminatio virtualiter non eſt imperfecta: ergo perfecta; quia hæc terminatio, vel eſt virtualiter aliquid, vel virtualiter nihil : ſi virtualiter nihil, ergo nihil eſt, quod terminat actum liberum Dei : ſi virtualiter aliquid, ergo eſt virtualiter ens adeoque perfectio : tertió quià hæc noſtra ſententia incidit in eum errorem, in quem incidit ſententia docens complementum actus liberi eſſe aliquid extrinſecum Deo, quod fuit ab æterno, & non eſt ſubſtantia, neque accidens, non eſt in eſse rei, ſed eſt in eſſe veri,non eſt ens, quod diuiditur in decem prædicamenta; ſed eſt ens in alia ſignificatione, adeoque neque eſt ens, neque eſt nihil.

30. Ad

30. Ad primúm reſp. diſtinctionem virtualem inter eſſe neceſſarium Dei & terminationem libeberam fundari in reali diſtinctione, quæ datur inter duas terminationes liberas inuicem oppoſitas, nimirúm inter terminationē liberam Dei volentis mundum, & terminationem liberam Dei nolentis mundum. Huiuſmodi terminationes ſunt ſine dubio realiter diſtinctæ non minús, quam duæ perſonalitates diuinæ, ſunt enim terminationes inuicem incompoſsibiles, diſtinctio igitur virtualis inter eſſe diuinum, quod eſt aliquid neceſſarium, & decretum liberum Dei volentis mundum, quod eſt aliquid virtualiter contingens, infert realem diſtinctionem inter duo decreta libera Dei, quorum vnum vult liberé mundum eſſe, aliud vult liberè mundum non eſse. Cum decreto nolitiuo mundi potuit Deus habere identitatem realem, ſicuti habet identitatem realem cum decreto volitiuo munmundi, quod in ea hypotheſi contigiſset, in qua Deus non voluiſset creare mundum: indè eſt quòd Deus ſimul poteſt habere identitatem realem cum duobus decretis realiter diſtinctis, ſimul inquam ſimultate potentiæ, quæ ſatis eſt ád realem identitatem vniùs formalitatis cum duabus formalitatibus realiter diſtinctis, non potentia ſimultatis, quæ non eſt ad rem, licet natura diuina cum perſonalitatibus realiter diſtinctis poſſit ſimul non ſolúm ſimultate potentię, ſed etiam potentia ſimultatis habere identitatem realem, quia duæ perſonæ ſunt formalitates realiter diſtinctæ, & compoſſibiles: terminationes liberæ, vna volitiua, alia nolitiua mundi ſunt formalitates realiter diſtinctæ, & Incompoſſibiles, non enim eſt omnimoda paritas inter perſonalitates diuinas, & terminationes liberas. At iſta propoſitio *Diuinitas, quæ eſt aliquid*

ne-

neceſſarium habet realem identitatem cum terminatione libera nolitiua mundi, debet ne concedi an negari? dico eſſe concedendam, dummodo ly *habet* amplietur ad ſignificandum tempus poſſibile: potest Diuinitas habere identitatem realem cum decreto nolitiuo mundi, & hanc potentiam retinet habendo identitatem realem cum decreto volitiuo mundi, ſicuti qui liberé amat, non amittit amando potentiam non amandi.

31. Ad ſecundum: argumentum á ſenſu reali ad ſenſum formalem nihil concludit, quia ſtatus realis non præſcindit ab vtroque contradictorio, á quo certè præſcindit ſtatus formalis: quare etiamſi repugnet, vt in ſenſu reali ſit aliquid, quod neque ſit perfectum, neque imperfectum, quod neque ſit accidens, nec ſubſtantia; neq; habeat eſse, neque non eſse, nihil obſtat, quo minùs in ſenſu formali & præciſiuo aliquid neque ſit, neque non ſit, neque includat, neque excludat perfectionem, neque ſit ſubſtantia, neque accidens, vt omnibus patet, non enim indiget vlteriori probatione. Quia veró hæc propoſitio, *terminatio libera Dei virtualiter non eſt perfectio*, facit ſenſum formalem, in ſenſu enim reali eſt ſine dubio ſumma perfectio, ideo non poteſt inferri ex veritate huius propoſitionis hæc alia propoſitio, *ergo, terminatio libera Dei eſt virtualiter imperfectio*, quia terminatio libera in ſenſu formali neque eſt perfectio, neque imperfectio, licet in ſenſu reali ſit infinita perfectio. Ratio á priori eſt, quia formalitas realiter indiſtincta & virtualiter diſtincta ab alia formalitate, quæ in ſenſu formali eſt omnis perfectio, non poteſt in ſenſu formali eſſe perfectio vel imperfectio, debet enim præſcindere á perfectione & imperfectione: ſed terminatio libera eſt realiter

liter indiſtincta, & virtualiter diſtincta ab ipſa diuinitate, quæ eſt formaliter omnis perfectio; ergo &c. Quid ergo formaliter eſt terminatio libera? eſt ne formaliter aliquid; vel nihil? dico; formaliter neque eſſe aliquid; neque formaliter eſſe nihil, quia formaliter præſcindit ab ente & non ente: quid ergo formaliter eſt? eſt terminatio actus liberi diuini; ſicuti paternitas; vt docet S. Thomas, neque virtualiter eſt aliquid neque virtualiter eſt nihil, ſed tantum eſt purum eſſe relatiuum. Non propterea incidimus in eum ſcopulum, in quem incidunt aduerſarij; quia apud nos terminatio libera in ſenſu reali eſt aliquid, eſt ens poſitiuum & perfectiſſimum, licet in ſenſu formali non ſit aliquid: apud aduerſarios terminatio libera, neque in ſenſu formali, neque in ſenſu reali eſt aliquid, quod eſt impoſſibile.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum ex capite contingentiæ repugnet realis identitas terminationis liberæ cum Deo.

1. Videtur repugnare, quia ex capite contingentiæ repugnat realis identitas entis creati cum ente increato; ergo ex eodem capite contingentiæ repugnat identitas realis terminationis liberę cum ente neceſſario. Antecedens patet; quia ratio entis creati eſt formaliſſime ratio entis contingentis: ſed ratio entis creati excludit realem identitatem inter Deum & creaturam, ergo ratio entis contingentis, adeoque ipſa contingentia excludit identitatem realem inter Deum & creaturam. Prima conſequentia patet, quia ra-

tio contingentiæ perinde inuenitur in terminatione libera, ac in ente creato.

2. Secundò: inter eſſe, & non eſſe repugnat realis identitas, ergo inter poſſe non eſſe & non poſſe non eſſe repugnat realis identitas: ſed ens neceſſarium non poteſt non eſſe, & contingens poteſt non eſſe, ergo repugnat identitas realis inter ens neceſſarium & contingens: ſed terminatio libera eſt contingens, ergo ex capite contingentiæ repugnat identitas realis inter Deum & terminationem liberam. Antecedens eſt euidens, quia idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: conſequentia probatur, quia non minùs opponuntur poſſe non eſſe & non poſſe non eſſe, quàm eſſe & non eſſe: ſed repugnat realis identitas inter eſſe & non eſſe: ergo etiam repugnat realis identitas inter poſſe non eſſe, & non poſſe non eſſe.

3. Tertiò: repugnat, vt Deus potuerit non eſſe: ſed non repugnat vt aliquid contingens potuerit non eſſe: ergo repugnat vt aliquid contingens ſit Deus: ſed terminatio libera eſt aliquid contingens: ergo ex capite contingentiæ repugnat identitas realis inter Deum & terminationem liberam. Confirmatur, quia decretum liberum creandi mundum potuit non eſſe: ſed decretum liberum creandi mundum eſt Deus, ergo Deus potuit non eſſe: atqui Deus non potuit non eſſe, ergo decretum liberum non eſt Deus.

4. Quartò: realis ſeparabilitas infert realem diſtinctionem: ſed inter decretum liberum Dei & ipſum Deũ inuenitur realis ſeparabilitas, ergo realis diſtinctio. Mi: patet, quia ea ſunt realitér ſeparabilia, quorum vnũ poteſt exiſtere alio non exiſtente: ſed non exiſtẽte decreto libero Dei poteſt exiſtere Deus, quia fuit poſſibilis hypotheſis in qua non

exi-

exiſteret hoc decretum, non fuit poſſibilis hypotheſis in qua Deus non exiſteret, ergo decretum liberum Dei eſt Deo ſeparabile. Confirmatur, quia creatura ideo eſt ſeparabilis á Deo, adeòque non habet realem identitatem cum Deo, quia poteſt exiſtere Deus & non exiſtere creatura, licèt non poſsit exiſtere creatura Deo non exiſtente.

5. Quintó: quod eſt nunc realitér diſtinctum á me non poteſt habere cum me realem identitatem, & quód eſt nunc á me realiter indiſtinctum, nō poteſt á me realiter diſtingui: ſed terminatio libera Dei nolentis mundū eſt nunc realiter diſtincta à Deo, quia Deus nunc non vult mundū non eſſe, & terminatio libera Dei volentis mundum eſt nunc realiter diſtincta á Deo, ergo neque illa potuit habere identitatem realem cum Deo, neque iſta potuit habere diſtinctionem realem à Deo, ergo terminatio libera vel non eſt contingens, vel non habet realem identitatem cum Deo, ergo ex capite contingentiæ infertur realis diſtinctio terminationis liberæ ab ipſo Deo. Ma: prob: quia identitas eſt prædicatum neceſſarium non contingens, quod enim habet realem identitatem cum aliquo, ſemper & neceſſarió habet cum ipſo realem identitatem: quare id, quód poteſt non habere realem identitatem cum me, non poteſt habere identitatem realem cum me.

6. Sextò: repugnat identitas realis inter ens perfectiſsimum & rem imperfectam: ſed terminatio libera eſt aliquid imperfectum, ergo repugnat identitas realis inter ens perfectiſsimum & terminationem liberam, ergo &c. Min: prob: quia poſſe non eſſe eſt imperfectio, ſed terminatio libera potuit non eſſe, ergo terminatio libera eſt aliquid imperfectum.

7. Septimó: quòd eſt indifferens vt habeat vel non habeat identitatem cum aliquo eſt mutabile: ſed Deus eſt indifferens vt habeat vel non habeat identitatem realem cum terminatione libera, quæ applicat volitionem mundo, ergo Deus eſt mutabilis: ſed hoc conſequens eſt falſum, ergo & antec.

8. Vltimò: nullum prædicatum diuinum potuit deficere: ſed terminatio libera potuit deficere, ergo nulla terminatio libera eſt prædicatum diuinum, ergo inter eſſe diuinum & terminationem liberam datur realis diſtinctio. Confirmatur, quia nullum defectibile eſt indefectibile, ſed ens neceſſarium eſt indefectibile, & terminatio libera eſt aliquid defectibile, ergo nulla terminatio libera eſt ens neceſſarium.

9. Reſpondetur: ex capite contingentiæ prædicabilis de terminatione libera actus diuini non ſequitur realis diſtinctio inter liberam terminationem actus diuini & ipſum actum diuinum, ſiue inter liberam terminationem actus diuini & ipſum Deum, qui eſt actus ſimpliſſimus intelligendi & volendi.

10 Vt demonſtrem huius ſententiæ veritatem, neceſſe habeo diſtinguere ambiguam ſignificationem, quæ inuenitur in hac voce *contingentia*, hinc enim pendet tota controuerſia, quàm habemus cũ aduerſarijs, an ratio abſtractiſſima contingentię inferat neceſſarió realem diſtinctionem inter prædicata libera & prædicata neceſſaria, quæ dicuntur de Deo.

11. Contingentia aliquando ſignificat mutabilitatem de non eſſe ad eſſe, & vice verſa de eſſe ad non eſſe: ita vt illud, quod habet contingentiam, poſſit tranſire de non eſſe ad eſſe, & de eſſe ad non eſſe. Hoc genus contingentiæ, qòd formaliſsimè

eſt

eſt genus mutabilitatis inuoluit duas formalitates eſſentialiter connexas, quarum vna eſt poſſe tranſire de non eſſe ad eſſe, alia eſt poſſe tranſire de eſſe ad non eſſe. Poſſe tranſire de non eſſe ad eſſe, eſt formaliſsimè poſſe ita eſſe, vt ante exiſtentiam præcedat negatio exiſtentiæ: poſſe tranſire de eſſe ad non eſſe eſt formaliſsimé poſſe ita eſſe, vt poſt exiſtentiam ſequi poſsit negatio exiſtentiæ. Ratio, cur iſtæ duæ formalitates ſint eſſentialiter cônexę, eſt ſatis manifeſta, quia valet conſequentia mutua ab vna formalitate ad aliam formalitatem, vt breuiſsimè demonſtro.

12. Neceſse eſt, vt non ſemper fuerit, adeóque non fuerit ab æterno id, quód ita eſt, vt poſsit non eſse in inſtanti conſequenti, repugnat enim fuiſse ab æterno id, quòd non durat per durationem indiuiſibilem & permanentem, vt oſtendi in lib. de Mundo & Cœlo: ſed id, quòd ità eſt, vt neceſſe ſit non ſemper fuiſse, ità eſt, vt exiſtentiam ſui aliquando anteceſserit eius negatio, ſi enim ita eſt, vt non fuerit eius negatio, antequam eſset, ſemper fuit, vt patet ex terminis, ergo neceſse eſt, vt negatio exiſtentiæ fuerit ante exiſtentiam illius, quód ità eſt, vt poſt eius exiſtentiam ſequi poſsit negatio exiſtentiæ. Quare hæc formalitas, poſse tranſire de eſse ad non eſse, infert hanc aliam formalitatem, nimirúm poſse tranſire de non eſse ad eſse. Quód autèm é conuerſo potentia tranſeundi de non eſſe ad eſſe inferat potentiam tranſeundi de eſſe ad non eſſe, demonſtro eodem argumento. Quidquid poteſt ita eſſe, vt non ſemper fuerit, poteſt tranſire de non eſſe ad eſſe: ſed omne id, quòd poteſt tranſire de non eſſe ad eſſe, poteſt ita eſse vt non ſemper fuerit, tranſire enim de non eſse ad eſse eſt idem formaliſſimé, ac incipere

cipere eſſe, ergo omne id, quòd poteſt tranſire de non eſse ad eſse, poteſt etiam tranſire de eſse ad non eſse.

13. Illa contingentia, quæ inuoluit has duas formalitates eſsentialiter connexas, eſt contingentia, quæ cum ente creato eſt conuertibilis, adeóque cum ente eſsentialiter imperfecto, quia nullum eſt ens creatum, quod non poſſit tranſire de non eſse ad eſse, & non poſſit de eſse tranſire ad non eſse. Non eſt dubium;an hæc contingentia inferat realem diſtinctionem ab ente neceſsarió, quia eſse contingens hoc genere contingentiæ eſt formaliſſimé eſse creatum ſiue eſse ab alio: ſed repugnat in terminis, vt ens creatum, ſiué eſse ab alio habeat realem identitatem cum ente neceſsarió,ergo repugnat in terminis, vt id,quòd eſt contingens hoc genere contingentiæ, habeat realem identitatem cum ente neceſsariò, ergo ex capite illius contingentiæ,quæ conuertitur cum ente creato,infertur realis diſtinctio inter prædicatum contingens & prædicatum neceſsarium.

14. Hoc genus contingentiæ nullatenús inuenitur in terminatione libera actus diuini, vt patet ex his, quæ docui in quæſt.2. ratio eſt, quia neutra ex illis duabus formalitatibus, quæ conſtituunt hanc contingentiam, eſt in terminatione libera decreti volentis mundum: in primis hæc terminatio libera non poteſt tranſire de eſse ad non eſse, quia repugnat, vt poſt eius exiſtentiam ſequatur eius negatio, ſicuti non repugnat, vt poſt exiſtentiam mundi ſequatur negatio mundi: deindé non poteſt tranſire de non eſse ad eſse, quia ſemper fuit, & poſito quòd eſt, neceſse eſt vt ſemper fuerit, quia Deus non poteſt aliquid vellé in tempore, quod non voluerit ab æterno, adeóque non ita fue-

fuerit, vt tranſiuerit de non eſse ad eſse, ſicuti tranſit de non eſse ad eſse id, quód ita eſt, vt aliquando non fuerit.

15. Contingentia in alio ſenſu vſurpata nihil aliud ſignificat, quám contingentiam alicuius formalitatis, quæ neque tranſire poteſt de non eſse ad eſse, neque de eſse ad non eſſe, adeóq; non potuit non eſse entitatiué, ſimplicitèr, & realitér, licét potuerit non eſse denominatiué, ſecundúm quid, & formaliter, quia totum eſse reale huius formalitatis, quæ in hunc modum denominatur contingens, eſt eſse neceſsarium, ſempiternum, & immutabile, etiam ſi hæc eadem formalitas potuerit non eſse ſecundùm aliquam formalitatem, vel virtualitatem, quæ præſcindit ab omni perfectione, & imperfectione, quatenús illud ens, quod ab iſta formalitate denominatur tale, potuit non denominari tale, potuit enim habere denominationem oppoſitam. Id, quod eſt contingens hoc genere contingentiæ, non poteſt non exiſtere ſimplicitèr, adeóque non poteſt non habere illud eſse reale, etiam ſi poſſit non habere aliquam denominationem ſibi intrinſecam, quam habet, eo quod habet aliquam formalitatem, quæ ſecundùm eſse virtuale non eſt neceſsaria. Hoc genus contingentiæ non inuoluit imperfectionem conuertibilem cum ente creato, vt demonſtro hoc ſyllogiſmo. Illa tantúm contingentia inuoluit imperfectionem conuertibilem cum ente creato, quæ includit exiſtentiam realiter defectibilem, ſed hoc genus contingentiæ non inuoluit exiſtentiam, neque vllam perfectionem realiter defectibilem, ergo non includit perfectionem conuertibilem cum ente creato.

16. Eſse neceſsariam, ne dum poſſibilem ali-

quam ſpeciem contingentiæ, quæ non eſt conuertibilis cum ente creato, adeóque non includit defectibilitatem in genere entis, ſed ſolùm defectibilitatem in genere denominationis, ſiué formalitatis præſcindentis ab omni perfectione, & imperfectione, patet hoc diſcurſu. Neceſse eſt libertatem non præſcindere á contingentia, quia vbi nulla eſt contingentia, ibi nulla eſt libertas: ſed neceſse eſt in genere libertatis exiſtere aliquam ſpeciem libertatis, quæ eſt perfectiſſima libertas, alioquin Deus non eſſet liber, ergo neceſſe eſt in genere contingentiæ eſſe aliquam ſpeciem contingentiæ, quæ non ſit conuertibilis cum ente creato, ſiué ente imperfecto: aliter non eſſet poſſibilis libertas, quæ caret omni defectu, non enim eſt poſſibilis libertas, quæ careat omni contingentia. Quare ſicuti neceſſe eſt, vt in genere libertatis ſint poſsibiles duæ ſpecies libertatis, vna perfecta in omni genere, alia imperfecta, ita neceſſe eſt, vt in genere abſtractiſsimo contingentiæ ſint poſsibiles duæ ſpecies contingentiæ, vna conuertibilis cum ente creato, & propria libertatis creatæ, alia non conuertibilis cum ente creato, & propria libertatis increatæ. Contingentia conuertibilis cum ente creato eſt contingentia in generé entis, quæ nimirúm habet eſse reale contingens: contingentia non conuertibilis cum ente creato eſt contingentia non in genere entis; ſed in genere denominationis, ſiué alicuius virtualitatis & formalitatis, quæ præſcindit ab omni perfectione & imperfectione: huiuſmodi contingentia inuenitur in actuali exercitio diuinæ libertatis, hoc enim non eſt contingens in genere èntis, quia eius entitas réalis eſt aliquid neceſsarium, nimirúm eſse diuinum; idem eſt contingens in genere denominationis, ſiué

ué formalitatis virtualitér diſtinctæ ab ente neceſſariò, quia ſi Deus habuiſſet aliud exercitium ſuæ libertatis, non fuiſſet eſſe virtuale, ſiuè denominatiuum huius formalitatis, licét fuiſſet totum eſſe reale eiuſdem.

17. Ex hac contingentia, quam voco contingentiam in genere denominationis, ſiuè formalitatis & virtualitatis non infertur diſtinctio realis inter eſſe diuinum & terminationem liberam, vt euidentèr oſtendo. Si hæc contingentia infert realem diſtinctionem inter Deum & actum liberum, vel ideo infert, quia infert verificari prædicata contradictória de actu libero & Deo, vel quia infert hæc prædicata, nimirùm contingentiam & non contingentiam: non primum, aliter non datur identitas realis inter naturam diuinam & perſonam Patris, quæ ſuſtinent prædicata contradictoria: non ſecundum, quia contingentia, quæ prædicatur de actu libero, & non prædicatur de Deo, nullam imperfectionem inuoluit, quia non eſt contingentia in genere entis, ſed tantúm in genere denominationis, ſiué virtualitatis, adeóque non obſtat, quó minús tantundem perficiatur terminatio libera á naturá diuiná quãtúm perficit ſe ipsã, atq; adeò habeat cum eadem realem identitatem: ratio á priori eſt, quia contingentia, quæ eſt in genere alicuius virtualitatis, non impedit, quò minùs eſſe reale eiuſdem formalitatis ſit aliquid neceſſarium, ſicuti incommunicabilitas in genere alicuius virtualitatis non impedit, quò minùs eſſe reale formalitatis incommunicabilis ſit aliquid communicabile, vt omnes tenentur concedere in Myſterio Trinitatis.

18. At repugnat, vt eſſe reale formalitatis contingentis ſit aliquid neceſſarium: dicas mihi, te

enim, qui mecum in hac re pugnas, ſemper vrgebo in rem meam hoc exemplo, cui non poteris repugnare. Repugnat né, vt eſſe reale formalitatis incommunicabilis ſit communicabile? quid dicis? ſi dicis repugnare: ſtatim infero repugnare Myſterium Trinitatis, quod conſiſtit in eo, quód ſingulæ perſonæ ſint incommunicabiles, & natura diuina, quæ eſt eſſe reale perſonarum diuinarum, ſit communicabilis. Si dicis non repugnare, vt re vera non repugnat: quare repugnabit, vt eſſe reale formalitatis contingentis ſit aliquid neceſſarium? nullam in hac re video diſparitatem, niſi omninò materialem, quæ á Philoſopho non attenditur: quare neceſſe eſt in re præſenti eleuare intellectum ſupra omnes imagines formalitatum creatarum, quæ propter ſuum eſſe limitatum non poſſunt habere identitatem realem, & ſuſtinere prædicata contradictoria.

19. At rem ſummé arduam, quam captiuantes intellectum in obſequium fidei credimus in illo Myſterio, quod ſuperat omnem rationem, & Deo placuit nobis reuelare, non debemus transferre ad aliam controuerſiam, de qua hucuſque nihil fuit nobis á Deo reuelatum. Tecum non contendo, eſſe rem valdé arduam, quód duæ formalitates diuinæ realitèr indiſtinctæ ſuſtineant prædicata contradictoria, atque adeo ſit aliqua formalitas diuina habens realem identitatem cum formalitatibus realitér diſtinctis. Nemo tamen dubitare poteſt, an hoc ſit verum, quia in hac veritate ardua quidem ſed indubitata, fundatur vnum ex præcipuis Myſterijs Chriſtianæ Religionis: quis ergo me redarguet, qui vtor veritate apud omnes Catholicos certiſſima ad reuelandum aliud Sacramentum, quód eſt ſummé mirabile, quomodo nimirúm

mirúm Deus ſit liber & ſimul immutabilis? ego enim exiſtimo non eſſe minorem difficultatem in componenda libertate cum immutabilitate Dei, quam in componenda vnitate naturę cum Trinitate perſonarum: quis igitur non exiſtimabit probabiliſſimũ in hac re, quod eſt certum circa formalitates diuinas vnam abſolutam, & aliam relatiuam? ex quibus tandem efficitur nullius momenti eſſe argumentum, quod nobis ex capite contingentiæ opponunt aduerſarij, æquiuocantur enim ab vna ád aliam ſpeciem contingentiæ.

20. Ad primúm: diſtinguo antecêdens: Identitas realis entis creati cum increato repugnat ex capite cuiuſcumq; contingentiæ: ne: antec: ex capite contingentiæ conuertibilis cum ente creato: concedo ant: & nego conſeq: Ratio entis creati, & ratio entis contingentis aliqua contingentia ſunt rationes conuertibiles: non ſunt rationes conuertibiles ratio entis creati, & ratio entis contingentis qualibet contingentia. Ratio eſt, quia in genere contingentiæ eſt contingentia conuertibilis cum ente creato, quæ eſt contingentia in genere entis, & habet éſſe reale realiter defectibile: prætereá eſt contingentia non conuertibilis cum ente creato, quæ eſt contingentia tantùm ſecundúm quid, nimirúm denominatiua, ſiué formalis, & habet eſſe reale neceſſarium, & realitèr indefectibile. Diſtinctio realis inter ens creatum & increatum optimè infertur ex illa contingentia, quæ eſt contingentia in genere entis, eſt enim formaliſſimè ab alietas: non infertur ex contingentia abſtractiſſimè accepta, quatenús præſcindit á contingentia in genere entis & á contingentia, quæ non eſt contingentia in genere entis, quia á contingentia abſtrahente ab vtraque ſpecie contingentiæ neque infer-

infertur realis identitas, neque realis diſtinctio. Quód autém realis identitas in genere entis inferat realem diſtinctionem ab ente neceſſarió, eamque non inferat contingentia, quæ non eſt in genere entis, patet, quia contingentia in genere entis poteſt realitèr non exiſtere, habet enim eſſe realitér defectibile, ergo non perficitur ab ente neceſſario eo modo, quo ens neceſſarium perficit ſe ipſum, ergo non habet realem identitatem cum ente neceſſarió. E' contrarió contingentia, quæ nō eſt contingentia in genere entis, non poteſt realitér non exiſtere, quia habet eſſe realitèr indefectibile, ergo poteſt & debet tantùm perfici ab ente neceſſarió, quantúm ens neceſſarium perficit ſe ipſum, ergo poteſt & debet habere identitatem realem cum ente neceſſarió.

21 Ad 2. conc. totum primum argumentum; & diſtinguo antecedens ſubſumptum quantúm ad ſecundam partem; contingens in genere entis conuertibile cum enté creato poteſt non eſſe: conc. antecedens: contingens in genere denominationis non conuertibilis cum ente creato: nego antecedens: & diſtinguo conſequens: ergo repugnat identitas realis inter ens neceſſarium, & ens contingens contingentia conuertibili cum ente creato: conc: conſequentiam: contingentia non conuertibili cum ente creato; nego conſequentiam. Diſtinctio virtualis infert neceſſarió identitatem realem, illa igitur quæ non poſſunt habere identitatem realem, non habent diſtinctionem virtualem: hinc duæ formalitates, quarū vna habet eſſe reale, alia non habet eſſe reale, non habent diſtinctionē virtualem, quia non habent identitatem realem, repugnat enim vt vna formalitas aliam perficiat perinde ac ſe, quod eſt neceſſarium ad realem iden-

identitatem,ſi vna formalitas non communicat alteri totum ſuum eſſe reale: atquí non cõmunicat,ſi vna realiter eſt, alia realiter non eſt: duæ igitur formalitates,quarum vna realiter eſt, alia realiter non eſt, non habent realem identitatem, adeoque non ſunt capaces diſtinctionis virtualis. Hinc nõ poteſt idem ſimul eſſe & non eſſe, ſiue ſit idẽ omnino,hoc eſt idẽ realiter & virtualiter,ſiue ſit idem quod non eſt omnino idem, hoc eſt idem realiter, & non idem virtualiter. Quare non omnia prædicata contradictoria poſſunt ſine contradictione verificari de formalitibus realiter indiſtinctis, quia licet omnia contradictoria ſint perinde cõtradictoria, aliqua ſunt,quæ non poſſunt verificari de formalitatibus ſe ſummè perficientibus, adeoque realiter indiſtinctis.Communicabile,& incommunicabile perinde ſibi contradicunt,ac eſſe realiter, & non eſſe realiter, & tamen illa non iſta verificantur de Diuinitate, & Paternitate virtualiter diſtinctis, quia Paternitas ſi realiter non eſſet, non perficeretur à Diuinitate quantum Diuinitas perficit ſe ipſam,atque adeo non haberet realẽ identitatem cum Diuinitate.Contingentia,quæ nõ eſt in genere entis, ſed eſt in genere denominationis,ſiue virtualitatis,poteſt verificari de terminatione libera indiſtincta realiter à formalitate neceſſaria,quæ non poteſt nõ eſſe,quia huiuſmodi contingentia non infert potentiam non exiſtendi ſimpliciter, ſed tantúm non exiſtendi denominatiué, hoc eſt non habendi aliquam formalitatem, quæ neque eſt perfectio,neque imperfectio.

22 Ad 3.conc:ma:& diſtinguo mi:nõ repugnat, vt aliquid contingens in genere entis poſſit nõ eſſe: conc:mi:in genere denominationis nego mi:& nego conſeq:. Non debes diſcurrere, ſi vis bene

diſcur-

diſcurrere de contingentia, quæ non eſt in generé entis, ſed tantum in genere denominationis ſicuti diſcurris de contingentia in genere entis, hæc enim habet eſſe reale contingens, adeoque non poteſt habere identitatem realem cum ente neceſſario: illa é contrarió non habet eſſe reale contingens, licet habeat eſse virtuale contingens contingentia denominationis. Hinc patet ad confirmationem: in forma diſtinguo ma: decretum creandi mundũ potuit non eſſe entitatiuè: nego ma. denominatiuè conc: ma: & diſtinguo mi: decretũ Dei denominatiué eſt Deus realiter, & virtualiter: ne: mi: realiter & nõ virtualiter: conc: mi: & nego conſequentiã. Eſse reale huius decreti quo Deus vult mundum eſse, nõ potuit non eſse, quia ſi Deus voluiſset non creare mundum, fuiſset illud idem eſse reale decreti liberi, quod eſt nũc: eſse autem virtuale, ſiue eſse denominatiuum potuit non eſse. Neque proinde ſequitur potuiſse aliquo modo non eſse Deum, cum quo habet realem identitatem eſse denominatiuum & virtuale huius decreti, quia diſtinctio virtualis inter Deum & hoc decretum eſt cauſa, cur non poſſit prædicari de Deo illud idem, quod prædicatur de hoc decreto. Quare ſicuti non valet ita arguere, Deus eſt Pater: ſed Filius non eſt Pater, ergo Filius non eſt Deus; ita non valet argere: decretum liberum potuit non eſsè denominatiuè: ſed hoc decretum eſt Deus, ergo Deus potuit non eſse denominatiuè: ratio eſt eadẽ vtróbique, quia ſicuti inter Deum, & Patrem datur diſtinctio virtualis: ita inter decretum liberum Dei & ipſum Deum datur diſtinctio virtualis.

23 Ad 4. diſtinguo ma: inter ea datur diſtinctio realis, inter quæ datur ſeparabilitas quo ad eſse reale: conc: ma: quo ad eſse denominatiuum & vir-

virtuale nego ma: & diſtinguo mi: inter decretum liberum Dei & ipſum Deum eſt realis ſeparabilitas entitatiua:ne: mi: dénominatiua:conc:mi:&ne: conſequentiam. Ea,quæ ita ſunt ſeparabilia vt eſse reale vnius ſit ſeparabile ab eſse reali alterius non habent realem identitatem, quia non cōmunicant ſibi ſummé omnem ſuam perfectionem: hæc ſeparabilitas non inuenitur inter decretum liberum Dei, & Deum,quia Deus nunquam potuit eſſe ſine illa entitate reali, quæ eſt entitas realis decreti diuini: quæ vero ſunt inſeparabilia entitatiué & ſolúm ſunt ſeparabilia denominatiué ſecundúm aliquam formalitatem, poſſunt immó debent habere realem identitatem. Exemplum creaturæ ſeparabilis á Deo, adeoque realiter diſtinctæ á Deo non eſt ad rem, quia inter Deum & decretum liberum non ponimus illam ſeparabilitatem, quam ponimus inter creaturam, & Deum.

24 Ad 5. in Deo eſt nunc totum eſſe reale illius terminationis liberæ,quæ denominaret Deum non volentem mundum, ſi mundum Deus non creaſſet: ſicuti fuiſſet totum eſſe reale illius terminationis liberæ,quæ nunc denominat Deum velle mundũ, quia eſſe reale vtriuſque terminationis eſt vnum & idem, nimirum eſſe neceſſarium Dei. Hinc nihil eſt nunc identificatum cum Deo, cuius eſſe reale potuerit non eſſe Deo exiſtente, ſicuti nihil eſt nũc diſtinctum á Deo,cuius eſſe reale potuerit habere identitatem realem cum Deo. Cæterum quód aliquid habens nunc identitatem cum Deo potuerit non denominare Deum, ſicuti nunc denominat, non debet videri mirum, quia licet repugnet, vt illa formalitas quæ habet identitatem realem & virtualem cum Deo, non tribuat Deo illam denominationem, quam in præſenti tribuit, non repugnat

gnat, vt formalitas quæ habet identitatem realem cum Deo, & ſimul habet diſtinctionem virtualem á Deo, non tribuat Deo illam denominationem, quam in præſenti tribuit. Ratio á priori eſt, quia ad neceſſitatem identitatis & diſtinctionis ſatis eſt, quód ſit aliquid neceſſarium entitatiuè, non enim requiritur, vt ſit aliquid neceſſarium denominatiuè ſecundúm omnem formalitatem: quare ad ſuſtinendam identitatem inter Deum & terminationem liberam ſatis eſt, vt non poſſit exiſtere Deus & non exiſtere illud eſſe reale, quod habet terminatio libera: quidquid ſit de eſſe formali & denominatiuo.

15 Ad 6. conſtat ex dictis, quia terminatio libera Dei volentis mundum in ſenſu reali eſt infinita perfectio, licet in ſenſu reali neque ſit perfectio, neque imperfectio.

26 Ad 7. Deus eſt indifferens, vt identificetur cum terminatione libera non entitatiuè ſed denominatiuè, quiá tota entitas terminationis liberæ eſt realiter ipſe Deus, qui ſine dubio non eſt indifferens, vt habeat vel non habeat ſuum eſſe reale, quidquid ſit de indifferentia, quam habet, vt denominetur volens mundum. Hinc eſt? quód Deus non eſt mutabilis, quia non habet indifferentiam, vt acquirat aliquam entitatem realem.

27 Ad vlt. conc: ma: & diſtinguo mi: terminatio libera potuit deficere entitatiuè: nego mi: denominatiuè conc: mi: & nego conſequentiam: vel claritatis gratiá diſtinguo conſequens: nulla terminatio libera eſt realiter prædicatum diuinum: nego conſequentiam: virtualiter: omitto conſequentiam. Hinc patet ad confirmationem, quia nullum entitatiuè defectibile eſt indefectibile, ſed aliquod entitatiuè non defectibile, & denominatiue defecti-

fectibile eſt vere defectibile : terminatio igitur libera, quæ non eſt entitatiue defectibilis, licet ſit denominatiué defectibilis, poteſt & debet eſſe aliquid realiter indefectibile.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De Deo quatenus vltimo fine.

VLtimus finis, qui conuertitur cum felicitate, eſt adeó notus, vt nihil ſupra de hoc iuuat hic aliqua agere, vt conſtet ex hoc etiam capite Diuina Excellentia.

QVAESTIO I.

An detur in naturà vltimus finis ſiue felicitas.

1\. VIdetur non eſſe, quia in ſerie boni non datur vltimum : ergo neque in ſerie finis. Conſequentia patet quia bonũ & finis reciprocantur : antecedens probatur, quia bonum eſt diffuſiuum ſui, vt dicit Dionyſius in quarto de Diuinis Nominibus : ergo nullum datur bonum, à quo non procedat aliud bonum, adeoque in ſerie boni datur proceſſus in infinitum.

2\. Se-

2. Secundo: quia bonum non habet rationem finis mouentis voluntatem, niſi proponatur per rationem, vel intellectum: ſed intellectus poteſt in infinitum procedere in ſuis reflexionibus: ergo idem quod prius.

3. Tertiò: Homo non poteſt eſſe naturaliter felix neque in præſenti, neque in futurá vita: ergo felicitas naturalis hominis eſt impoſſibilis. Antecedens quoad primam partem eſt manifeſtũ, tùm quià nemo eſt, qui in præſenti vita habeat omnia, quæ vult: beatus veró ille eſt, vt inquit Auguſtinus, qui habet omnia quæ vult, & nihil malè vult: tùm quià ad prefectam beatitudinem requiritur eiuſdem perpetuitas, quæ non inuenitur in hac breui & caducà vita. Antecedens quoad ſecundam partem probatur primò, quia non eſt certum lumine rationis, animam eſſe natura ſua immortalem, adeoque non extingui vnà cum corpore: ſecundó etiamſi anima ſit immortalis, adeòque viuat ſeparata á corpore, in eo ſtatu non poteſt eſſe beata, quia non poteſt intelligere ex defectu Phantaſmatum, quæ debet naturaliter ſpeculari, vt dicit Philoſophus: tertiò quia data felicitaté animæ, adhuc homo non intelligitur beatus, cum anima non ſit homo.

4. Reſpondetur. Ex ijs, quæ in tomo 2. diſputata ſunt de Cauſa finali diſp. 11. quæſt. 1. num. 1. 2. & 3. & in tomo 3. de immortalitate Animæ diſp. 11. quæſt. 2. nu. 5. 6. & ſequ. euidens eſt dari in natura aliquem vltimum finem, quem aſſequendo homines beati euadant. Eſt communis apud omnes Theologos & Philoſophos tàm Catholicos, quám Gentiles

5. Probatur primo: euidens eſt dari in natura aliquod ſummum bonum, quod eſt ab homine

pro-

propter ſe appetibile, & in ordine ad quod omnia ſunt appetibilia: ſed euidens eſt hoc tale bonũ eſse vltimum finem, ad quem homines perueniendo euadunt beati: ergo &c. Minor patet, quia nomine vltimi finis ſufficientis ad beandum hominem intelligimus ſummum bonum hominis propter ſe appetibile. Maior probatur: euidens eſt dari in materia aliquod bonum, quod eſt ab homine amabile: ergo euidens eſt dari aliquod bonum ſummum propter ſe vltimò appetibile in ratione vltimi finis. Antecedens patet, quia per euidentem conſequentiam ex appetitu infertur appetibile; ſicuti ex intellectu intelligibile. Cõſequentia probatur, quia bonum ab homine amabile vel eſt bonum perfectum hominis, vel imperfectum: ſi dicis eſſe perfectum bonum: habeo intentum; quiá bonum perfectum hominis eſt per ſe vltimó amabile, adeoque vltimus finis: quód ſi dicas eſſe imperfectum, contrà ſic argumentor: bonum imperfectum cognitum vt imperfectum quantumuis per ſe ſit amabile, non poteſt eſſe vltimò amabile: ergo bonum imperfectum cognitum vt imperfectum non poteſt mouere voluntatem ad ſui amorem, niſi propter aliud bonum ſit amabile. De hoc alio bono rursús redibit quæſtio; quare vel deueniendum erit ad aliquod bonum vltimó amabile, in cuius amore voluntas ſiſtat, vel procedendum erit in infinitũ á voluntate vnũ propter aliud amante: fieri autem non poteſt, vt voluntas amando aliquid agat, niſi in aliquo bono ſiſtat, quo habito ceſſet omnis motus, omniſque appetitus inquiſitiuus boni: ergo &c.

6. Confirmatur primó idem argumentum, quia in genere boni ea, quæ habent rationem puri medij, & conſequenter amari non poſſunt niſi

propter aliud, valet hæc conſequentia *datur bonum propter aliud amabile: ergo datur bonum per ſe amabile*: ergo etiam in genere bonorũ quæ habent rationem finis, & rationem medij valebit hæc conſequentia: *datur aliquod bonum per ſe amabile quod ſimul eſt amabile propter aliud: ergo datur aliquod bonum per ſe amabile, & non propter aliud amabile.*

7. Confirmatur 2. quiá ex Ariſtotile 2. Phyſ. tex. 49. itá ſe habet finis in operabilibus, ſicuti principium in demonſtrabilibus: ſed omnis veritas demonſtrabilis reſoluitur in aliquam veritatẽ indemonſtrabilem & notam immediaté ex terminis, vt dicitur in primo Poſteriorum: ergo omnis bonitas amabilis propter aliam reſoluitur in bonitatem per ſe vltimò amabilem.

8. Probatur 2. á poſteriori: appetitus conſequendæ felicitatis eſt naturalis: ergo eſt poſſibilis naturaliter felicitas hominis. Antecedens patet, quia omnes appetunt felicitatem, ex eo autèm quód appetitus felicitatis inuenitur in omnibus hominibus, ſequitur per euidentẽ conſequentiam eſſe á natura inditum, ſicuti ex eo quód omnis ignis eſt calidus, arguimus calorem eſſe igni naturalem. Conſequentia probatur, quia nullus appetitus naturalis eſt circa bonum impoſſibile, alioquin eſſet appetitus imprudentiſſimus ac ſtultiſſimus, quid enim poteſt fingi magis ſtultum, ac ridiculum, quám appetere bonum chimæricũ, & conari ad illud habendum, quod haberi non poteſt? nullus autém appetitus à natura datus poteſt eſſe eſſentialiter ſtultus, atque imprudens, cum id intrinſecé dedeceat ſapientiſſimum Artificem, qui omnia condidit in pondere numero, & menſura; qualis eſt author naturæ. Confirmatur, quia

quia omnes appetunt felicitatem: ergo exſtimant poſſibilem: ſed id, quod omnes exiſtimant poſſibile, eſt vere poſſibile iuxtá illud principium indubitatum: *quod omnibus videtur verum eſt*: ergo &c.

9. Hinc colliges, non minús eſſe euidens dari in natura aliquem finem vltimum, quem aſſequendo ſubſtantiæ intelligentes euadunt beatæ; quàm euidens ſit dári in natura vnum primum principium, à cuius infinitá ſapientia tota hæc mũdi machina ſuas eleganter tributa in partes fuit elaborata; ideò ſicuti demonſtratur vniuerſam cauſarum efficientium multitudinem reſolui in cauſam primam improductam, itá demonſtratur multitudinem bonorum mouentium voluntatem reſolui in aliquod bonum completum, quod percipimus, dum experimur nos velle bené eſſe.

10 Ad primum: oſtenſum eſt non poſſe procedi in infinitum in ſerie bonorum: neque obſtat dicere bonum eſſe á bono, quia licet id verum ſit, non proindé probatur vnum bonum ita procedere ab alio, vt procedendum ſit in infinitum. Ratio eſt, quia omne bonum, quod non eſt ſummum bonum, eſt ab alio á ſe diſtincto, cum ſit bonum contingens, quod alio á ſe diſtincto indiget, vt ſit: At bonum quod eſt ſummum bonum, eſt quidem á bono, ſed non eſt á bono á ſe diſtincto, quia eſt bonum neceſſarium adeoque exiſtens á ſe. Quod autẽ deſcendendo á bono neceſſario ad contingens non poſſit in infinitum procedi, patet, quia omne bonum contingens eſt á bono neceſſarió, quod non operatur ex neceſſitate naturæ, ſed liberé, adeoque ponendo terminum in ſerie bonorum á ſe procedentium. Hinc eſt, quód in genere bonorum ſiſtendum neceſſarió eſt in aliquo

bono, à quo non fluit aliud bonum, id cenſeo eſſe materiam primam, quæ cum ſit purà potentia, poteſt quidém bonum recipere; ſed non dare; adeoque imperfectè participat rationem boni; quia, vt egregiè inquit Dionyſius, bonum ad eam pertingit, non niſi per quandam obſcuram reſonantiam.

11 Ad 2. Omitto pro præſenti poſſe intellectum in infinitum procedere in ſuis reflexionibus; inde tamen nihil ſequitur contrà noſtram concluſionem; túm quia cognitio, quæ repræſentat bonum voluntati, non habet rationem finis, ſed tantùm applicat finem, eo modo, quo approximatio non eſt cauſa, ſed applicatio cauſæ, tùm quia non eſt neceſſarium, quòd intellectus infinitis reflexionibus torqueatur vt voluntas aliquid amet in ratione finis vltimi.

12 Ad 3. concedo antecedens, quoad primã partem, & nego quoad ſecundam. Ad primam eius probationem dico lumine naturæ euidenter demonſtrari animæ rationalis immortalitatem, vt conſtat ex tomo tertio huius curſus Philoſophici diſput. 11. Vnum addo, euidenter inferri animæ immortalitatem ex ipſis rationibus, quibus à nobis demonſtratum fuit dari naturalem hominis felicitatem, quam in vita futura demonſtramus poſſe conſequi, eo quód in præſenti nullus eſt, qui ad eam perueniat. Ad ſecundam probationem dico, animam ſeparatam á corpore intelligere abſque conuerſione ad Phantaſmata eo modo, quo intelligentiæ, ſiue Angeli non habent neceſſitatem conuertendi ſe ad Phantaſmata, vt intelligant. Neque obſtat Authoritas Ariſtotelis de intellectu, qui ſpeculatur Phantaſmata, quia ibi loquitur Ariſtotiles de intellectu vnito corpori mortali: quia

præ-

præter ſtatum vnionis animæ cum corpore mortali, qui eſt humano intellectui naturalis, datur alius ſtatus ſimiliter naturalis, qui eſt ſtatus ſeparationis, in quo ſiné vlla dependentia à ſenſibus intelligit. Ad tertiam probationem reſpondeo, hominem fieri beatum per beatitudinem animæ; quia licet anima non ſit homo, eſt pars principalis hominis, & corpus eſt eius inſtrumentum: itá veré dicitur nunc Diuus Petrus beatus per hoc præciſé, quód anima ſit beata.

QVAESTIO II.

Vtrum naturalis Felicitas conſiſtat in bono finito, vel infinito.

1. Videtur conſiſtere in bono finito: primó, quia bonum ſufficiens ſatiare omnem appetitum naturæ rationalis eſt bonum beatificum: ſed bonum creatum & finitum eſt ſufficiens: ergo &c. Minor probatur, quia natura rationalis eſt ſimpliciter finita: ergo bonum eiuſdem ſatiatiuum eſt finitum, & non infinitum, cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio.

2. Secundo: quia Beatitudo ſubſtantiæ creatæ debet infinité diſtare á beatitudine naturaliter debita ſubſtantiæ increatæ: ergo datur infinita diſtantia inter obiectiuam beatitudinem vtriuſque: ſed beatitudo obiectiua ſubſtantiæ increatæ eſt bonum infinitum: ergo beatitudo obiectiua ſubſtantiæ creatæ debet eſſe bonum finitum, quod ſolum infinité diſtat á bono infinito.

3. Confirmatur, quia bonum beatificum hominis non conuertitur realiter cum bono infinito:

aliter quicunque appeteret bonum beatificum, appeteret ſimul, & cognoſceret bonum infinitum, quod eſt contrà experientiam, vt patet in omnibus Atheiſtis, qui negant Deum exiſtere.

4. Tertiò; Bonum infinitum & increatum non poteſt reddere béatum hominem, quatenùs intuitiué cognitum, quia nullus intellectus creatus poteſt naturaliter videre Deum, neque quatenús abſtractiuè cognitum, quia per huiuſmodi cognitionem non expletur illud deſiderium, quod viſo effectu naturaliter accenditur in intellectu, videndi eius cauſam, & cognoſcendi exemplar, ad cuius imitationem eſt imago cognita, ergo beatitudo naturalis hominis non eſt bonum increatum:

5 Quartó: Fieri non poteſt, vt illud bonum ſit felicitas hominis, quòd quanto meliús poſſidetur, tanto magis redditur homo inquietus: ſed hoc contingit reſpectu boni increati abſtractiuè cogniti: ergo &c. Minor probatur, quia creſcente cognitione abſtractiua ſummi boni creſcit admiratio, qua creſcente augetur ſollicitudo, quia admiratio naſcitur ex ignorantia torquẽte intellectum, qui naturaliter ſcire deſiderat, vt dicitur in primo Metaphy. Rurſus creſcente beatitudine creſceret amor ſummi boni, & per conſequens anxietas amantis fundata in naturali repugnantia videndi bonum amatum.

6 Reſpondetur: duo nobis ſunt examinanda in quæſt. præſenti. Primó vtrum beatitudo obiectiua hominis ſit aliquod ſimpliciter finitum, & creatum; an potiús bonum ſimpliciter infinitum, & increatum. Secundò facta hyppoteſi, quòd bonum increatum ſit obiectiua beatitudo hominis; quæritur, vtrum hoc bonum in ſtatu naturali cognoſceretur intuitiué, hoc eſt per ſpecies pro-

prias

prias videndo immediaté Diuinam Eſſentiam; ſicuti fide diuina certum eſt, Deum ab omnibus Beatis videri in patria iuxtá illud Ioannis in cap. 3. ſuæ Epiſtolæ, *non dum apparuit, quid erimus ſcimus, quoniam dum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, & illud Apoſtoli Pauli 1. ad Corinthios 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem*: An verò id bonum cognoſceretur cognitione abſtractiua contemplando Deum in creaturis.

7 Quantum ad illud, quod primo loco examinandum propoſuimus, in várias repugnanteſque opiniones diſtractos inuenio Antiquos, & Gentiles Philoſophos, adeo vt mirúm ſit quám ridiculé,& inepté plurimi eorum philoſophati ſint de naturali hominis felicitate, vt poteſt facilé deprehendi ex eorum apertis erroribus, quos referre non vacat; ſatis erit illos curſim legere in cap. 4. 5. & 6. lib. 1. Ethicorum Ariſtotelis; & in lib. 9. S. Aug. de Ciuitate Dei. Hac certé ſuper re tot ſunt ſententiæ, quot capita; quia enim, vt ait Philoſophus, *qualis vnuſquiſque eſt, talis ei finis videtur*, & vt celebris ille Poeta cecinit.

Sua cuique Deus fit dira cupido

Alij cenſuerunt voluptatem eſſe ſummum bonum, vt Epicurei in quos acriter inuehitur Aug. alij virtutem, vt Stoici; aduerſus quos iocatur egregié Cicero in quæſtionibus Tuſculanis: alij honorem, & diuitias, quos omnes tanquam veræ felicitatis capitales hoſtes non ſeorſum, ſed coniunctim aggrediemur, vt vno omnes ictu faciliús confodiãtur.

8 Dicendum igitur primo: Beatitudinem obiectiuam etiam naturalem hominis non eſſe bonum finitum, & creatum; ſed bonum infinitum, & increatum. Hanc ſententiam videtur docuiſſe

Ariſtoteles in primo Ethicorum, quem ſequuntur omnes Peripatetici contrá Stoicos, & Epicureos.

9 Probatur primó á priori: intellectus & voluntas, quibus homo á brutis ſecernitur, ſunt potētiæ immateriales; adeoq; vniuerſales, vt conſtat ex tom. 3. diſp. 10. qu. 1. nu. 6. Præterea manifeſtum eſt potentiam ſecundùm quid illimitatam, hoc eſt ſe extendentem ad omnia non poſſe ſatiari per bonum creatum, & finitum ſimpliciter; quia bonum, quod non eſt omne bonum, adæquare non poteſt potentiam perceptiuam omnis boni, ſicuti verum, quod non eſt omne verum, implere non poteſt potentiam perceptiuam omnis veri: ergo intellectus & voluntas, quæ ſunt potentiæ ſpirituales, adeoque vniuerſales in operando, non poſſunt quieſcere niſi in bono ſimpliciter infinito: ergo naturalis beatitudo hominis eſt bonum infinitum. Confirmatur hæc conſequentia huiuſmodi ſyllogiſmo: ſolúm bonum ſimpliciter infinitum eſt bonum perfectū, & vniuerſale; ſed bonum beatificum hominis eſt bonum perfectum & vniuerſale; vt demonſtratum eſt: ergo &c.

10 Probatur ſecundò: nullum ens creatum poteſt eſſe vltimus finis hominis: ergo nullum bonum creatum poteſt eſſe eius beatitudo. Antec: probatur primó: non minús repugnat, vt aliquod ens creatum in genere cauſæ efficientis ſit primum agens, ſiue prima cauſa, quám repugnet, vt in genere cauſæ finalis ſit vltimus finis; ſed implicat in terminis aliquod ens creatum eſſe primum agens, & primam cauſam: ergo ſimiliter implicat contradictionem eſſe vltimum finem. Confirmatur hoc argumentum: quia non minus eſt limitatum in genere boni quodlibet bonum creatum,

quám

quám ſit limitatum in genere entis;ſed ex eo quòd ſit limitatum in genere entis, non poteſt eſſe cauſa prima,quæ de ſuo conceptu formali dicit modum operandi adeoque modum eſſendi illimitatum : ergo ex eo,quòd ſit limitatum in genere boni non poteſt eſſe vltimus finis. Secundò : ſi aliquod ens creatum eſſet vltimus finis hominis, ſequeretur, quòd maximæ virtutes eſſent maxima vitia, & é contrariò maxima vitia euaderent maximæ virtutes, adeoque perturbaretur totus ordo moralis. Probatur, quia inter maximas virtutes creaturæ rationalis ea cenſetur eſſe, quód tanto amoris impetu rapiatur in Deum, vt propter ipſum contemnat omne bonum creatum; ſed in illa hypotheſi contemptus omnis boni creati eſſet maximum vitium, quia includeret contemptum felicitatis, & vltimi finis, in quo contemptu conſiſtit maximum hominis vitium; cum malitia cuiuſcumque peccati deſumatur ex contemptu vltimi finis. Quód autem vitia maxima forent maximæ virtutes demonſtratur; quia nullum eſt maius vitium, quám ſummé adhęrere alicui creaturæ, eámque ſuper omnia amare, conſtituendo ipſam tanquam primam regulam ſuarum operationum: ſed in eadem hypotheſi id facere eſſet maxima virtus,quid enim poteſt inueniri magis laudabile, & magis conſonum rationi, quám omni conatu & ſuper omnia ferri in bonum beatificum, idemque conſtituere regulam ſui amoris? Tertió, quia Deus eſt eſſentialiter primum principium rerum omnium : ergo eſt eſſentialiter vltimus earum finis; adeoque ratio vltimi finis, & ratio primi principij eſſentialiter conueniunt Deo, qui propterea omnia operatur propter gloriam ſuam, intendo in ſe tanquam in fine. Vndè patet naturam eſſe adeó ſapienter ordinatam

natam vt ſubſtantiæ intelligentes mirabilem quemdam circulum conficiant diſcedendo à Deo tanquam à primo principio, & reuertendo ad eundem tanquam ad centrum, & finem totius naturæ, eo modo, quo flumina ſe ſe in mare exonerantia ad locum, vnde exeunt, reuertuntur.

11. Dicendum ſecundò: bonum infinitum eſſe bonum beatificum hominis in ſtatu puræ naturæ cognitum abſtractiuè, & in creaturis: non intuitiuè & in ſua eſſentia. Hæc ſententia eſt communis apud omnes Theologos, & illos etiam Philoſophos qui aſſerunt bonum infinitum eſſe bonum beatificum.

12. Ad huius euidentiam ſciendum eſt á nullo intellectu creato poſſe naturaliter videri Deum per eſſentiam, ſed ſolúm poſſe ſupernaturaliter per potentiã obedientialẽ, vt conſtat ex diſp.7.q.1.n.6. qua in re conueniunt omnes, licet diſcrepent inter ſe in aſſerenda ratione á priori, quæ oſtendat repugnantiam intellectus creati ad videndum per ſua naturalia immediatè Deum. Aliqui recentiores exiſtimant nullam poſſe afferri, quæ hanc veritatem nobis perſuadeat: huiuſmodi authorum pace cenſeo eſſe optimam rationem, quam modo ſubijcio hauſtam ex S. Thoma in 1. part. qu. 12. art. 4. Nulla potentia cognoſcitiua poteſt naturaliter moueri immediatè ab illo obiecto, quod non eſt in eodem gradu immaterialitatis ac potentia; ſed nullus intellectus creatus eſt in eodem gradu immaterialitatis ac diuina eſſentia, ergo nullus intellectus creatus poteſt naturaliter videre Deum. Minor eſt certa, quia maior vel minor immaterialitas deſumitur ex maiori, vel minori ſimplicitate, nullus autem intellectus creatus po-

teſt

teſt habere eſse adeò ſimplex ac eſsentia diuina ; quia omnis creatura inuoluit aliquam compoſitionem ex natura & ſubſiſtentia, ſubſtantia, & accidente, quam excludit diuina eſsentia, ergo nullus intellectus creatus eſt in eodem gradu immaterialitatis ac Deus. Maior probatur, quia obiectum non poteſt mouere potentiam cui non eſt proportionatum; ità potentia viſiua mouetur à colore, auditiua à ſono, & ità de ſingulis; obiectum autem, quod eſt in maiori gradu immaterialitatis, quàm ſit potentia, non habet debitam proportionem, quæ requiritur vt obiectum naturaliter moueat potentiam ad ſui cognitionem. Hinc eſt, quód in genere intellectuum dantur tres claſſes fundatæ in triplici gradu immaterialitatis, primùs & ſupremus gradus inuenitur in intellectu diuino, qui eſt actus puriſſimus excludens omnem compoſitionem: ſecundùs gradus inuenitur in intellectu angelico, qui eſt forma per ſe & in ſe complete ſubſiſtens nullatenus ordinata ad faciendum vnum ens per ſe cum materia: tertius, & infimus gradus reperitur in intellectu humano, qui quantumuis nō dependeat à materia, eſt tamen ordinatus ad faciendum vnum ens per ſe cum materia cuius eſt forma. Obiectum igitur proportionatum intellectui diuino eſt eſſentia diuina, quæ tantam habet immaterialitatem quantam diuinús intellectus: obiectum proportionatum intellectus angelici eſt ſubſtantia ſpiritualis creata, & humani intellectus in ſtatu vnionis cum corpore eſt ſola ſubſtantia materialis, ideó humanus intellectus corpori vnitus non poteſt naturaliter ſcire, quid ſit Angelus, ſicuti Angelus non poteſt naturaliter ſcire, quid ſit Deus. Quia tamen vterque intellectus ratione immaterialitatis ſe extendit ad cogno-

ſceu-

ſcendum omne intelligibile ſequitur dari in vtroque potentiam obedientialem, hoc eſt capacitatem eleuationis ad videndam ſupernaturaliter diuinam eſſentiam.

13. His prænotatis probatur concluſio. Bonum infinitum non poteſt reddere beatum intellectum creatum, niſi ab eo cognoſcatur, ſed in ſtatu puræ naturæ non poſſet intuitiuè cognoſci, quia viſio Dei eſt eſsentialiter ſupernaturalis, vt demonſtratum eſt, ergo in eodem ſtatu cognoſceretur abſtractiuè: hinc patet finem vltimum ſubſtantiæ rationalis eſſe Deum non minùs in ordine naturali, quàm ſupernaturali; cùm hoc tamen diſcrimine, quòd naturalis felicitas conſiſteret in cognitione Dei abſtractiua, & ænigmatica, & ſupernaturalis conſiſtit in cognitione intuitiua adeoque Deus in ordine naturæ cognoſcitur in creaturis, in ordine gratiæ creaturæ cognoſcuntur in Deo cognito intuitiuè, & quia omnes creaturæ ſunt imagines imperfectæ diuinæ eſsentiæ, hoc eſt, perfectiſſimi rerum omnium exemplaris, idcircò eleganter comparatur beatitudo naturalis cũ ſupernaturali, ſicuti beatitudo ſomniata cum vera, & reali beatitudine, vt enim optimè notat Ariſtotelis, quando aliquis delectatur ſomniando ſe comedere, habet voluptatem, quæ redundat ex quadam vmbratili imagine veræ comeſtionis. Hinc patet incredibilis ſtultitia omnium illorum, qui propter amorem cuiuslibet rei creatæ contemnunt felicitatem ſupernaturalem, quæ tanta eſt, vt tota felicitas naturalis, quantumuis poſſit ſatiare naturalem appetitum ſubſtantiæ inteligentis, comparetur ad ipſam, ſicuti imago ad rem & vmbra ad ſolem.

14. Cognitio abſtractiua Dei, quam docuimus

mus eſſe naturalem felicitatem rationalis creaturæ non eſt quęlibet cognitio, per quam Deus cognoſcatur quomodocumque in creaturis, cum in ſtatu vitæ præſentis homo cognoſcat abſtractiuè Deum, quin propterea habeat naturalem felicitatem, ſed eſt contemplatio perfectiſſima orta ex cognitione Dei relucentis in creaturis perfectiſſimis, quales ſunt ſubſtantiæ ſpirituales; idcircó naturalem felicitatem non potuiſſet in ordine naturę humanus intellectus conſequi, niſi in ſtatu ſeparationis, in quo ſolúm poteſt cognoſcere naturam ſubſtantiarum ſpiritualium, eo quód non habet neceſſitatem conuertendi ſe ad phantaſmata. In ſtatu coniunctionis cum corpore, qui eſt ſtatus vitæ præſentis, non eſt poſſibilis niſi beatitudo quædam imperfecta, quam aſſerimus conſiſtere in ſpe beatitudinis, & felicitatis perfectæ poſt mortem conſequendæ: hanc beatitudinem non habent, niſi homines, qui viuunt ſuos componentes mores ad regulam recta ratione præſcriptam, adeoque per ſpem quodammodo prælibant futuram fælicitatem, cæteri ſunt infelices ac miſeri, etiamſi omnibus terræ voluptatibus circumfluant. An verò formalis beatitudo conſiſtat in actu intellectus, vel actu voluntatis, eſt alia controuerſia, quæ ad Theologos ſpectat: mihi eſt ſummé probabile, quod docet S. Thomas, qui ait eam in ſola Dei viſione collocandam: ſed de hac re, quæ eſt ſupra nos, nihil ad nos.

15. Ad primúm: conc: ma: & nego min: Ad eius probationem diſt: antec: natura rationalis eſt ſimpliciter finita, & ſecundúm quid infinita: conc: antec: eſt ſimpliciter finita & nullatenus infinita: nego antec: & conſequentiam. Oſtenſum eſt, in quo ſenſu omnis potentia ſpiritualis ſit infinita ſe-

cun-

cundúm quid, licet ſit entitatiué ac ſimpliciter in genere entis finita, quia eſt potentia vniuerſalis, cuius obiectum eſt omne verum, & omne bonum, eo modo, quo Theologi docent offenſam Dei ſimpliciter finitam eſſe ſecundùm quid infinitam, quia eſt offenſa Dei infiniti: ex eo autem, quod noſter intellectus habeat virtutem ſecundúm quid infinitam, non debet ſatiari, & quieſcere, niſi habito bono infinito, quod eſt omne bonum: quia veró habet virtutem entitatiué finitam & limitatam, adeoque non eſt in eodem gradu immaterialitatis cum bono infinito, non poteſt naturę viribus cognoſcere Deum intuitiué: vndé ſequitur Deum eſſe naturaliter inuiſibilem á quolibet intellectu creato non ex inopia, ſed ex abundantia lucis intelligibilis, cuius immenſam copiam ſuſtinere non poteſt infirma creatæ intelligentiæ acies, niſi adiuuetur, & vt itá dicam, roboretur aliqua qualitate ſupernaturali, quæ á Theologis appellatur lumen gloriæ.

16. Ad ſecundúm; conc: antec: & nego conſ: Diſtantia infinita inter beatitudinem creatam, & increatam conſiſtit in eo, quód Deus poſſidet comprehenſiué ſummum bonum, adeoque ſeipſum cognoſcit quantúm eſt cognoſcibilis: contrá veró poſſidet ſummum bonum abſtractiué in ordine naturæ, vt demonſtratum eſt, vel intuitiué in ordine gratiæ, ſed cognitio comprehenſiua Dei eſt infinita, adeoque infinité díſtat ab omni cognitione non comprehenſiua, ergo diſtantia infinita inter vnam & aliam beatitudinem optimé aſſignatur quantumuis vtraque ſit poſſeſſio boni infiniti. Ad confirmationem dico ab Atheiſtis, ſi forté dantur, non negari Deum exiſtere ſub omni conceptu realiter conuertibili cum Deo, licet fortaſſe ne-

negetur ſub conceptu entis perfectiſſimi habentis prouidentiam mundi, eſt enim per ſe notum eſse Deum ſub conceptu vltimi finis & ſupremi legiſlatoris obligantis in conſcientia.

17. Ad tertiúm: iam dictum eſt bonum infinitum, quatenús abſtractiué cognitum eſse naturalem beatitudinem ſubſtantiæ rationalis. Deſiderium videndi cauſam viſo effectu non excitatur, niſi quando apprehenditur huiuſmodi viſionē eſse poſsibilem, ſed in ſtatu puræ naturæ viſio Dei non eſset poſſibilis, ergo in tali ſtatu nullus appeteret videre Deum, ſicuti in ſtatu gratiæ nullus beatus deſiderat Deum comprehendere.

18 Ad quartúm; conc: ma: & nego min: Ad eius probationem: diſt: antec: creſcente cognitione abſtractiua creſceret admiratio producens anxietatem: nego antec: ſoluta ab omni anxietate tranſeat antecedens, & nego conſ: Concedò libenter omnem admirationem fundari in aliqua ignorantia, quicumque enim admiratur, ignorat cauſam, & quia Deo viſo cognoſcitur intuitiuè cauſa, & prima ratio rerum omnium, ideo viſio Dei extinguit admirationem vnde acuté definitur, vel potiùs deſcibitur Deus ab ingenioſo quodam recentiore eſse id, quo non viſo omnia ſunt mira quo viſo nihil mirum: nego tamen omnem admirationem eſse cauſam pertubàtionis, quia ignorare rem cuius cognitio eſt impoſſibilis, nullam poteſt procreare ſolicitudinem, & anxietatem.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACUMBAS.

QVÆ.

QVAESTIO III.

Vtrum Deus ſit vltimus finis ſubſtantiarum rationalium & irrationalium.

1. VIdetur non eſse, quia creaturæ irrationales neque ſunt vtiles Deo, qui cum ſit in ſe opulentiſſimus, non indiget aliqua re extrá ſe, neque poſsunt frui Deo, vt potè incapaces felicitatis, ac beatitudinis, ergo ſaltem creaturæ irrationales non poſsunt ordinari ad Deum tanquam ad vltimúm finem.

2 Reſp: Deus non eſt, neque poteſt eſse vltimus finis vtilitatis reſpectu alicuius creaturæ.

3 Prob: euidenter, quia Deus eſsentialiter eſt ens perfectiſſimum in omni genere perfectionis continens in ſe indeficientem omnium bonorum theſaurum, ergo nullum bonum creatū poteſt ordinari ad Deum tanquam bonum Deo vtile, quiá Deus eamdem omninó, hoc eſt infinitam habet fęlicitatem, ſiué exiſtant, ſiué non exiſtant creaturæ, ergo nulla creaturá poteſt ordinari ad Deum tanquam ad finem vltimum vtilitatis: hinc naſcitur Deum operari ex purá abundantia boni & non ex aliqua indigentia, ſicuti operatur quæcumque creatura eſſentialiter indigens, adeoque agere puré liberaliter, vt ait Auicenna: prætereá ſequitur Deum eſſe itá perfectum & bonum ſine vlla creatura, ac cum omnibus creaturis, quia eas producit vt præcontinens omnem perfectionem, quod accidere non poteſt in cauſis creatis reſpectu ſuorum effectuum. In hoc diſcurſu fundatur euidens argumentum, quo demonſtrat Auguſtinus in quæſt.

quæſtion. 22. Deum operantem ad extrá eſſe liberum contra Ariſtotelem, qui poſuit mundum ab æterno eo quód falſo putauit Deum agere ex neceſſitate naturæ: vbi enim nulla eſt indigentia nulla neceſſitas, vbi nullus defectus nulla eſt indigentia, ergo vbi nullus defectus, nulla eſt neceſſitas, ſed in Deo nullus defectus, ergo nulla neceſſitas.

4. Dico ſecundò: Deus eſt eſſentialiter vltimus finis cui excellentiæ creaturarũ rationalium, & irrationalium.

5. Probatur: omnis creatura eſſentialiter eſt participatio Dei, ergo neceſſarió repræſentat aliquam Dei perfectionem, quia idem realiter eſt participare diuinam perfectionem, eamque repræſentare, ergo omnis creatura eſſentialiter ordinatur ad Deum tanquam ad vltimum finem excellentiæ. Hæc conſequentia probatur, quia omnis creatura refertur ad Deum, quatenùs expreſſiua diuinæ perfectionis, ergo quatenús eſſentialiter cedens in eius gloriam: ſed hoc pacto referri ad Deum eſt formaliſſimé habere Deum pro fine vltimò excellentię, vt dictum eſt, ergo &c. Hinc patet Deum nihil agere poſſe, niſi propter ſe hoc eſt conſtituendo ſe vltimum finem excellentiæ, ideó in lib. Prouerbiorum dicitur *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus*, & Apocalypſis vltimò *ego ſum alpha, & omega, primùs & nouiſſimus*.

6. Dico tertió: Non ſolum creaturæ rationales, ſed etiam irrationales habent Deum pro fine, eumque ſuo modo appetunt.

7. Hæc concluſio ſequitur ex ſecunda, quia idem formàliſſimè eſt Deum eſſe vltimum finem excellentiæ creaturarũ irrationaliũ ac eas habere pro fine Deum, quem propterea dicuntur appetere, quatenús appetunt participare aliquam Dei perfe-

ctionem hoc eſt haberi diuinam ſimilitudinem, quantùm vnicuique eſt poſſibile. Hinc eſt, quòd omnia conuertuntur ad Deum tamquam ad bonum vniuerſale per appetitum boni ſiue innatum, ſiue elicitum: videatur S. Thomas, qui pulchrè, & profundè hoc docet in tertiò contra Gen: cap. 18.

8. Dico quartò: Deus non poteſt eſſe vltimùs finis excellentiæ ſuarum creaturarum, niſi detur aliquis finis vltimús vtilitatis diſtinctus à Deo.

9. Probatur ex dictis, quiá Deum eſſe vltimúm finem excellentiæ eſt formaliſſimé Deum manifeſtare ſuas perfectiones per creaturas, quæ imitantur diuinum eſſe, ſed hoc fieri non poteſt, quin hoc ipſum ſit bonum vtile alicui à Deo diſtincto cum Deus ſit incapax accipere vtilitatatem, ergo eo ipſo, quòd Deus eſt vltimús finis excellentiæ, datur in mundo aliquid á Deo volitum in ratione vltimi finis vtilitatis.

10 Dico quintò: ſolæ ſubſtantiæ rationales ſunt vltimús finis vtilitatis.

11. Probatur, quia ſolæ ſubſtantiæ rationales poſſunt manuduci per cognitionem rerum creatarum ad cognoſcendum Deum, eiuſque perfectionem contemplandam: ſed eo ipſo, quod aſſurgunt ad cognitionem ſupremi Artificis ex contemplatione creaturarum, quæ ſunt Dei artefacta, ſunt vltimús finis vtilitatis, ergo &c. Minor probatur, quia per hoc præcisè, quód ſubſtantiæ rationales Deum cognoſcunt, aſſequuntur perfectionem ſibi debitam, adeoque idem eſt, quòd omnes creaturæ repræſentent aliquam Dei perfectionem, & quòd omnes ſubſtantiæ rationales cognoſcant Deum in creaturis expreſſum, ideó Dei gloria ſemper eſt coniuncta cum noſtra vtilitate. Hinc

patet

patet, quod omnes ſubſtantiæ irrationales amantur ſolúm á Deo in ratione puri medij, quatenùs conducunt ad bonũ, & vtilitatẽ nat. rationalis; vndè infero cum Angelico Doctore non poſſe á Deo produci mundum ſine creaturis rationalibus, quia non poteſt produci mundus, niſi propter gloriam Dei, quæ cum formaliſſimé ſit cognitio habita de Deo, eſſentialititer exigit ſubſtantias capaces huius cognitionis.

12. Dico ſextó: Non omnes ſubſtantiæ rationales ſunt vltimús finis vtilitatis.

13. Probatur, quia non omnes ſubſtantiæ rationales conſequuntur finem ſiue felicitatem, ad quam ſunt á Deo ordinatæ; plurimæ enim ex peruerſo amore, quo rebus creatis inhærent, auertuntur á fine, ſed illæ ſubſtantiæ rationales, quæ finem non conſequũtur, non habent rationem vltimi finis vtilitatis, quia non peruenient ad cognitionem Dei beatificam, vel intuitiuam in ordine gratiæ, vel abſtractiuam in ordine naturæ, ergo non omnes ſubſtantiæ rationales, ſed illæ ſolæ, quæ iuſtitiam ſectantur & Deo inhærent, ſunt vltimus finis vtilitatis. Hinc patet, quomodo omnes iniuſti, & impij viri decidant á ſtatu & nobilitate ſubſtantiæ rationalis, quia in hoc ordine vniuerſi non habent niſi rationem puri medij conducentis ad vtilitatem iuſtorum, ſecundùm illud *homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Conſtat igitur ſolos electos & prædordinatos ad æternam fœlicitatem, quibus omnia cooperantur in bonum, eſſe finem vltimum vtilitatis, cum Deus ſolús ſit finis vltimus excellentiæ omnium creaturarum, ideó vt rectè dicit S. Thomas exponens illud Apoſtoli ad Romanos 8. *expectatio creatura*

tura reuelationem filiorum Dei expectat tota creatura ſenſibilis in illa gloria filiorum Dei quamdam gloriæ nouitatem conſequetur.

14 Ad argumentum in contrarium patet ex dictis.

DISPVTATIO VLTIMA.

De aſeitate, vnitate, & prouidentia Dei.

Oſtenſá exiſtentia Dei reliquum eſt, vt eius naturam, perfectionem, & præſertim prouidentiam, quam habet rerum humanarum maximam, ſpeculemur.

QVAESTIO I.

Vtrum conceptus formalis Dei ſit conceptus formalis entis à ſe.

1. Videtur non eſſe, primó conceptus formalis Dei non eſt conceptus negatiuus, ſed conceptus entis á ſe eſt conceptus negatiuus, ergo conceptus formalis Dei non eſt conceptus entis á ſe. Mi: prob: Conceptus entis á ſe eſt conceptus rei non habentis eſſe ab alio; huiuſmodi autem con-

cep-

ceptus eſt negatiuus, túm quia explicatur per particulám negatiuam, tùm quia conceptus rei habentis eſſe ab alio eſt conceptus poſitiuus, ergo conceptus oppoſitus, qualis eſt conceptus rei non habentis eſſe ab alio, eſt conceptus negatiuus:

2. Secundò: conceptus entis á ſe eſt conceptus communis omnibus prædicatis diuinis, conceptus autem communis omnibus prædicatis diuinis non eſt conceptus formalis Dei, ergo conceptus entis á ſe non eſt conceptus formalis Dei Maior eſt certa, quia nihil habet Deus, quod á ſe non habeat: mi: etiam pátet, quia conceptus formalis cuiuſcunque rei eſt conceptus ille, qui eam primó conſtituit, & ex quo ſequuntur omnes ipſius proprietates, ergo conceptus communis omnibus prędicatis diuinis non eſt formalis conceptus Dei.

3. Tertió: Conceptus formalis Dei eſt conceptus entis infinité perfecti, vel conceptus entis, quod intelligit ſe per cognitionem indiſtinctam á ſe, ergo conceptus formalis Dei non eſt conceptus entis á ſe. Antec: patet, quia intellecto præcisè ente infinitè perfecto, quod intelligit ſe per cognitionem indiſtinctam á ſe intelligitur Deus, intelligitur enim res adeó perfecta, vt ab omnibus rebus creatis, adeoque imperfectis diſtinguatur, ergo &c.

4. Reſp. demonſtrata exiſtentia Dei neceſſe eſt, vt quantum licet humano intellectui phantaſmata ſpeculanti, eius naturam inueſtigemus, & licet Deus iuxta doctrinam Dionyſij meliús á nobis intelligatur per cognitiones explicantes quid ille non ſit, quám quid ſit, nihilominus iuuat aliquem conceptum exponere, qui cenſetur conceptus primus, & quidditatiuus Dei; ex quo conceptu omnia, quæ dicuntur de Deo, per modum in-

telligendi modum deducantur . Id autem fuit conſultó dictum , ne aliquis in eam ſententiam deſcenderet , quòd in natura illa , quæ eſt ſupra omnem naturam, aliquid re ipſa emanet eandem perficiens, vt paſſim in rebus creatis contingere experimur , vbi proprietates quamcumq; rem perficientes ab eiuſdem natura originem trahunt. Conſtituto igitur, nullum eſſe in Déo conceptum , qui re ipſa antecedat alium conceptum propter ſummam Dei ſimplicitatem , & realem identitatem omnium , quæ ſunt in Deo cum ipſo Deo, ſtatuendum eſt, an aliquis conceptus ratione noſtra cæteros conceptus antecedát , adeoque detur locus diſtinguendi conceptum eſsentialem á cæteris conceptibus, qui ſunt extrá conceptum eſſentialem, eo fermè pacto, quo in eadem indiuiſibili re ſolemus partiri plures conceptus,quorum vnus conſtituat eius eſſentiā,& cæteri pertineant ad metaphyſicas proprietates logicé dimanantes ab eſſentia , itá rationalitatem licet indiſtinctam á riſibilitate, vocamus eſſentiam hominis , cuius proprietas eſt riſibilitas, quia vnus conceptus ex alio naſcitur , cnm vnus ſit alterius radix .

5 **Exiſtere in Deo aliquem conceptum , qui cæteros antecedit iuxtà noſtrum intelligendi modum „ apertè patet , túm quia intellectus ſi in cæteris rebus à Deo diſtinctis cognoſcit vnum prędicatum, ex cuius cognitione cætera infert , quæ de ipſis prædicantur , cur non poterit Deum, quem inadæquaté cognoſcit , itá attingere , vt ex vno conceptu cæteros deducat prædicabiles de Deo ? túm quia huiuiuſmodi conceptus , qui ſit conceptus primus Dei, nihil de diuina ſimplicitate detrahit , cum nullam aliam compoſitionem inuoluat præter logicam , & formalem infinitæ perfectioni**

Dei

Dei ex nullo capite repugnantem, non eſt ità manifeſtum definire conceptum illum, qui cæteros antecedit, & conſequenter eſt primùs Dei conceptus, cum hac ſuper re Theologi non conueniant.

6 Mihi eſt ſummé veriſimile conceptum formalem Dei, adeoque prædicatum aſeitatis eſſe, ipſam Dei eſſentiam. Ratio eſt, quia per illud præcisè vnaquæque res conſtituitur primó in eſſe rei, per quod ab omni non ipſa diſtinguitur, ſed per prædicatum aſeitatis Deus diſtinguitur ab omni eò quod non eſt Deus; ergo prædicatum aſeitatis conſtituit Deum in eſſe Dei; ergo eſt conceptus formalis Dei: Maior eſt certa, quia conſtitutiuum rei eſt diſtinctiuum rei ab omni non ipſa. Minor probatur, quia per hoc præcisè, quód intelligitur aliquam rem ſufficere ſibi ad exiſtendũ, intelligitur huiuſmodi rem eſſe improductam, adeoque diſtingui á qualibet re producta, ſed quælibet res diſtincta à Deo eſt producta, ergo intellecto præcisè conceptu aſeitatis intelligitur diſtinctio ipſius Dei á qualibet re quæ Deus nón eſt. Præterea ratio entis abſtractiſſimé accepta, & promiſcué prædicabilis de creatura, & Deo diuiditur in rationem entis a ſe, & rationem entis ab alio: ratio autem entis á ſe eſt ratio entis contracta ad nobiliſſimam ſpeciem entis, nimirum ad ſpeciem entis improducti, & diuini, & ratio entis ab alio eſt ratio entis creati: ergo illa ratio formalis, per quam Deus primò à creatura differt, eſt ratio aſeitatis. Rurſus nullus conceptus in Deo poteſt inueniri, qui antecedat conceptum aſeitatis, & conſtituat Deum á rebus creatis diuerſum, conceptus igitur aſeitatis eſt primus Dei conceptus, adeoque conſtituit Deum in eſſe Dei, & eùmdem diſcernit à quolibet non ipſo.

7 Hinc eſt conceptum formalem Dei eſſe conceptum vitæ in actu ſecundó indiſtinctę á viuente, quia conceptus vitæ in actu ſecundó eſt conceptus aſeitatis, vt conſtat ex tomo 3. diſp. 8. qu 3. nu.7. ergo illud ens quod ita exſtit, vt ſuam exiſtentiam habeat á ſe; ità exiſtit, vt ſua exiſtentia ſit ipſa vita in actu ſecundó, ſed exiſtentia non diſtinguitur ab illa re, quæ exiſtit, ergo illa res, quæ itá exiſtit vt ſua exiſtentia ſit vita in actu ſecundó, itá exiſtit, vt viuat in actu ſecundò per vitam indiſtinſtinctam à viuente. Quia veró vita in actu ſecundó á viuente indiſtincta eſt infinita vita, & vita infinita eſt vita, quæ neqee vegétat, neque ſentit, ſed intelligit, ideo conceptus formalis Dei eſt conceptus infinitæ cognitionis indiſtinctæ à cognoſcente: & quoniam infinita cognitio indiſtincta á cognoſcente eſt cógnitio, per quam ſubſtantia cognoſcens habet in ſe omne eſſe; ideò conceptus formalis Dei, qui eſt conceptus aſeitatis, & conſequenter conceptus cognitionis indiſtinctæ á cognoſcente, eſt conceptus entis, quod habet omne eſſe. Huic diſcurſui valdè conſonat id, quod habemus in Sac. Paginis circa naturam dininam. In lib. Exodi Deus Moyſem allocutus naturam ſuam nobis expoſuit dicendo *ego ſum, qui ſum*, perindè ac ſi diceret: ſi vis habere germanum diuinitatis conceptum, debes animo reuoluere ens tantæ perfectionis, vt ſibi ſufficiat ad exiſtendum, adeoque habeat totam exiſtendi plenitudinem.

8 Ad primúm. Conceptus aſeitatis non eſt negatiuus, licet particula negatiua exponatur, quod naſcitur ex defectu cognitionis intuentis náturam illius rei, quæ ſibi ſufficit ad exiſtendum, nobis enim eſt notiſſimū, quæ nam ſit natura rei non ſufficientis ſibi ad exiſtendi propter certam, & perſpi-

ſpicuam rerum creatarum ſcientiam, eſt autem nobis ignotum, quid ſit res illa, quæ ſufficit ſibi ad exiſtendum, quia Deum nemo mortalium vnquã vidit, debemus igitur exprimere conceptum entis, quod ſibi ſufficit ad exiſtendum remouendo ab ipſo illam imperfectionem, quæ relucet in conceptu rei productæ, & indigentis alia re. Cæterum eſſe conceptum poſitiuum conceptum aſeitatis, eſt indubitatum, quia conceptus, qui negat alium conceptum negatiuum, eſt vtique poſitiuus, ſed conceptus aſeitatis negat conceptum abaleitatis, qui eſt conceptus negatiuus, quia eſse ab alio eſt formaliſſimé dependere, ſiue indigere, conceptus autem dependentiæ, & indigentiæ eſt conceptus negatiuus, inuoluit enim in ſuo formali conceptu imperfectionem, quæ ſine dubio eſt negatio, conceptus igitur aſeitatis eſt conceptus poſitiuus. Præterea eſſe á ſe eſt ſumma perfectio, ſed ſumma perfectio excludit á ſe omnem defectum, ergo eſſe á excludit á ſe omnem negationem; ergo eſſe á ſe eſt conceptus poſitiuus.

9. Ad ſecundum: omnia Dei attributa, quæ ſunt proprietates metaphyſicæ ipſius Dei, non includunt formaliter aſeitatem, ſed eam connotant, quia dicunt ordinem ad ipſam aſeitatem, ſine qua explicari non poſsunt: eo fermè pacto, quo riſibilitas connotat rationalitatem, quam formaliter non includit; conceptus enim riſibilitatis non poteſt explicari ſine conceptu rationalitatis ad quem dicit ordinem.

10 Ad tertium: conceptus rei, quæ intelligit ſe per cognitionem indiſtinctam á ſe, eſt eſſentialiter conceptus entis á ſe, ſicuti eſt conuertibilis conceptus animalis rationalis cum conceptu hominis

minis. Deus igitur, cuius eſsentia eſt aſeitas, eſt eſsentialiter cognitio ſui á ſe indiſtincta.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus, quia à ſe eſt, ſit vnus, immenſus, æternus, omnipotens & omni ſcius.

1. Videtur non eſſe: primò, quia aliquod ens poteſt eſſe à ſe, & non eſſe omnipotens, ergo omnipotentia non ſequitur aſeitatem. Antec: prob: quia poteſt aliquod ens ſibi ſufficere; quin habeat virtutem operandi extrá ſe, ſufficit enim huiuſmodi enti virtus infinita operandi intrá ſe, ergo &c.

2. Secundò: Eſſe á ſe non eſt vbique, & ſemper eſse, ergo aſeitas non infert immenſitatem; neque æternitatem. Antec: conſtat, quia conceptus entis á ſe eſt conceptus entis ſibi ſufficientis ad exiſtendum; ſed hic conceptus eſt diuerſus á conceptu ſemper, & vbique exiſtendi, ergo poteſt aliquod ens eſſe à ſe, quin ſemper, & vbique ſit.

3. Tertió; aſeitas non excludit Trinitatem, ergo aſeitas non infert vnitatem, ergo Deus non eſt vnus, quia eſt á ſe. Conſequentia probatur, quia vnitas, & trinitas opponuntur, ergo aſeitas quæ non excludit Trinitatem: non infert vnitatem.

4. Reſpondetur: potiſſimum caput vnde nobis conſtat verum, & germanum Dei conceptum eſſe in aſeitate collocandum, eſt manifeſta conſecutio omnium diuinarum perfectionum, quæ ex tali conceptu, tanquam ex aliqua radice promanant. Præſentis igitur quæſtionis inſtitutum erit oſtendere quomodo conſpirent omnes perfectiones ad naturam illius rei exornandam, quæ ſibi per-

perfectè ſufficit ad exiſtendum, adeoque eſt á ſe.

5. Simpliciſſima vnitas, quam eſſe præcipuam, & ſingularem Dei perfectionem vná cum lumine fidei perſuadet nobis lumen naturæ, oſtenſiué demonſtratur ex conceptu tradito aſeitatis diuinæ in hunc fermè modum. Aſeitas infert neceſſitatem exiſtendi, quia repugnat vt aliqua res, quæ habet eſſe á ſe, contingenter exiſtat: quidquid enim contingenter eſt, poteſt non eſſe, debet igitur ab alio determinari, vt ſit potiús, quam non ſit; adeoque indiget alio á ſe diſtincto ad exiſtendum. Deinde iſta conſequentia eſt formalis *eſt à ſe, ergo neceſſariò exiſtit*, oppoſitum enim conſequentis infert oppoſitum antecedentis, quælibet enim res creata eatenús habet eſſe ab alio, quatenus exiſtendi neceſſitatem nullam habet, ergo aſeitas infert neceſſitatem exiſtendi. Prætereá neceſſitas exiſtendi infert vnitatem; quia neceſſitas exiſtendi nulla indiget re á ſe diſtincta ad exiſtendum; aliter non eſſet neceſsitas exiſtendi, quia ſi neceſsitas exiſtendi non eſſet tantum vnica, talis neceſsitas haberet indigentiam, quia non poſſet in rerum natura exiſtere ſine aliqua neceſſitate á ſe diſtincta, quod eſt apertiſsimum argumentum indigentiæ: cur enim quælibet res creata indiget? quia nimirum ſola exiſtere non poteſt; debet enim exiſtere vná cum illa re quam neceſſe eſt exiſtere. Hinc eſt, quód aſeitas infert neceſſitate conſeq; vnitatem entis á ſe, adeoque ens á ſe eſt eſſentialiter vnicum, & conſequenter immultiplicabile, Deus igitur, qui eſt eſſentialiter á ſe, eſt vnus: vnde conſtat error illorum, qui plures Deos venerantur.

6. Deinde eſſe á ſe eſt ſummè eſſe, ſummè autem eſſe eſt habere omne eſſe, adeoque omnem per-

perfectionem, ergo eſſe á ſe eſt habere omnem perfectionem, ergo ens à ſe eſt vnum, & immultiplicabile. Conſequentia probatur: quia ſi ens á ſe foret duplex, neutrum haberet omnem perfectionem, ſed vtrumque debet habere omnem perfectionem, quia vtrumque eſt á ſe, ergo vel neutrum eſt á ſe, quod repugnat hypotheſi, vel vnum tantum eſt ens á ſe. Ma: probatur: quia neutrum ab alio penderet, vtrumque enim eſſet á ſe, hoc eſt ab alio independens: fieri autem non poteſt, vt vnum ens diſtinctum ab alio, habeat omnem perfectionem, quam aliud habet, ſi ab ipſo aliud non pendet, vt aperté demonſtro; Si enim *A.* eſt diſtinctum a *B.* manifeſtum eſt aliquid eſse in *B.* quod non eſt in *A.* ſed nihil eſt in *B.* quod non ſit perfectio, quia *B.* non dependet, eſt enim á ſe, ergo in *A.* non eſt omnis perfectio; idem dico de *B.* relaté ad *A.* ergo ens à ſe non poteſt non eſſe vnum. Rurſus illud ens, quod habet neceſsitatentem exiſtendi, eſt optimum, quia nullum habet defectum, cum nequeat niſi ſtultè, & imprudentur contemni, quomodò enim poteſt prudenter contemni res, quæ non poteſt non eſse? illud autem ens, quod eſt optimum, debet eſse vnicum, túm quia debet eſse tale, vt à ſe omnia dependeant, túm quia poteſt contemnere omnia diſtincta á ſe, ſibi enim ſufficit ad exiſtendum; repugnat igitur, vt habeat neceſsitatem exiſtendi ens multiplicabile, edeoque vnitas ſequitur aſeitatem.

7. Hoc eodem argumento conſtat eſse ſimpliciſsimum ens à ſe; quia eſt perfectiſsimum ens, perfectiſsimum autem eſt ſimpliciſsimum, omnis enim compoſitio infert diſtinctionẽ, & omnis diſtinctio, quæ non fundatur in oppoſitione relatiua

infert

infert imperfectionem, & ratio á priori eſt, quia diſtinctio eſt limitatio, & limitatio eſt imperfectio; ideo perfectio pura habet identitatem cum omni perfectione, ergo illud ens, quod habet omnem perfectionem, excludit omnem compoſitionem. Dixi diſtinctionem, quæ non fundatur in oppoſitione relatiua eſſe imperfectã, quia inter diuinas perſonas, vbi nulla eſt imperfectio, eſt vera, & realis diſtinctio, quæ eſt perſonalis, non eſſentialis; adeoque fundata in oppoſitione relatiua producentis, & producti. Cæterum duæ perſonæ diuinæ, quæ inuicem referuntur relatione producentis, & producti, habent eandem naturam, & idem eſſe. Hinc eſſe Deum eſt eſſe ſimpliciſſimum actum, cui repugnat quæcunque compoſitio ex materia, & forma, ex natura, & ſuppoſito, ex ſubſtantia, & accidente. Ex eodem diuinæ aſeitatis conceptu demonſtratur Deum eſse æternum, & immenſum, quia eſse á ſe eſt habere neceſsitatam exiſtendi, ergo eſse á ſe eſt ſemper eſse, ſed ſemper eſse eſt æternum eſse, ergo ens á ſe eſt æternum; repugnat enim vt aliquando non ſit illud ens, quod habet neceſsitatem exiſtendi, adeoque repugnat non eſse ſempiternum, ens á ſe. Prætereá ex aſeitate naſcitur immutabilitas, quia id, quod eſt ſubiectum mutationi, non eſt adæquata ſufficientia omnium perfectionum, quas habet in ſe, immutabilitas autem infert durationem ſempiternam, & indiuiſibilem cuicunque tempori prætetito, & futuro reſpondentem; neceſse igitur eſt, vt ens á ſe fuerit ſemper, & ſemper futurum ſit eo genere durationis, cui nihil ſit præteritum, nihil futurum. Eodem argumento conſtat, ens á ſe habere neceſsitatem exiſtendi vbique, adeoque vt locus ſibi adæquatus

tus ſit quilibet locus realis, vel imaginarius, quia ens á ſe eſt ens perfectiſsimum, quod poteſt vbique agere, & debet eſse vbiq; cũ enim eſſe vbique ſit magná quædam perfectio, & nulla res ſaltem ex natura rei poſſit ibi agere, vbi non eſt; ideo ens á ſe debet eſſe vbique. Iſta neceſſitas exiſtendi vbiquæ, quæ oritur ex aſeitate, eſt immenſitas; perfectio igitur immenſitatis fundamentum habet in aſeitate, adeoque Deus, qui eſt á ſe, eſt immenſus, de ipſo enim in Sacr. literis dicitur *Cælum, & terram ego impleo*, & rurſus *ſi aſcendero in Cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.*

8 Supereſt oſtendere Deum eſſe omnipotentem, & omniſcium; quia eſt á ſe; ratio, cur inferatur ex aſeitate omnipotentia, eſt huiuſmodi: aſeitas eſt ſufficientia ſui ipſius ad exiſtendum, & ſufficiẽtia rerum omniũ, quæ poſſunt exiſtere diſtinctæ ab ente á ſe, ergo aſeitas eſt ſufficientia omnium rerum, quæ non ſunt á ſe; ſed ſufficientia omnium rerum, quæ non habent eſſe á ſe, eſt formaliſſimè omnipotentia, ſiue virtus producendi quid quid eſt poſſibile, ergo aſeitas infert omnipotentiam, ſiue virtutem producendi quidquid eſt poſſibile, ergo Deus eſt omnipotens, quia eſt á ſe. Min: primi argumenti, quæ ſola eſt probanda, probatur; res quæ ſibi ſuffiit ad exiſtendum, nullius rei habet indigentiam, res autem, quæ nullius rei habet indigentiam, debet eſſe talis, ac tantæ perfectionis, vt poſſit, ſi velit, ſola exiſtere, ſi enim hoc non poteſt, vtique indiget, adeoque ſibi non ſufficit, quod repugnat naturæ entis á ſe; quia veró fieri non poteſt, vt aliqua res in nihilum redigatur ad arbitrium illius, á quo nullatenús pendet, ideo totus mundus, & quidquid eſt, vel poteſt eſſe diſtinctum ab illo ente, quód habet eſſe á ſe, debet pendere, ſiue accipere

pere ſuam exiſtentiam ab ipſo ente á ſe, alioquin ens á ſe non poteſt in nihilum vertere quidquid eſt diſtinctum á ſe, & conſequenter non poſſet, ſi vellet ſolum exiſtere, ens igitur á ſe, quód ſufficit ſibi, debet eſſe adæquata ſufficientia omnium rerum diſtinctarum á ſe, adeoque debet poſſe, ſi velit, in nihilum redigere quidquid eſt diſtinctum á ſe; & rurſus ſi velit, omnia ex nihilo producere.

9 Infinita tandem ſapientia Dei conſtat ex conceptu eiuſdem aſeitatis; túm quia ens á ſe eſt vita indiſtincta á viuente, & vita prorsús infinita; ſed vita indiſtincta á viuente eſt infinita ſapientia; eſt enim infinitus intellectus; ergo ens á ſe eſt infinitus intellectus, & eſt infinita ſapientia: infinitus autem intellectus habet infinitam rerum omnium ſcientiam, quia infinitum lumen, quó vtitur intellectus infinitus, conducit ad cognoſcendum quidquid poteſt cognoſci; ergo ens á ſe habet infinitam ſapientiam; túm quia ens á ſe eſt cauſa, cur exiſtant omnes res diſtinctæ á ſe; ſed inter omnes res diſtinctas ab ente á ſe eſt natura intelligens; ergo ens á ſe eſt cauſa naturæ intelligentis; ſed repugnat nó intelligere cauſam naturæ intelligentis, quia intellectus non poteſt exiſtere, niſi virtute alicuius intellectus; ergo ens á ſe eſt primus, ac ſupremus intellectus, vt optimé ex hoc argumento diuinam ſcientiam infert Vates Regius: *intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite, qui plantauit aurem non audiet, & qui finxit oculum non conſiderat?*

10 Ad primum: Deus ſufficit ſibi, ideo non habet neceſſitatem communicandi ſe extrá ſe: non propptereá ſequitur, non eſſe in Deo virtutem operandi extrá ſe; immó ſequitur oppoſitum, quia ſi Deus nihil poſſet extrá ſe agere, non eſſet á ſe; non

enim

enim ſibi ſufficeret, quia non haberet ſummum eſſe; eſſe enim, quód eſt primum eſſe, & ſummum eſſe, debet eſſe cauſa totius eſſe.

11 Ad ſecundum: nihil poteſt ſemper eſſe, & vbique eſſe, quin á ſe ſit; quia immenſitas, & æternitas ſunt proprietates ſolius entis á ſe.

12 Ad tertium: Trinitas in Perſonis non excludit vnitatem in natura, vt docet fides, & Theologi oſtendunt in prima parte cum S. Thoma; Deus igitur, quia eſt á ſe, eſt vnus in natura, licet trinus in perſonis.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum Deus habeat Prouidentiam Mundi.

1 PRæcipua Dei perfectio, quæ in eius operibus commendatur, eſt paterna prouidentia, qua mundum totum adminiſtrat, adeò vt ab hoc prouidentiæ ordine nulla res, licet minima, poſſit remoueri: eam libet in hac ſuprema totius noſtræ Philoſophiæ quæſt. demonſtrare, & ſacrilegam illorum ſententiam pro viribus refellere, qui ſibi proponunt neſcio quem Deum ſupra Cęli cardinem ambulantem, neque vllam rerum mortalium curam gerentem.

2 Ad prouidentiam Principis Rempub: ſibi ſubiectam gubernantis ſpectat omnium vtilitati rectè conſulere; omnia ad ſuum finem per debita, & conſentanea media adducendo, vt omnes Philoſophi, & omnes fere homines conſentiunt. Ad hoc munus obeundum in optimo Principe requiruntur ſciéntia, finis, & mediorum, quæ ad finem aſſe-

aſſequendum conducunt, voluntas adhibendi illa media, quæ cognoſcuntur proportionata ad finis conſecutionem, & facultas mandandi executioni eadem media; manifeſtum enim eſt illum Principem habere prouidentiam, qui nouit, vult, & poteſt adhibere media ad finem obtinendum ordinata. Quis veró eſt Princeps, qui tanta ſcientia polleat, quanta pollet Deus, qui eſt infinitus intellectus, & opulentiſſimus cuiuſque ſcientiæ theſaurus? quis amor fingi poteſt, qui componi poſſit cum illa ſingulari beneuolentia, qua Deus complectitur omnia, quę condidit? In primis ipſe eſt, qui ratione ſuæ aſeitatis eſt adæquata rerum omnium ſufficientia; quo fit, vt virtute amoris illius, quo Deus nos dilexit, quæcumque exiſtunt tranſierint de ſtatu nihili ad ſtatum exiſtendi; deindè Deus eſt, qui continet in ſe omne bonum, adeoque donando nihil perdit, quia non eſt ſicuti ærarium alicuius Principis térreni, quód hauriendo exhauritur, non eſt igitur, cur Deus ex defectu amoris non velit omnibus á ſe creatis bonum illud conferre, quòd opportunum nouit ad earum felicitatem: quód ſi poteſtatem quærimus, quanta eſt in Deo? qui habet omnipotentiſſimam poteſtatem. Hinc eſt, in Deo ampliſſimam eſſe rerum omnium prouidentiam, vt naturæ lumen oſtendit cum lumine fidei fæderatum; ſpectat enim ad ſupremi Principis poteſtatem, qui omnia bené condidit, curam maximam gerere omnium rerum, quæ ſuo imperio ſubijciuntur; cum defectus prouidentiæ originem ſuam habeat vel ex defectu ſcientiæ, vel ex defectu bonitatis, vel ex defectu auctoritatis, qui omnes defectus nullo modo cadere poſſunt in Deum, Principem optimum, ſapientiſſimum, & omnipotentem. Hinc Ariſtoteles finem imponens

ſuæ metaphyſicæ demonſtrat vnum eſſe Principem, à quo mundus gubernatur.

3 Libet hanc Dei prouidentiam, quæ certè eſt maxima, in præcipuis rebus ſingillatim perſequi, ex quibus apertè conſtat nihil fuiſſe à Deo Optimo Maximo conditum, quòd congruentibus medijs non ſit ordinatum ad conſequendum finem ſibi præſtitutum; quòd eſt certiſſimum mentis prouidæ argumentum omnia ſapientiſſimo conſilio adminiſtrantis. Infimum in hoc Orbe ſublunari locum habent elementa, quæ referuntur ad varia, & diuerſa mixta formanda: hinc qualitates habent viciſſim pugnantes, vt ex perpetua earum pugna mundi harmonia naſcatur,& elementorum diſcordia concordem pariat viciſſitudinem rerum decedentium,& ſuccedentium; dum enim pugnant calidis frigida,humida ſiccis, perpetuus,& nunquam intermiſſus exiſtit curſus generationum, quibus mirificè conducit aſſiduus corporum cæleſtium motus,cum enim hęc omnia corpora,quæ ad mundum pertinent elementarem, ita ſint conſtituta,vt ab aſtris, quæ Solem circum eunt media lucè, & occulta quadam virtute vegetentur, neceſſe fuit vt aſtra ſemper in orbem agerentur,vt nimirùm omnes terræ partes ſuo aſpectu, ſuaque potentia fœcundarent. Hinc metalla intrà montium viſcera gignuntur, & auro grauidæ ſplendeſcunt rupes; hinc luxuriant in agris ſegetes, & ſtabilem tempeſtatum viciſſitudinem experitur terra, dum floribus induuntur arbores in fructus erudiendis; quid dicam de plantis; qua maxima prouidentia Deus fabricauit? Illis enim radices dedit, quibus humorem biberent ex terra, vnde alerentur. Prætereà ſingulis arboribus prouiſum rectè fuit, vt ad maturitatem opportunis medijs fructus perducerent?

Quid

Quid dicam de Brutis animantibus, quibus ſunt á natura data, varia arma ad vitam conſeruandam? Quantam Deus habet prouidentiam volucrum per aerem volantium? quibus nunquam deficit, nunquam deficiet paſtus ad vitam protrahendam neceſſarius, & tamen nulla eſt Auium cura in annona comparanda, vel in horreis implendis. Vnum fas eſt hominem, præ cæteris animantibus expendere, in quo procreando, educando, & ad felicitatem diſponendo mirabilis elucet naturę vigilantia,& Dei ſingularis prouidentia. In primis Deus hominem fecit liberum, vt nimirúm homo ſuæ feret fælicitatis artifex; adeoque natura non fecit hominem ſtatim felicem, vt faceret fæliciorem; eſt enim neſcio qualis vmbra diuinitatis ſuam ſibi felicitatem moliri eo pacto, quo Deus ſuæ eſt faber beatitatis. Ad felicitatem comparandam prouiſum fuit á natura, vt homo ardentibus ageretur ſtimulis ad honeſtatem ſectandam, quæ ducit ad vitam beatam, & ad vitium deteſtandum,quód miſeram efficit vitam. Hominem in culpam lapſum, & libertate illa, quæ ſibi fuerat donata ad præmium mærendum abutentem ad ſupplicium, diuina prouidentia non deſeruit, ſed curando vulneri, quód naturæ viribus erat inſanabile, prę ſentiſſimum adhibuit medicamentum, adeó vt ipſæ calamitates videantur migraſſe in materiam felicitatis: homo ſe ipſum perdidit Deum deſerendo: Deus veró hominem reſtaurauit, & quem olim fecerat, refecit homo factus. Quis enim referat quot,& quanta media Deus parauit ad hominem reddendum poſt ipſam culpam feliciorem? Nimiús eſſem ſi vellem ſingula proſequi, quæ Deus ad æternam felicitatem conſeruandam nobis cumulatiſſimè contulit, quot quot enim beneuola Dei voluntate

ſunt ad gloriam præordinati mirabili, ſed certiſſima via ad eam conſequendam ordinantur; hinc eſt Deum eſſe ab omnibus adorandum, vt naturæ lumen oſtendit, adeoque in mundo eſſe aliquam Religionem, qua Deus debet veré adorari. Hanc Religionem eſſe Catholicam omnes Theologi pluribus, & ineluctabilibus argumentis oſtendunt, ad quos iſtam diſputandam materiam reijcimus, ne in alienam meſſem; falcem dicamur immiſiſſe: hinc enim naſcitur Diuina illa Scientia ad quam cæteræ diſciplinæ diſponunt, nimirùm Sacra Theologia ex duplici lumine naturæ, & Fidei, quodam veluti cœli terręque connubio procreata.

4 Reliquum igitur eſt, vt in vnius Dei contemplatione noſtra hæc Philoſophia gradum ſiſtat: quorſum enim rerum creatarum ſcientia animus vlteriús imbuendus? dum licet Deum, quèm nobis philoſophia proponit omnem veritatis fontem ſpeculari. Suas profectò partes tota natura, quàm meditandam in hoc Philoſophico curſu nobis propoſuimus, impleuit; ſi ex ſonoris corporum vocibus eadem natura noſtras erigat aures ad vnũ Deũm loquentem audiendum, vt pulchrè, & ingeniosè in aureis ſuis Confeſſionibus ait Auguſtinus, cuius auſpicatiſſimo nomine clauduntur noſtræ in vniuerſam Philoſophiam diſputationes.

F I N I S.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLII MONASTERIO S. SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

IN-

INDEX GENERALIS

Omnium rerum, quæ continentur in quatuor Tomis totius curſus Philoſophici.

Litera T ſignificat Tomum: litera D diſputationem: litera Q quæſtionem litera N vnum numerum exillis, in quos ſunt diuiſæ ſingulæ quæſtiones: & litera P ſignificat paginam.

A

ABSTRACTIO ET ABSTRACTVM.

Abſtractio ſimplex, & abſtractio compoſita quid ſit? t. 1. d. 6. q. vltim. n. 19. p. 126. Fit ab intellectu. d. 4. q. 2. n. 8. p. 374. Eſt neceſſaria ad ſcientias & ad omnes conceptus ſcientificos & vniuerſales, n. 5. p. 372. Includit aliquam infinitatem t. 3. d. 10. q. 1. n. 1. p. 530. Abſtrahit ab omnibus circumſtantijs materialibus ibid. Non poteſt dari minor abſtractio illa, qua abſtrahitur ſpecies atoma ab omnibus ſingularibus. ibid. Abſtractum phyſicum non poteſt prædicari de concreto: logicum verò poteſt t. 1. d. 5. q. 1. n. 31. p. 463.

ACCIDENS ET ACCIDENTALE.

Accidens aliud prædicamentale, aliud prædicabile t. 1. d. 6. q. vlt. n. 2. p. 518. Accidens prædicabile eſt in aliquo ſenſu magis vniuerſale, quàm

prædicamentale: ibid. Acccidens logicum ſiue prædicabile, quid ſit? ibid. n. 9. p. 522. definitur definitione negatiua, & poſitiua. ibid. n. 10. & ſeq. p. 523. priús prædicatur de indiuiduis, quàm de ſpecie n. 12. p. 524. Accidens logicum conſtituit quintum prædicabile. n. 9. p. 522.

Accidens phyſicum ſiue accidens prædicamentale quid ſit? t. 1. d. 9. q. 5. n. 1. & 3. p. 649. Quotuplex ſit ibid. habet duas formalitates formaliter diſtinctas inter ſe; & formaliter indiſtinctas ab ipſa eſsentia accidentis. n. 2. p. 651. Inhærentia quæ eſt eſſentia accidentis non eſt formalis, ſed radicalis. ibid. n. 5. p. 652. & d. 6, q. vlt. n. 11. Accidens prædicamentale poteſt ad eſſe vel abeſſe á ſubiecto ſine eius corruptioné. t. 1. d. 6. q. vlt. n. 11. p. 523. Quomodo poſſit abeſſe á ſubiecto ſine eius corruptioné? ibid. n. 16. & ſeq. p. 525.

Diſtinctio realis accidentis á ſubſtantia prædicamentali, eiuſque neceſſitas demonſtratur. t. 1. d. 9. q. 5. n. 10. 11. & ſeq. p. 656. Identitas accidentis logici, ſiue prædicabilis cum ſubſtantia prædicamentali non repugnat, identitas veró accidentis prędicamentalis cum ſubſtantia prædicamentali eſt impoſſibilis. t. 1. d. 9. q. 5. n. 13. p. 658. Ratio abſtractiſsima accidentis eſt analoga omnibus accidentibus. ib. qu. 6. n. 11. & 12. p. 664. Non ponitur ab Ariſtotele in prædicamento quantitatis, & in cæteris prædicamentis, & cur? n. 13. p. 666. Differentiæ accidentis prædicamentalis includunt formaliter rationem abſtractiſſimam accidentis, differentiæ veró ſubſtantiæ, non continent formaliter rationem abſtractiſſimam ſubſtantiæ: ibidem n. 16. & 17. p. 607. Accidens non prædicatur de ſubſtantia in abſtracto, ſed tantùm in concreto, t. 1. d. 9. q. 4. n. 1. prædicatur de inferioribus in abſtracto

ſtracto, ibid.differt à forma ſubſtantiali & quomodo differat? t. 1. d. 9. q. 5. nu. 5. pag. 650. & to. 2. diſp. 4. qu. 1. num. 6. p. 135.

Accidens prædicamentale ſemper denominat ſubſtantiam, cui inhæret. t. 4. d. 2. q. 1. n 6 p. 50. Non eſt neceſſe vt communicet tranſitiuè ſubiecto omnia prædicata, quæ ſibi communicat intranſitiue. t. 2. d. 13. q. 2. n. 15. p. 524. Non poteſt communicare effectum formalem ſubiecto in quo eſt, ſi ſubiectum non eſt capax talis effectus formalis. d. 9. q. 1. n. 19. p. 389.

Vnum accidens poteſt eſſe ſubiectum alteriùs accidentis non ſolúm modalis; ſed abſoluti.tom.3. d. 2. q. 3. n. 9. p. 55. poteſt mutare cauſam efficientem, non poteſt materialem, adeoque non poteſt tranſire de ſubiecto in ſubiectum d. 1. qu. 3. nu. 5. p. 23. deſtructa ſubſtantia perſeuerant multa accidentia, quæ ſunt communia ſubſtantiæ veteri & nouæ. ibid. q. vlt. n. 8. 9. 10. & ſequ. p. 30. non recipiuntur in toto compoſito, ſed in ſola materia. q. 3. n. 11. 12. & ſeq. p. 22. denominant intrinſecè totum compoſitum & formam ſubſtantialem. n. 21. p. 25. producunt ſola immediatè ſubſtantiam. d. 3. quæſt. 2. num. 13. & 14. pag. 70. operantur in virtute ſubſtantiæ. n. 21. p. 74. continent ſubſtantiam continentia proportionis. n. 23. p. 75. non continent continentia perfectionis. ibid. ſeparata miraculosè à ſubſtantia poſſunt ſine nouo miraculo producere ſubſtantiam. n. 22. p. 74. ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ in generatione ſubſtantiæ. n. 27. p. 78. Vide cauſa principalis & inſtrumentalis.

Accidens modale: quid ſit? t. 2. d. 4. q. 2. n. 8. p. 147. in quo ſubiecto recipiatur? t. 3. d. 1. qu. 3. n. 25. p. 26. eſt inſeparabile à ſubiecto eſſentialiter t. 2. d. 4. q. 2. n. 9. p. 159. non dependet eſſentialiter

ter á ſubiecto tamquam á cauſa efficienti. t. 3. d. 8. q. 3: n 8. & 9 conuenit analogicé cum accidente abſoluto. t. 1. d. 9. qu. 6. n. 10. & 11. non indiget alia forma à ſe diſtincta ad communicandum ſubiecto effectum formalem. t. 2. d. 10. qu. 2. n. 11. facit vt quo illud ipſum, quod facit vt quod accidens abſolutum. ibid. d. 4. q. 2. n. 20.

ACTVS INTENTIONALIS.

An ſit & quid ſit? t. 1. d. 1. qu. 1. n. 5. p. 156. & t. 3. d. 8. q. 2. n. 2. & 3. quotuplex ſit? d. 14. qu. 1. n. 12. & 13 p. 545. eſt vita metaphorica rei cognitæ, & amatæ; vera & propria cognoſcentis & amantis. d. 8. q. 2. n. 3. & 4 eſt eſſentialiter ab intrinſeco. n. 16. & 17. non poteſt efficienter á ſolo Deo produci. ibid. n. 26. V. vita: dependet á facultate intentionali in genere cauſæ vitalis. t. 3. d. 8. q. 3. n. 9 10. & ſeq. dependet ad obiecto motiuo in genere cauſæ obiectiuæ. ibid. d. 14. q. 1. n. 14. 15. & 16. p. 547. ſpecificatur ab obiecto motiuo, non verò ab obiecto terminatiuo. q. 4. n. 1. 2. & 3. p. 584. tendit in obiectum ſub ratione formali quæ & ſub ratione formali ſub qua. d. 10 qu. 3. nu. 15. p. 389. quæ nam differentia ſit inter rationem formalem quæ & rationem formalem, ſub qua. n. 16.

ACTIO AGENS ET AGERE.

Actio generatiua, quid ſit? t. 2. d. 10. q. 2. n. 7. p. 410. non diſtinguitur realiter á paſſione. ib. & t. 1. d 9 q 2 n. 12. & 13. p. 635. eſt realiter diſtincta à cauſa & effectu. t. 2. d. 10. q. 2. n. 9. p. 411. non poteſt produci á ſolo Deo. n. 10. & 16. p. 413. non dependet per aliam actionem. n. 11. eſt prior natura effectu prioritate vt quo. d. 7. qu. 3. nu. 26. p. 314. eius ſubiectum eſt paſſum non agens. t. 2. diſp. 10. quæſt 3. num. 9. 10. & ſequent. pag. 417. agere eſt bonum reſpectu paſſi, non reſpectu agentis.

tis. num. 16. pag. 419. agere eſt arguitiué perfectio agentis, non verò formaliter. n. 15.

Actio adæquata quid ſit? t. 2. d. 10. q. vlt. nu. 10. duplex actio adæquata naturaliter, & ſupernaturaliter repugnat n. 10. & ſeq. hæc repugnantia demonſtratur ex conceptu actionis n. 12. & mutuæ prioritatis n. 14. infertur eſſentialis repugnantia duplicis actionis adæquatæ ex naturali eiuſdem repugnantia num. 13. & 18. duplex finis in actu ſecundo adæquatus poteſt agere: non poteſt duplex cauſa efficiens vel materialis num. 15. duæ cauſæ in actu primo adæquatæ non repugnant num. 17. immò ſunt vtiles nu. 21. attemperant ſuum concurſum dum in actu ſecundo operantur n. 10. totus effectus pendet ab vtraque cauſa totalitate effectus non totalitate cauſæ num. 17. Vide cauſa.

Actio creatiua quid ſit? t. 3. d 3. quæſt. 4. n. 1. pag. 164. euidens eſt eam exiſtere ne dum eſſe poſſibilem nu. 3. pag. 105. eſt propria entis increati num. 2. 3. & 4. p. 106. non eſt in cauſis ſecundis num. 5. p. 107. non poteſt communicari enti creato num. 15. p. 109. quid ſentiant Scholaſtici de creaturá eleuabili ad creandum? num. 6. p. 187. ratio Diui Thomæ, quæ probat virtutem creandi eſſe incommunicabilem, eſt optima num. 16. p. 110. eadem illuſtratur & promouetur, num. 17. 18. & ſeq. p. 111. ratio formalis, ſub qua operatur actio creatiua, eſt ratio abſtractiſſima entis creati. num. 20. p. 112. ratio formalis, ſub qua operatur actio generatiua, non eſt ratio entis generabilis. num. 27. & 29. p. 115. actio creatiua non diſtinguitur realiter à termino tom. 2 diſp 10. quæſt. 3. num. 9. p. 411. Vide creatio.

Actio in diſtans quid ſit? tom. 3. diſp. 5. quæſt. 3. num. 1. & 2. p. 180. repugnat naturaliter num. 10. p. 183.

p. 183. non repugnat eſſentialiter num. 11. p. 154. nulla experientia probat actionem indiſtans num. 14. & 15. p. 185. ad agendum eſt neceſſaria metaphyſicé coexiſtentia temporis inter cauſam & effectum, non eſt neceſſaria coexiſtentia loci num. 17 & 18. p. 187. applicatio cauſæ obiectiuæ eſt eſſentialis num. 19.

Actio directa, reflexa, & refracta quid ſit? tom. 3. diſp. 5. qu. 2. num. 1. 2. & ſeq. p. 171. in nulla ſimile agit in ſimile num. 17. p. 178. cur non poſſit agens agere in ſimile? num. 13. p. 177. ad agendũ eſt neceſſaria diſſimilitudo inter agens & paſſum, num. 14. omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum tom. 2. diſp. 10. q. 1. num. 17. p. 403. quare agens agat in quantum eſt in actu? q. 3. nu. 15. p. 420. Vide cauſa efficiens.

Agere abſtractiſſimé acceptum præſcindit ab identitate inter agens, & paſſum. tom. 3. d. 5. q. 1. num. 7. p. 167. agere adæquatum in omni genere eam excludit num. 8. p. 168. agere in aliquo genere non excludit inadæquatam. num. 12. pag. 168. eam excludit agere vniuocum num. 14. pag. 169. agens vniuocum non poteſt in ſe ipſum agere, poteſt veró æquiuocum num. 11. cur idem non poſſit producere ſe ipſum & poſſit agere in ſe ipſum? num. 16.

ÆQVIVOCA.

Æquiuoca quid ſint? tom. 1. diſp. 8. quæſt. 1. nu. 1. p. 581. prius ſunt diuidenda, quám definienda, ibidem: æquiuocatio eſt in vocibus non in conceptibus ibid. differentia inter æquiuoca & analoga qu. 2 num. 13. & 14. p. 599. ratio ſignificata per nomen æquiuocum non eſt præciſa ab omnibus æquiuocis num. 19. p. 603.

AER.

Quare aer ſit corpus ſimplex? V. elementum. eſt humidus in ſummo, & calidus propé ſummum tom. 3. d. 6. qu. 2. num. 1. p. 209. cur magis humectet aqua quam aer? ibidem. humiditas aëris non conſiſtit in copuſculis humidis nu. 19. p. 216. V. humiditas. locus proprius & naturalis aeris eſt ſupra terram & aquam tom. 2. diſp. 18. quæſt. 4. num. 8. p. 751. eius figura eſt ſphęrica num. 7. ambit totam terram num. 9. p. 752. mouetur ab intrinſeco tom. 3. diſp. 7. quæſt. 1. num. 7. pag. 231. per leuitatem quę eſt qualitas poſitiua num. 9. pag. 232. quarę aer qui continetur intra follem luſoriũ ſit grauis & ponderoſus? num. 13. pag. 234. an aer poſſit ponderari? ibidem: ſpatium inter orbem lunarem & ſuperficiem terræ non eſt vacuum; ſed eſt plenum corpore aereo tom. 2. qu. 14. nu. 1. p. 544.

ÆSTIMATIVA.

Virtus æſtimatiua quid ſit? t. 3. d. 19. q. 1. n. 11. p. 751. eius organum vbi ſit? p. 755. an ſit in brutis ibid. an diſcurrat? ibid. an faciat vniuerſale? t. 1. d. 5. q. 2. n. 19. p. 475.

Æternitas Mundi, Vide Mundus.

ÆTERNITAS.

Æternitas quid ſit? t. 2. d. 15. nu. 4. & 5. p. 560. quotuplex ſit? d. 18. q. 1. n. 1. p. 723. æternitas Diuina demonſtratur à priori ex Diuina Aſeitate t. 4. d. vlt. q. 2. n. 6. p. 716. eſt duratio eſſentialiter indiuiſibilis, & permanens t. 2. d. 15. q. 3. num. 1. p. 574. æquiualet infinitis durationibus ſucceſſiué fluentibus ibidem. quare ſit permanens, etiamſi non poſſit æquiualere pluribus durationibus ſucceſſiué fluentibus, quæ ſint menſura propria ipſius? d. 17. q. 6. num. 14. p. 713. nihil eſt eidem æternitati præteritum ac futurum d. 15. q. 1. num. 5. p. 560.

non

non eſt neceſſaria vt Deus cognoſcat futura contingentia t.1 d.12.q.2.n.10.& 11 p.767.eſt eſſentialiter incommunicabilis puræ creaturæ t.2.d.15.q.3. n. 8.9.& 10.p. 577. Vide duratio indiuiſibilis.

ÆVVM.

Æuum eſt duratio propria Angelorum & rerũ incorruptibilium t. 2. d. 15. q. 1. n. 6. & 7. p. 561. non eſt duratio eſſentialiter permanens q. 3. n. 7. p. 576. magis accedit ad naturam temporis quàm ad naturam æternitatis q. 1. n. 9. p. 562. id quod eſt præteritum & futurum, non eſt præſens æuo ibidem. Vide Angeli.

ALIMENTVM.

Alimentum non conuenit niſi rebus quæ habent vitam. tom. 3. diſp. vlt. quæſt 1. num. 1. & 2. quare ea, quæ carent vita propriè non alantur d. 8 q. 3. n. 9. p. 289. quid requiratur, vt ſit alimentum id, quod in ſubſtantiam aliti conuertitur d. vlt. q. 1. n. 5. non ſunt capaces alimenti niſi ſubſtantiæ quæ habent vitam vegetantem ibid. quare ſit neceſſarium alimentum ad vitam conſeruandam? ibidem. conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti debet eſſe continua & nunquam intermiſſa ibidem. deficiente hac conuerſione animal extinguitur ibid.

ALTERATIO.

Alteratio quid ſit t. 3. d. 4. q. 1. num. 2. p. 133. oſtenditur in quo conueniat cum generatione & in quo differat ibid. alteratio facit rem alteram potius quàm aliam n. 1. alia eſt perfectiua, alia corruptiua num. 2. quid ſit alteratio corruptiua? ibid. alteratio tàm corruptiua quàm perfectiua diuiditur in intenſiuam & extenſiuam. num. 3. in alteratione corruptiua eadem actio quæ intendit vnam qualitatem, remittit aliam. ibidem.

Exiſtere alterationem eſt euidens á priori, & á poſte-

poſteriori num. 4. p. 134. eſt, motus ſucceſſiuus; non inſtantaneus num. 7. p. 135. alteratio corruptiua eſt ſucceſſiua per ſe, & alteratio perfectiua eſt ſucceſſiua per accidens num. 8. & 9. p. 136. actio per quam alteratur ſubiectum, eſt diuerſa ab actione, per quam generatur ſubſtantia; n. 10. p. 137. motus alterationis eſt continuus ſicuti motus localis. n. 13. p. 138. partes, quæ eum componunt, ſunt ſimiles partibus componentibus motum localem ibid. Vide intenſio & remiſſio.

ANALOGA.

Analoga quid ſint? t. 1. d. 8. q. 1. n. 1. p. 581. quot ſint? ibidem n. 3. p. 584. ratio analoga an debeat eſſe extrinſeca omnibus analogatis? n. 9. & 10. p 587. aliqua ſunt analoga, in quibus ratio prædicabilis eſt intrinſeca omnibus analogatis nu. 10 p. 588. ratio analoga præſcindit á ratione intrinſeca omnibus analogatis & á ratione vnitantum intrinſeca. n. 11. p. 589. Analoga non præſcindunt á differentijs q. 2. nu. 10. & 11. p. 597. differentia inter vniuoca & analoga ibid. num. 18. p. 602. non ſufficit ad rationem analogam, vt ratio communis inæqualiter participetur ab inferioribus qu. 1. num. 3. p. 584. ratio analoga ab omnibus analogis præciſa non eſt perfecté vna nec perfecté præciſa qu. 2. num. 10. p. 597. neque eſt perfectè multiplex, & perfecté diuerſa num. 12. p. 599. ſed eſt ſecundúm quid vna. num. 16. & 17. p. 601. quomodo intellectus procedat in abſtrahenda vna ratione communi omnibus analogatis num. 18. p. 602. explicatur modus, quo terminus communis analogus continet formaliter differentias á quibus contrahitur num. 21. & 22. p. 606. oſtenditur diſcrimen inter ſanum, quod eſt analogum, & animal quod eſt vniuocum num. 23. p. 607. ens eſt analogum reſpectu ſubſtan-

ſubſtantiæ, & accidentis. Vide ens.

ANGELI SIVE INTELLIGENTIÆ.

Oſtenditur diſcrimen inter Angelum & animã rationalem t. 3. d. 10. q. vlt. num. 11. p. 402. Angeli ſunt ſubſtantiæ adæquatè immateriales t. 4. d. 10. q. 1. num. 1. p. 438. non ſunt nec poſſunt eſſe forma alicuius corporis t. 3. d. 10. q. vlt. nu. 10. & 11. p. 402. mouent orbes cœleſtes t. 2. d. 19. q. vlt. num. 8. p. 773. ſunt formæ aſſiſtentes ibid. non poſſunt accipere cognitionem á ſenſibus t. 3. d. 15. q. 1. num. 4. & 5. p. 623.

Exiſtere Angelos eſt certum lumine fidei, & euidens lumine naturę t. 4. diſp. 10. quæſt. 1. n. 1. 2. & 3. p. 439. demonſtratur ex pluribus capitibus Angelos non repugnare n. 10. p. 442. demonſtratur debere exiſtere ibid. n. 12. p. 445. & t. 2. diſp. 19. quæſt. vlt. nu 7. p. 773. Habent intellectum, & voluntatem t. 4. diſp. 10. quæſt. 2. n. 11. p. 461. non intelligunt, nec poſſunt intelligere per cognitionem indiſtinctam n. 2. p. 453. & t. 3. diſp. 8. quæſt. 4. nu. 7. p. 299. non fuerunt ab æterno t. 2. diſp. 18. quæſt. 1. n. 9. p. 728. fuerunt creati in tempore ſimul cum mundo corporeo t. 4. diſp. 10. quæſt. 1. n. 20. p. 450. eorum numerus eſt quaſi innumerabilis t. 1. diſp. 7. quæſt. vlt. n. 15. p. 575. & t. 4. diſp. 10. quæſt. 1. n. 17. p. 499. ſunt diuiſi in tres hierarchias & ſeptem choros ibid. omnes differunt ſpecie. t. 1. diſp. 7. quæſt. vlt. n. 3. p. 567. non poſſunt multiplicari ſolo numero ibid. non poſſunt indiuiduari relatè ad diuerſum ſubiectum, ad diuerſum agens n. 4. p. 568. ſunt ens finitum etiamſi non poſſint habere aliud ſimile in eſſentia? n. 9 p. 571: quare poſsint multiplicari ſpecie, non verò numero? n. 11. p. 572. Angeli ſunt immultiplicabiles numero, & animæ rationales multiplicabiles n. 13. p. 574.

An-

Angeli non fuerunt Beati in inſtanti ſuæ creationis t.3. diſp.17. quæſt. vlt. n. 4. & 5. p. 686. ſunt eſſentialiter peccabiles diſp.18.quæſt.4.n.9 p.731. ſunt immobiles in bono perinde vt in malo t. 4. diſp. 10.quæſt.2.n.11. p.462.habent beatitudinem ex merito t.3:diſp. 17. quæſt. vlt.n.4.p.686 fuerunt deſtinati regendis corporibus poſt liberam electionem qua in bono perſeuerarunt t. 1. diſp.7.qu. vlt. nu. 15. p.575. Angeli tutelares ſpectant ad vltimam hierarchiam ibid. ſunt multò plures quam homines,præſentes,præteriti,& futuri ibid.

Omnes Angeli ſunt ſubſtantiæ ſimplices t.1.diſp. 7.quęſt.4 n.5.& 7.p.554 non poſſunt produci niſi à Deo ibid n.6.&t.3.d.3.q.4.n. 23. p. 113. habent cōpoſitionem ex ſubſtantia, & accidente t. 1. diſp. 7. qu 4. n 5.p.544. ex natura & ſuppoſito t.2.d.6.q 1. n.10.11.& ſeq.p.231.ſunt in loco per vbicationem diſtinctam t.2.diſp.12.quæſt.2. n. 13. & 17. p. 488. eamq; definitiuam, & indiuiſibilem ibid. n. 17. p. 491. durant per durationem diſtinctam dip. 15. quæſt.2.n.8 9.&10.p.568.non permanentem quæſt. 3. n.8.& ſeq.p.576.ſed ſucceſſiuam & metaphyſicè diuiſibilem ibid.n.12. hæc duratio vocatur aeuum quæſt.n.6.& 7.p.561.

Angelus ſupremus comprehendit totum mundum t.4.diſp.10.quæſt. 2.n.7.p.457.cognitio Angelica alia eſt matutina, alia veſpertina t. 3. diſp 13. quæſt.vlt.n.10.p.524. Quid ſit cognitio matutina, quid veſpertina?ibid. an cognitio matutina & veſpertina conſtituant illos dies,quibus Deus creauit mundum? ibid.

Angelus non cognoſcit componendo t. 3. diſp. 15.q.1.n. 2.p.622. habet diſcurſum virtualem,non formalem t. 4. d. 10. q. 2.n.16.p.459.& p.764. non cognoſcit naturaliter futura contingentia t. 1. diſp.

12.

12. q.2. n.15. ſed mouetur à ſubſtantia immateriali creata t.3.d.14.q.vlt. n.18. p. 609. non poteſt naturaliter videre Deum t.4.diſp.15.q. 2. n. 11.p. 699. poteſt facere vniuerſale t.1 diſp. 5.q.3. n. 12. p.481. poteſt cognoſcere obiectum impoſſibile t. 4. diſp. 8.q.3.n.26.p.344.

Angeli poſſunt loqui t.4.d.10.q.2. n.12. p.462. in quo conſiſtat locutio Angelorũ? ibid. diſcrimen inter locutionem Angelicam & humanam ibi. quare vnus Angelus, dum loquitur cum alio Angelo, non audiatur á cæteris, ibid. inter Angelos datur naturaliter amicitia t. 1.diſp.7.q.vlt.n.19.p.578.

Angeli non poſſunt virtute ſua producere effectus naturales t.2.diſp.5. q.1.n.23.& 24.p.191. poſſunt applicare activa paſſiuis n.27.p.193. hoc modo poſſunt facere effectus, qui videntur mirabiles n.35.p.196. mouentur motu locali t.2.d.12. q.1.n.1.p.471. hic motus non eſt inſtantaneus n.5.p. 474.

ANIMA ANIMATVM ANIMAL

Animal eſt concretum logicum & quare t. 1. diſp.4.q.8.n.24.& 25.p.437. præſcindit à differentijs diſp.3.q. 1.n. 22. p. 279. quomodo præſcindat? q. 5. n.11.& ſeq. p.346. V. præciſio.

Nullum animal poteſt eſſe ſine guſtu & tactu t. 3. diſp. 19. q. vlt. n. 6. p. 781. animalia imperfecta non mouentur motu progreſſiuo & quare? diſp.9. q.1.n.4.p.314. Animalia quæ habent tactum perfectiorem ſunt perfectiora. diſp.15. q. 2.n.10.p. 634. Præſtantiſſima ſpecies animalium eſt homo diſp. 9.q.1.n.4.p.314. Animalia irrationalia non diſcurrunt t.3.d.15.q.2.n.10.p.634. operantur materialiter propter finem, non verò formaliter t.2.diſp.11. q.3. n. 8. & 9. p. 458. non ſunt capacia operandi ex habitu t.3.diſp.12.q.1.n.11.p.474. V. habitus. Non faciunt vniuerſale perfectũ. 1.d.5.q.2.n.10.11.& 19. p.469.

p.469.& 464.non poſſunt perfectè præſcindere ab omnibus circumſtantijs materialibus.ibid.non habent libertatem t.3. diſp.18.q.1.n.11.p. 694. non poſſunt operari moraliter ibid.q. vlt.n.9.p.735. non poſſunt peccare ex defectu perfectionis ibid q. 4. n. 4.p.727.ſunt eſſentialiter ordinata ad ſubſtantiam rationalem,ſine qua non poſſunt produci t. 2. diſp. 18.q.3.n.7.p.744.V.mundus.

Non omnia animalia generantur ex ſemine t. 3. diſp.3.q.2.n.17.p.71.quænam ſit cauſa immediata animalium quæ naſcuntur ex ſemine? ibid n. 19. & 27. p. 72. & 77. animalia quæ naſcuntur ex putri à qua cauſa generentur ? t.2.diſp.10.q.1.n.27.p.407.

Animatum quid ſit & quotuplex ſit ? t.3. diſp. 9. q. 1. n.3.4.& 5. p.313.& 314.& diſp.19.q.1.n.1. & 2. p.744.& 745.corpus animatū non conſtat ex atomis t. 2.diſp.1.q.2.n.21.p.34.conſtat ex materia & forma ſubſtantiali ibid: diſp.2. q.1.n.17.p. 65.in rebus animatis non datur alia forma ſubſtantialis præter animam. t.3.diſp.9.q.2.n.13. 14 & ſeq.p.322. non datur forma corporeitatis prętcr animam,neq;forma partialis. ibid: eſt maior repugnantia vt ſimul cum anima dentur formæ partiales quám vt ſimul cum vna formà ſubſtantiali detur alia forma n. 15. p. 324.

Anima quid ſit? t.3.diſp.9.q.1.n.8.& 9.p.315.quotuplex ſit?ibid.n.4.p.313. referūtur variæ ſententiæ circa naturam animæ ibid. nu. 2. p. 312. quare ſit actus corporis organici ibid.n.11.p. 316. anima ſe ipſam mouet diſp 8.q.3.n.10.& 11.p.290. quomodo poſſit id cohærere cum veritate huius principij? quidquid mouetur ab alio mouetur. t. 2. diſp. 12. quæſt. 1. n. 26. p.481.anima eſt forma longé nobilior cæteris formis t. 2. diſp. 4. q.1.n. 7.& 8.p. 136. 137.habet minorem compoſitionem quam cæteræ

formæ t. 1. d. 7. q. 4. n. 5. p. 540. in quo conſiſtat hac minor compoſitio? ibid. anima in genere nec eſt diuiſibilis, neque indiuiſibilis. t. 3. d. 9. q. 3. n. 19. p. 340. præſcindit á diuiſibili, & indiuiſibili. ibid. animæ materiales ſunt diuiſibiles. ibid. n. 14. 15. & ſeq. p. 336. & 337. quare animalia imperfecta diuiſa in varias partes viuant, & non viuant animalia perfecta, licet omnia habeant animam diuiſibilem ibid. n. 28. p. 346. organa ſiue potentiæ animarum materialium ſunt diuiſibiles ibid. n. 25. 26. & 27. p. 343. 344 & 345. obiectum, circa quod anima verſatur eſt corpus t. 3. d. 19. q. 1. n. 1. & 2. p. 744. referuntur tres modi, quibus anima ſe exercet circa corpus ibid.

ANIMA VEGETATIVA ET SENSITIVA.

In genere animæ. infima eſt anima vegetatiua. t. 3. d. 9. q. 1 n. 4. p. 313. & d. vlt. q. 1. n. 1. habet eſſe & operationem omninó materialem. d. 19. q. 1. n. 3. p. 746 in quo conſiſtat eſſe omninó materiale animæ vegetatiuæ? ibid. eius actus ſunt nutritio augumentatio, & generatio d. vlt. q. 1. n. 4. & 5.

Anima ſenſitiua tribuit eſſe & operationem non omninó materialem d. 19. q. 1. num. 2. & 3. p. 745. quid ſit hoc eſſe non omninó materiale, quod tribuit anima ſenſitiua? num. 5. p. 747. Anima ſenſitiua non poteſt ſine ſenſu conſiſtere num. 6. Anima ſenſitiua poteſt habere in ſe, & á ſe imagines rerum ſenſibilium. d. 8. q. 3. n. 12. p. 291. Anima ſenſitiua eſt imperfectior rationali, & cur? ibidem. Vtrum anima ſenſitiua habeat ſenſus internos, & externos? d. 19. q. 1. n. 7. 8. & ſeq. p. 747. quare ſit neceſſarius in anima ſenſitiua, præter ſenſus externos ſenſus internus? n. 9. 10. & ſeq. p. 749. V. ſenſus. Vtrum anima, quæ cognoſcit omnia corpora, ſit ſenſitiua, & materialis? d. 10. q. 2. n. 11. p. 371.

ANI-

ANIMA RATIONALIS.

Anima rationalis eſt nobiliſſima ſpecies animæ d. 9. q. 1. nu. 4. p. 314. demonſtratur eius immaterialitas ex conceptu entis immaterialis. d. 10 q. 2. n. 8. 9. & ſeq. p. 369. ex conceptu virtutis, quæ omnia cognoſcit. n. 10. 11. & ſeq. p. 370. ex operationibus eiuſdem animæ q. 3. nu. 7. 8. & ſeq. p. 382. & ex capite libertatis q. 4. n. 2. 3. 4. & ſeq. p. 394. quare non poſſit intelligere ſine phantaſmate? q. 2. n. 20. p. 378. quare intelligat in capite, & non in pede n. 21. p. 379. quomodo moueatur ab obiecto materiali? n. 22. p. 380. An immaterialitas animæ conſtet ex cognitione rerum immaterialium, & rerum vniuerſalium? q. 3. n. 10. p. 386. An inferatur animam rationalem eſſe ens neceſſarium, & à ſe, eo quod cognoſcit eiuſmodi ens? num. 16. p. 391. oſtenditur diſcrimen inter formam ſubſtantialem, & formam accidentalem dependentem a ſubiecto in ordine ad immaterialitatem. n. 12. p. 387.

Anima rationalis, non ſolùm eſt immaterialis, ſed etiam eſt forma corporis. d. 10. q. vlt. n. 7. 8. & ſeq. p. 399. ſola anima non eſt totus homo t. 2. d. 4. q. 1. n. 16. & 17. p. 139. V. Forma. Anima rationalis quare ſit tranſitiuè materialis, & intranſitiuè immaterialis? t. 3. d. 10. q. 2. n. 17. p. 377. eius effectus formalis eſt aliquid materiale inadæquatè, non adæquatè ibid. Quare non ſit materialis licet ſit vegetatiua ſimul, & ſenſitiua? n. 18. Quomodò in ſe contineat perfectiones animarum inferiorum t. 1. d. 2. q. 3. n. 28. p. 232. eſt indiuiſibilis. t. 3. d. 9. q. 3. n. 11. & 12. p. 335. eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis n. 13. p. 336. quare non ſit replicata, licèt ſit tota in pluribus corporis partibus? t. 2. d. 13. q. 1. n. 4. p. 500. Non dependet à materia neque in fieri, neque in conſeruari. t. 2. d.

4. q. 1. n. 8. p. 137. quare non poſſit produci, niſi præcedat materia tanquam conditio? t. 2. d. 8. q. 1. n. 22. p. 353. non poteſt produci niſi á ſolo Deo per actionem creatiuam t. 3. d. 3. q. 4. n. 15. 16. & ſeq. p. 109. non fuit creata ante vnionem cum corpore d. 15. q. 1. n. 1. p. 620. quomodo anima contrahat peccatum originale, etiamſi non propagetur ſicuti propagatur corpus. ibidem. Vtrum vnio animæ cum corpore ſit eidem naturalis? d. 10. q. vlt. n. 10. & 13. & 16. p. 405. quare non ſit violenta ſeparatio animæ á corpore mortali, licét ſit illi vtilis huiuſmodi vnio. ibid.

Anima in ſtatu vnionis cum corpore nihil poteſt intelligere ſine phantaſmate d. 15. q. 3. n. 4. & 5. p. 638. an neceſſitas ſpeculandi phãtaſmata ſit pęna culpæ originalis? n. 6. p. 639. an ſit maior dependentia intellectus á phantaſmate, quám phantaſmatis á ſenſu externo? n. 7. p. 610. quare anima vnita corpori mortali non habeat neceſſitatem ſpeculandi phantaſmata? n. 8. vndè conſtet animã rationalem debere in hac vita ſpeculari phantaſmata? q. 2. n. 6. p. 630. quomodo anima intelligat per ſpecies acceptas á phantaſmate? n. 7. & 8. p. 631. quomodo ſpectet ad imperfectionem animæ producere ſpecies per quas intelligit? n. 9. p. 632. affertur ratio quare Deus coniunxerit facultates ſentientes cum intelligentibus. n. 10. p. 633. eadem anima in hac vita intelligit componendo, & diuidendo. q 1. n. 6 7. & 8. p. 723. Vide Intellectus.

Anima rationalis habet potentias immateriales, & inorganicas. d. 9. q. 4. n. 2. p. 348. huiuſmodi potentiæ non ſunt realiter diſtinctæ ab anima. n. 10. 11. & ſeq. p. 350. Anima rationalis excludit á corpore, quod informat, quamcumque formam ſubſtantialem. q. 3. n. 13. & 14. p. 323. Poteſt facere
omnes

omnes effectus formales, quos faciunt cęterę formæ. n. 15. p. 324.

ANIMÆ RATIONALIS IMMORTALITAS.

Anima rationalis eſt natura ſua immortalis. d. 11. q. 1. n. 1. & 3. p. 408. An poſſit demonſtrari eius immortalitas lumine naturæ? n. 11. p. 414. Quid ſit ſentiendum de illis, qui dicunt non poſſe demonſtrari? n. 12. 13. & 19. p. 415. Quid ſenſerit Ariſtoteles de immortalitate animæ? n. 14. 15. & ſeq. p. 416. Quid ſenſerint Philoſophi gentiles n. 2. p. 416. & n. 13. & 14. p. 409. an poſſit immortalitas animæ cognoſci per ſcientiam ſimul, & ſidem diuinam? n. 21. an poſſit probari immortalitatem animæ eſſe indemonſtrabilem, eo quod Deus eam reuelauit. n. 20. Quare homines fugiant mortem; licet ſciant animam eſſe immortalem? n. 27. p. 425. Quid dicendum ſit de ijs, qui docent non demonſtrari immortalitatem animæ? n. 19. p. 419.

Non ſolum poteſt demonſtrari, ſed etiam demonſtratur ex immaterialitate immortalitas animæ. q. 2. n. 7. 8. & ſeq. p. 428. oſtenditur connexio immaterialitatis cum immortalitate. n. 10. p. 429. Affertur ratio, quare mortuo homine, non debeat mori anima. n. 11. p. 430. Quare poſſit anima, quæ eſt ſubſtantia incompleta viuere ſeparata á materia. n. 14. p. 433.

Demonſtratur etiam immortalitas animæ ex appetitu felicitatis. q. 3. n. 4. 5. 6. & ſeq. p. 447. Quare vita immortalis ſit debita ſoli naturæ rationali? n. 8. p. 441. An ex appetitu famæ, & gloriæ poſt mortem obtinendæ, demonſtretur immortalitas animæ. n. 9. p. 442.

Demonſtratur etiam ex ordine morali immortalitas animæ. q. 4. n. 5. 6. & ſeq. p. 447. Quomo-

do ex pulchritudine virtutis, & deformitate vit oſtendatur animam eſſe immortalem. n. 8. p. 450. An ex eo, quod ſit euidens melius eſſe mori, quàm peccare, ſit euidens animam eſſe immortalem? n. 11. p. 453. An virtuti magis conducat credere animam immortalem, quàm credere mortalem? n. 12. p. 454. An in illa hypotheſi, in qua Deus vellet annihilare animam, virtus eſſet amanda, & vitium fugiendum? n. 15. & 16. p. 456.

Quomodo ex capite diuinæ prouidentiæ demonſtretur immortalitas animæ? q. vlt. n. 7. p. 459. An perindé ſit euidens animam eſſe immortalem, ac Deum eſſe, & habere prouidentiam? n. 8. p. 460. Quare Deus in hac vita non remuneretur omnem virtutem, nec puniat omnia vitia? n. 13. p. 466. Quare Deus debeat remunerari virtutem præmio æterno? n. 16. p. 467.

Anima rationalis ſeparata à corpore appetit naturaliter vnionem cum corpore appetitu conditionato, non abſoluto. q. 2. n. 15. p. 484. explicatur huiuſmodi appetitus. ibid. Vtrum anima ſoluta corpore ſit perfectior toto homine? ibid. Quare anima debeat ſemper viuere? ſi aliquando viuit ſine corpore. n. 17. p. 435. An ſpeculetur phantaſmata in ſtatu ſeparationis? q. 1. n. 24. p. 423. Quomodo intelligat in hoc ſtatu. n. 25. p. 423. An intelligat per ſpecies acceptas à phantaſmate. ibid. Quid dicendum ſit de pueris morientibus ante vſum rationis. ibid. Vtrum anima á corpore ſeparata ſit in ſtatu violento? q. 2. n. 14. & 15. p. 433.

ANTIPERISTASIS.

Antiperiſtaſis quid ſit? t. 3. d. 5. q. 2. n. 6. p. 175. & n. 10. p. 176. An ſimile agat in ſimile in antiperiſtaſi. n. 18. p. 179.

APPETITVS.

Appetitus quid ſit? t. 2. d. 3. q. 2. n. 7. p. 113. Quid ſit appetitus innatus, & elicitus? nu. 8. An appetitus innatus ſit in omnibus rebus, ibid. p. 114. quare appetitus boni abſentis ſit deſiderium, & præſentis gaudium, n. 8. p. 113. datur in materia prima appetitus innatus ad omnes formas. nu. 10. & 11. p. 114. hic appetitus eſt indiſtinctus á materia. n. 12 & 13. p. 115. Iſte appetitus eſt æqualis reſpectu formarum inæqualium, n. 14 & 15. Ratio formalis ſub qua materia appetit, conſiſtit in indiuiſibili, n. 16. p. 116. & n. 21. p. 118. An materia appetat deſtructionem formæ præſentis, n. 19. p. 117. Datur in materia appetitus formæ deſtructæ; q. 3. nu. 5. p. 119. An iſte appetitus ſit naturalis, vel obedientialis, n. 7. p. 120.

In omnibus animalibus datur aliquis appetitus? t. 3. d. 19. q. 1. n. 13. p. 754. probabile eſt in omnibus ſenſibus eſſe appetitum, n. 13 p. 715. Vtrum omne ſenſitiuum ſit etiam appetitiuum? d. 17. q. 1. nu. 7. p. 676. Appetitus rationalis nihil aliud eſt, quàm voluntas, n. 1. p. 663. Huiuſmodi appetitus eſt appetitus boni vniuerſalis, ibid. p. 664. Quare nullus ſit ſenſus, qui non habeat aliquem appetitum, nu. 10. p. 669. An Deus habeat appetitum, n. 11. p. 670. An natura rationalis appetat, ſemper eſſe, d. 11. q. 3. n. 8. p. 441. Appetit etiam felicitatem, nu. 6. p. 438. Iſte appetitus non eſt falſus, n. 7. p. 439. Quare appetitus inditus á natura non ſit appetitus boni impoſſibilis, num. 10. pag. 443. V. Anima immortalis.

AQVA.

Aqua elementaris quid ſit, t. 3. d. 6. q. 1. nu. 3. p. 199. Vtrum aqua ſit magis humida, quam aer. q. 2. n. 1. p. 209. Aqua licet ſit minús humida,

quam aer magis humectat, & cur, ibid. pag. 210. An aqua poſſit eleuari ad producendum ignem? t. 4. d. 7. q. 5. n. 25. p. 305. An aqua calida influat immediatè in calorem? q. 4. n. 19. p. 288. An aqua baptiſmatis influat phyſicè in gratiam ſanctificantem, q. vlt. n. 33. p. 308.

ARITHMETICA.

Incrementum Arithmeticum; & geometricum quid ſit? t. 2. d. 3. q. 1. n. 23. p. 110. An offenſa creſcat arithmeticè, quantum creſcit dignitas perſonæ offenſæ, n. 22. p. 109.

ARS ARTIFEX.

Ars quid ſit? t. 2. d. 5. q. 1. n. 12. p. 186. Oſtenditur in quo conueniat ars cum natura, num. 13. p. 187. & in quo differat, nu. 14. p. 188. Quare qui peccat contra artem inferiorem cum ſcientia, ſit melior, quam qui peccat per ignorantiam, num. 15. p. 190. Ars non poteſt virtute propria facere effectus naturales, nu. 23. & 24. p. 191. Poteſt tamen admouendo actiua paſſiuis, n. 24. & 25. p. 192. In quo conſiſtat excellentia artis medendi, n. 26. p. 193. An ars ſit perfectior, vel imperfectior quam natura, n. 28. & 29. p. 194. Quid ſit ars chimica, num. 33. p. 195. Quid ſit ars magica, n. 34. & 35. p. 196.

Ars furandi, & mentiendi quid ſint? t. 1. d. 2. q. 5. n. 17. p. 255. An ſit virtus intellectus ibid. Ars ſophiſtica an ſit vtilis reipub, nu. 19. & 20. p. 256 An iſta ars intendat decipere homines, núm. 22. p. 257. An dicat verum veritate conformitatis cum præceptis n. 10. p. 251. ars Topica quid ſit, num. 4. p. 247. an dicat ſemper verum, n. 9. p. 250. quænam ſit differentia inter artes actiuas, ſiue liberales, & & mechanicas, ſiue factiuas, d. 1. q. 5. n. 21. p. 189. An logica ſit ars liberalis, ibid, V. Logica, Finis. Intrinſecus artis, quid ſit, q. 3, n. 7. p. 173. An quę-

libet ars immutet intrinſecé materiam, circá quam operatur, q. 5. n. 8. p. 183.

ASTROLOGIA.

An poſſit Aſtrologia prædicere effectus futuros, qui pendet á libera hominum voluntate? t. 2. d. vlt. quæſt. vlt. nu. 10. p. 801.

ATOMI.

Atomi quid ſint? t. 2. d. 2. q. 2. n. p. 20. explicatur ſententia atomiſtarum, n. 3. & 4. p. 121. An fuerit antiqua hæc ſententia, nu. 5 p. 22. Hæc ſententia, quæ ait hominem componi ex atomis repugnat veritatibus reuelatis, nu. 10. p. 26. Quomodo ex Sacramento Euchariſtiæ conſtet hánc ſententiam eſſe falſam, n. 11. p. 270. Quomodo conſtet eiuſdem ſententiæ falſitas ex anima rationalis, n. 17. p. 30. Exemplo hominis demonſtratur non poſſe conſtare ex atomis cætera animalia, n. 10. p. 33. An repugnet lumini naturæ ſententia de atomis, nu. 24. & 25. p. 36. multó magis repugnat lumini naturæ omnia componi ex atomis non factis á Deo, n. 36. & 37. p. 41. ſententia de atomis diſponit ad Atheiſmum. n. 5. p. 22.

ATTRIBVTA.

Attributa Dei non diſtinguuntur ab ipſo Deo? t. 1. d. 3. q. 2. n. 26. p. 298. & t. 4. d. vlt. q. 2. nu. 4. p. 714. An demonſtrentur ex diuina aſeitate. ibid.

AVDITVS. AVDITIO. AVDIBILE.

Senſus auditus quid ſit. t. 3. d. 19. q. 2. num. 7. pag. 766. Quodnam ſit eius organum. num. 2. p. 768. an omnia animalia habeant auditum. nu 1. p. 764. Eius ſenſibile proprium eſt ſonus. num. 3. p. 769. V. ſonus. Immutatur per ſpeciem intentionalem. d. 14. q. 2. n. 11. p. 513.

AVGVMENTATIO. POTENTIA AVGVMENTATIVA.

Augumentatio quid ſit. t.3. d.vlt. q.1 n.4. p.788. Quomodo differat à nutritione, & generatione. ibidem.

AVRVM.

Vtrum aurum poſſit produci per artem chimicam. t. 2. d. 5. q. 1. n. 33. p. 195.

B

Beatitudo V. Felicitas.

BONVM MALVM.

Bonum, & malum quare ſint in rebus? tom. 4. d. 9. q. 2. n. 3 p. 402 Quotuplex ſit bonum. t. 2 d. 11. q. 1. n. 1. p. 433. Bonum honeſtum vnde deſumatur? t. 3. d. 18 q. vlt. n. 10. & 11. pag. 736. ſummum bonum eſt ſummè communicatiuum ſui. t.4 d.14 q.2.n.2.p.609. In hoc fundatur Myſterium Trinitatis. t. 2. d. 18. q. prim. n prim. pag. 726. An malum conſiſtat in poſitiuo, vel negatiuo. t. 4. d. 9. q. 3. n. 7. p 414. An ſit poſſibile malum ſummum. q.4.n.4.& 5.p.423. Quare æterna miſeria non ſit ſummum malum?n.10.p.428 Quare peccatum non ſit malum ſummũ?n.7.p.427.& n.9.p.428. Quænam ſit cauſa mali? t. 3. d. 18. q. 4. n. 8. p.730. Malum morale quid ſit. q. vlt. n.22. p. 740. An bonum ſit identificatum cum ente? t. 4. d. 9. q. 1. n.4. p. 399. Quælibet res eo plus habet bonitatis, quo plus habet entitatis. n. 5. p. 401. Bonum eſt,quod omnia appetunt. t. 2. d. 11. q. 1. n. 1. p. 433.

C

CADAVER.

Qvid ſit forma cadaueris? tom.3. d. 1 quæſt.1. n.20 p.10. an producatur de nouo. ibidem. quænam ſit cauſa productiua hujus formæ? diſp. 9. q. 2. n. 17. p. 326. an ſit eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei

ciei in quolibet cadauere. ibidem. remanent in cadauere aliqua accidentia, quæ erant in corpore viuo. d. 1. q. vlt. n. 10. p. 31. caro, quæ eſt in cadauere, eſt æquiuocé caro. d. 9. quæſt. 2. nu. 18. p. 327. quare actio productiua cadaueris, dicatur corruptio potiùs, quàm generatio. d. 1. q. 1. n. 21. p. 11. An in cadauere Chriſti fuerit forma ſubſtantialis? d. 9. q. 2. n. 19. p. 327. vnita hypoſtaticé Verbo, ibid. V. Chriſtus.

CAVSA CAVSALITAS.

Cauſa quid ſit. t. 2. d. 7. q. 1. n. 9. p. 280. An ſit? n. 15. p. 283. quotuplex ſit? nu. 11. p. 281. datur conceptus cauſæ communis omnibus cauſis. n. 6. & 7. pag. 279. analogicé non vniuocé, num. 21. p. 296. omnis quæſtio reſoluitur per cauſam materialem, vel formalem, vel efficientem, vel finalem, n. 14. p. 282. huiuſmodi cauſæ ſunt formaliter diuerſæ n. 16. p. 284. non ſemper realiter diſtinctæ ibid. cauſa diuiditur in quatuor cauſas adæquaté non immediaté, n. 17. habet commune cum effectu aliquod prædicatum non tranſcendens. qu. 2 n. 18. p. 294. influit in effectum & quare, q. 1. n. 23. p. 286. & q. 2. n. 17. p. 293.

Quid ſit cauſa in actu primó. q. 2. n. 1. p. 297. actus primus alius eſt proximus, alius remotus. ibid. cauſa in actu primò neque includit, neque excludit actum ſecundúm, q. 3. n. 23. & 24. p. 312. eſt prior natura effectu. n. 26. p. 314. cauſa in actu primò eſt inſeparabilis ab actu ſecundó. qu. 2. num. 1. p. 287. quid ſit cauſalitas, ibid. repugnat mutua cauſalitas. V. prioritas.

CAVSA INTRINSECA ET EXTRINSECA.

Quid ſit cauſa intrinſeca? t. 2. d. 7. q. 1 n. 16. p. 284. quotuplex ſit, d. 9. q. 1. n. 9. p. 385. diſcrimen inter cauſam intrinſecam, & extrinſecam n. 1. p. 382. non diſtin-

diſtinguitur adæquatè à ſuo effectu, n. 21. p. 390. eſt cauſa eſſentialiter inadæquata, n. 19. p. 389. cur repugnat in genere cauſæ intrinſecę cauſa adęquata, n. 23. p. 391. non veró in genere cauſæ extrinſecę, n. 24. p. 292. non omne id, quod conſtituit eſt cauſa intrinſeca, n. 1. p. 382. cauſa intrinſeca conſtituit phyſicé effectum, ibid. conceptus cauſæ intrinſecæ repugnat ſubſtantiæ adæquatè immateriali, ibid.

Cauſa extrinſeca, quid ſit, t. 2. d. 7. qu. 1. nu. 3. p. 277 diſtinguitur adæquaté ab effectu, q. 2. n. 17. p. 293. antecedit effectum natura non tempore, q. 3. n. 33. p. 316.

CAVSA MATERIALIS ET FORMALIS.

Cauſa materialis extrinſeca, quid ſit, t. 2. d. 7. q. 1. n. 12. p. 281. & d. 8. q. 2. nu. 14. pag. 365. & q. vlt. n. 9. p. 375. influit in omnem ſubſtantiam adæquaté vel inadæquaté materialem, n. 15. p. 380. operatur ex indigentia, q. 2. n. 12. p. 363. includit eſſentialiter imperfectionem, n. 5. p. 559. ad virtutem cauſæ materialis requiritur ratio ſubiecti, n. 4. p. 358. ea tamen non ſufficit, n. 6. p. 359. eſt ſubiectum ſuſtentationis, n. 7. p. 360. ad cauſam materialem eſt neceſſaria virtus ſuſtentandi, n. 9. p. 361. quid ſit hæc virtus, n. 11. p. 362.

Virtus cauſæ materialis eſt exigentia vnionis cum forma, n. 14 p. 365. eius cauſalitas non eſt vnio, d. 4. qu. 2. nu. 23. p. 155. & d. 8. q. vlt. n. 9. p. 374. exigit vnionem, n. 10. p. 375. immutat materiam radicaliter non formaliter, n. 11. p. 376. eſt formalis dependentia formæ á materia, nu. 6. p. 374. eſt diſtincta á forma & materiá, num. 8. non poteſt, neq; diuinitus eſſe ſine vnione formæ cum materia num. 9. pag. 375.

Cauſa materialis formæ ſubſtantialis materialis

eſt materia,t.2.d.8.q.1.n.8.& 9.p.349.nō verò immaterialis, nu. 13. p. 350. natura eſt cauſa materialis ſubſiſtentiæ, n. 25. p. 356. ſubſtantia eſt cauſa materialis ſuorum accidentium, n. 16. p. 357. & q.vlt. n. 1. pag. 380. cauſa materialis conuenit enti materiali & immateriali creato, q. 1. n 25. p. 356. non poteſt conuenire enti increato, n. 20. p. 352.

Cauſa formalis, quid ſit, t. 2. d. 9. q. 1. n. 1. & 2. p. 382. minùs latè patet quam cauſa intrinſeca n. 9. & 10. p. 385. ſola forma eſt propriè cauſa formalis n. 12. p. 386. eius effectus eſt totum compoſitum, n. 15. & 16. p. 388. repugnat effectus formalis ſine cauſa formali, n. 18. & cauſa formalis ſine effectu formali, num. 19. pag. 389. quomodo influat in effectum, nu. 21. p. 390. eius cauſalitas eſt ſola vnio q. 2. n. 4. p. 393. non præſcindit ab imperfectione nu. 6. & 7. p. 394. Deus non poteſt eſſe cauſa formalis, ibid. quare vnio humanitatis cum Verbo & Chriſti cum accidentibus Euchariſticis non ſit cauſalitas cauſę formalis, n. 9. p. 396.

CAVSA EFFICIENS.

Cauſa efficiens àn ſit, & quid ſit. t. 2. d. 10. q. 1. n. 12. p. 401. quotuplex ſit, n. 2. & 3. p. 398. non requiritur perfectionem effectus eſſe identice perfectionem cauſæ, n. 11. & 12. pag. 401. requiritur continentia formalis vel eminentialis, n. 16. & 17. p. 403. quid ſit hæc continentia, nu. 14. & 15. p. 402. continentia, qua cauſa continet totam perfectionem effectus ſufficit ad virtutem cauſæ efficientis, n. 19. p. 404. reperitur in ſolo Deo, n. 20. p. 405. alia continentia minor iſta nō ſufficit, n. 22. & 23. p. 406.

Cauſa efficiens agit ex abundantia, n. 17. p. 403. præſcindit ab omni imperfectione, qu. 3. num. 12. pag. 418. eius cauſalitas eſt actio, num. 9. pag. 417. V. actio Cauſa moralis & meritoria, quid ſit, d. 7.

q. vlt.

q. vlt. n. 9. p. 356. reducitur ad cauſam efficientem, q. 1. n. 14. p. 283.

CAVSA PRINCIPALIS ET INSTRVMENTALIS.

Quid ſit cauſa inſtrumentalis & principalis? t. 3. d. 3. q. 2. n. 19. p. 72. inſtrumentalis non continet perfectionem effectus: n. 15. p. 71. cauſa principalis agit, quando non eſt, n. 12. p. 71. cauſa ſecunda eſt cauſa efficiens principalis tám ſubſtantiæ, quam accidentis. d. 3. q. 1. n. 7. p. 61.

CAVSA FINALIS.

Quid ſit? t. 2. d. 11. q. 1. n. 1. p. 433. quotuplex, ſit ib. agit vt ſit non quia eſt n. 17. p. 439. eſt vera & realis cauſa, n. 11. p. 437. agit per exiſtentiam intentionalem, n. 17. eius diſcrimen á cæteris cauſis, ib. eius effectus eſt electio & executio mediorum n. 14. p. 438. eſt etiam intentio finis, n. 15. mouetur ad quærendum bonum per deſiderium & gaudium, n. 16. p. 439. eius virtus eſt ſola bonitas vera vel apparens, q. 2. n. 13. & 14. p. 447. cognitio eſt ſolum conditio eſſentialiter requiſita vt cauſa finalis agat n. 26. p. 449. eius cauſalitas eſt actio, per quam intenditur finis & eliguntur media, n. 17. & 18 p. 450. nulla cauſa poteſt agere niſi agat cauſa finalis. q. 3. n. 6. & 7. p. 456. demonſtratur ex cauſa finali opus naturæ eſſe opus intellectus, num. 8. pag. 488. V. finis

CAVSA IDEALIS ET EXEMPLARIS. V. Idea.

CAVSA OBIECTIVA.

Quid ſit, t. 3. d. 14. q. 1. n. 1. & 2. p. 538. an ſit, n. 9. & quotuplex ſit, nu. 11. p. 545. eſt in genere cauſæ phyſicæ, n. 10. mouet facultaté intentionalem, n. 14. & 15. p. 546. comparatur cum forma, quæ mouet materiam, n. 26. p. 548. eſt in omni actu facultatis in-

intentionalis, n. 17. p. 549 non eſt idem mouere ac terminare facultatem intentionalé, n. 18. obiectum impoſſibile non poteſt eſſe cauſa obiectiua, ib. diuerſitas inter cauſam obiectiuam & finalem, n. 19. p. 550. & q. 4. n. 4. p. 587. agit, etiam ſi non ſit in ſe, dummodo ſit in ſua virtute. q. 1. n. 22. p. 552.

Cauſa obiectiua includit virtuté agendi in genere cauſæ efficientis non abſtractiſsimé accepçę, q. 2. n 16 p. 559. ſed obiectiuæ, n. 18. & 19. p. 561. includit formaliſſimé cauſam intrinſecam, num. 20. & 21. p. 562. forma per quam eſt intrinſeca facultati intentionali eſt ſpecies impreſſa, n. 22. p. 563. non præſcindit ab omni imperfectione, num. 26. & 27. p. 565. Deus non poteſt agere immediaté in genere cauſæ obiectiuæ, n. 28. p. 566. quomodo reducatur cauſa obiectiua ad quatuor cauſas, num. 29. p. 567. debet eſſe præſens præſentia intentionali, q. 3. n. 7. & 8. p. 575. præſentia phyſica non ſufficit, n. 14. & 15. p. 581. diſcrimen inter applicationem cauſæ obiectiuæ & cauſæ efficientis, num. 16. p. 582. quid ſit præſentia intentionalis cauſæ obiectiuæ, n. 17. p. 583. an ſit forma vitalis. ibid.

Cauſa obiectiua & obiectum immediaté attactu ſunt termini conuertibiles, q. 4. n. 12. 13. & ſeq p. 590. diſcrimen inter obiectum immediaté cognitum, & mediaté cognitum, n. 13. p. 596. quid ſit cognoſci in alio, n. 20. p. 595. non eſt idem immediaté cognoſci & immediaté agere in genere cauſę obiectiuæ, n 21. obiectum impoſſibile non poteſt mouere obiectiué poteſt autem finaliter, & cur, num. 1. p. 584. Deus influit in genere cauſæ finalis non veró obiectiuę in actum charitatis viatorum, num. 2. p. 585. quare Deus cognoſcat immediaté ſeipſum & cæteras res mediaté, n. 23. & 24. p. 597.

Poteſt obiectum cognoſci perfectiſſimé etiamſi

non

non influat obiectiué in cognitionem ſui, qu. vlt. n. 2. p. 599. aliqua cognitio mediata eſt incompoſſibilis cum immediata, n. 10. & 11. p. 604. eſt incompoſſibilis cognitio immediata cum mediata, quæ non eſt infinita cognitio, num. 12. & 13. p. 605. poteſt cognoſci obiectum creatum cognitione mediata non ſolum intuitiué, ſed etiam comprehenſiuè, nu. 14. & 15. p. 606. an cognitio mediata in obiecto creato ſit perinde perfecta ſicuti immediata, n 17. & 18. p. 609. an ſit ſimpliciter abſtractiua vel intuitiua, nu. 19. 20. & ſeq. p. 610.

CEREBRVM.

Forma cerebri non eſt forma partialis? t. 2. q. 2. n. 14. p. 323. quomodo à corde differat. n. 23. p. 331. eſt frigidum & humidum. d. 19. qu. vlt. nu. p. 778. in homine eſt maius, n. 8. p. 751. quam in cæteris animalibus, ibid. virtus ſenſitiua reſidet in cerebro, q. 1. num. 11. p. 753. in eodem formantur phantaſmata, ibid. ex læſione cerebri quare oriatur læſio in intellectu, d. 10. q. 2. n. 21. p. 379.

CHRISTVS.

Fuit replicatus circumſcriptiué, quandò apparuit Paulo? t. 2. d. 13. q. 1. num. 15. p. 506. an in triduo mortis habuerit formam cadaueris? t. 3. d. 9. q. 2. n. 19. p. 327. quomodo ſit in Sacramento Euchariſtiæ, d. 2. q. 1. n. 14. p. 40. V. Euchariſtia.

CIRCVLVS.

Inter omnes figuras perfectiſſima eſt figura Circularis? t. 2. d. 19. q. 4. nu. 4. p. 748. eam totus mundus habet, ibidem, n. 5. 6. & ſeq. eius centrum eſt terra & circumferentia corpora cæleſtia, n. 8. pag. 751.

COELVM.

Non eſt elementum neque conſtat ex elementis? t. 2. d. 19. q. 1. n. 1. 2. & 3. p. 759. eſt quinta ſubſtantiæ,

ria, n. 3. & 4. conſtat ex materia diuerſæ ſpeciei á ſublunari, n. 12. p. 762. eſt naturaliter incorruptibile, n. 8. 9. & 10. non eſt animatum, q. vlt. nu. 9. p. 774. nec mouetur ab intrinſeco, nu. 5. pag. 771. mouetur ab intelligentia, n. 6. V. Angeli.

Tres tantum ſunt Cælij, d. 19. qu. 2. n. 6. p. 766. firmamentum eſt ſolidum, n. 7. non habet grauitatem & leuitatem, q. 1. n. 4. p. 759. neque habent calorem, ibid. habent tamen lucem. d. vlt. q. 1. n. 6. p. 782. per lucem & motum localem ſunt cauſa caloris n. 11. p. 785: agunt in mundum ſublunarem q. vlt. nu. 7. & 8. non agunt directè & immediatè in animam rationalem n. 18. concurrunt ad productionem corporum inferiorum: nu. 7. non impediunt humanam libertatem: n. 12.

COGNITIO.

Eſt vita t. 3. d. 8. q. 1. n. 11. p. 261. V. vita: ſpecificatur ab obiecto motiuo t. 3. d. 14. q. 1. n. 2. p. 540. dependet ab obiecto in genere cauſæ obiectiuæ: d. 14. q. 1. n. 12. p. 545. V. Cauſa obiectiua.

Cognitio intellectiua per quid differat á ſenſitiua t. 3. d. 10. q. 2. n. 11. & 12. p. 372. reflectit ſupra ſe ipſam d. 15. q. 1. n. 12. p. 626. nulla cognitio ſenſitiua reflectit ſupra ſe ipſam. n. 13. p. 627. non poteſt habere pro obiecto adæquato ſe ipſam. t. 1. d. 11. q. vlt. n. 7. & 8. p. 738. eſt partus & conceptus mentis d. 16. q. 2. n. 7. p. 654. an ſit verus filius mentis ibid, eſt verbum mentis, q. 1. n. 10. p. 647. non producitur per actionem diſtinctam q. 3. n. 6. & 7. p. 659. eſt cauſa amoris d. 17. q. 2. n. 5. & 6. p. 672.

COGNITIO SPECVLATIVA ET PRACTICA.

Quid ſit? t. 1. d. 2. q. 1. n. 20. p. 207. practica an ſit præceptiua. n. 25, p. 269. poteſt dirigere facultatem determinatam. n. 30. p. 312. non eſt de obiecto im-

poſſibili. num.10. p. 202. cognitio ſpeculatiuá eſt perfectior practicá. num.2. p. 197. eſt immediate, & mediate practica n. 3.

COLOR.

Quid ſit & an ſit obiectum viſus.t.3.d.19.q.2.n.3. non conſiſtit in reflexione lucis.nu.8. variæ differentiæ colorum.n.9. colores tranſeuntes,ſiue apparentes conſiſtunt in varia lucis reflexione.n.11.

Cometæ an ſint in Firmamento. t. 2. d.19. qu.1. n.14. p.764. quænam ſit cauſa cometarum ibidem.

CONCLVSIO.

Reflectit ſupra præmiſſas tom.1.diſp.vlt. quæſt. 1. num.5. pag.805. eſt earum effectus.num.3.ſequitur neceſſarió.n.7. pag.807.

CONCRETVM ACCIDENTALE.

Duo ſignificat, & pro vno tantum ſupponit t.2. d.4. q.1. n.22. p.367. vt multiplicetur, quid debeat multiplicari.ibid.

CONCVRSVS DEI V. DEVS.

CONDENSATIO ET RAREFACTIO.

Quid ſit t.3. d.6. q.3. n.2. & 3. pag.220. an ſit n.1. quænam ſit eiuſdem cauſa n.4. p.221.

CONDITIO.

Non omnis conditio conſtituit actum primum proximum t.2. d.7. q.2. n.11. & 12. p.291. non influit in effectum n.13. & 14. p.292.

CONTRARIA ET CONTRARIETAS.

Datur inter principia corporis naturalis t. 2. d.1. q.1. n.11. p.9 quid ſit oppoſitio contraria, vel contradictoria.t.1. d.10. q.1. n.6. & 7. p.678. termini contrarij inferunt contradictorios & contradictorij non inferunt contrarios.t.4. d 6. q 3.n.21.p.231. quid ſint termini contradictorij & contrarij. ibid. Subſtantia non habet contrarium. t. 1. d 9. q.3. n.7. p.640.

CON-

CONTINVVM.

Quid & quotuplex ſit t.2. d.17. q.1. n.1.& 2. non poteſt conſtare ex punctis Zenonis q.1. nu.6. 7. & ſeq. neque ex infinitis partibus proportionalibus actu diſtinctis q. 3. n.6.& 7 p.668. neque ex partibus diuiſibilibus in partes potentiales non actuales q.4. n.9. & 10. p.675.

Continuum permanens conſtat ex partibus formaliter indiuiſibilibus & æquiualenter diuiſibilibus q.5. nu. 5. & 6. p.693. explicantur huiuſmodi puncta n.2. & 3. p.683. an ſpatium ſit ſemper diuiſibile & quomodo n.13.p.697. Continuum ſucceſſiuum conſtat etiam ex punctis indiuiſibilibus formaliter & diuiſibilibus æquiualenter q.6 n.9.p.707. Quid Ariſtoteles in hac re ſenſerit. q. vlt. n.6.& 7. p.731. Vide indiuiſibile.

CORPVSCVLA V. ATOMI.

CORRVPTIO.

An generatio vnius ſit corruptio alterius t.3.d.1. q.1. n.19. cur quædam ſimpliciter dicantur corruptiones n.21. an natura appetat corruptionem & quomodo: n.23.

CREATVRA CREATIO.

Repugnat creatura perfectiſſima: t.2.d.16. q. vlt. n.7.& 8.p.634. etiā in genere entis creati n.9.& 10. p.635. creatura dependet eſſentialiter á Deo in exiſtendo t.3. d.3. q.vlt. n.13. 14. & ſeq. p.123. & in operando: t.4. d.12. q.1. n.10. p.498. eſt relatiua ad Deum d.9. q.vlt. n.7. p.431. non poteſt eleuari ad creandum, t.3. d.3. q.4. nu.15. 16. & ſeq. p.109. neque ad producendum quodlibet. tom.4. d.7. q.vlt. n.17. p.299. V. Potentia obedientialis.

Creatio non diſtinguitur á termino tom.2.d.10. q.2. n.9.& 10. p.411.

D

DENOMINATIO.

Quid & quotuplex ſit t.4. d.2. q.1. n.3 p.48. Denominatio extrinſeca oritur á forma extrinſeca, n.5.p.49.non arguit rem exiſtentem n.3.p.47. ſicuti denominatio intrinſeca ibid. & d.5. q.3. n.3.p.163. inter denominationem intrinſecam, & extrinſecam nullum datur medium n.5. p.165. idem eſt denominari intrinſecé, & eſſe phyſicé,num.4. p.163. denominari extrinſecé eſt exiſtere tantúm logicé, ibid. quare id, quod non eſt, nec poteſt eſſe, poſſit habere denominationem extrinſecam, non veró intrinſecam, d.2. q.3. n.7. p.51. non poteſt dari denominatio ſine forma denominante, d.5. q.3. nu.5. p.165.nec poteſt dari noua denominatio ſine noua forma d.3. q.3. n.8. & 9. p.97. denominatio intrinſeca alia éſt per identitatem, alia per vnionem, d.5. q.3. n.5. forma, quæ denominat Logicé, debet eſſe Phyſicé n.6. p.166.

Denominatio de præſenti, & de futuro quid ſit t.1.d.12.q.1. n.15.p.749.quare non poſſit eſſe denominatio Phyſica niſi ſint omnia eius conſtitutiua, & poſſit denominatio Logica ibid. & q.2. num.22. p.779. an poſſit eſſe nunc aliqua denominatio Logica non exiſtente nunc forma denominante t.4. d.5. q.3. nu.15. & 16. p.175. denominatio veri eſt denominatio Logica ibid.

DEPENDENTIA.

DEpendere quid ſit t.2. d.7. q.1. n.9. p.280.non eſt idem,ac eſſe productum, n.3. p.277. eſt indiſtinctum á creatura,eique eſſentiale t.4.d.9.q.vlt. n.8. p.432. non excludit actionem diſtinctam, t.2, d.10. q.2. n.11. p.412. nullam dicit perfectionem, t.4. d.2. q.vlt. n.9. p.75.

DEFECTVS.

Quid ſit defectus negatiuus, & priuatiuus t.2. d.18.

d.18. q.2.n.6. p.735. & t.4.d.9.q.3. n.9.p.416. negatiuus eſt eſſentialis enti creato. n.8. p.415. Non eſt eſſentialis enti in genere.ibid. eſt diſtinctus formaliter, non veró realiter á perfectione creata, t.1.d.3.q.3. nu.32.p.322. Quomodo non ametur dum amatur perfectio. q.4.n.27.p 337. Purus defectus eſt chimæra t.4.d 9.q.4.n.5.p.423.V.malum.

DEFINITIO.

Definitio adæquata, & inadæquata quid ſit t.1. d.3. q.2. n.15. p.291. An definitiones diuerſæ arguant diuerſas eſſentias,ibid. Quomodo diſtinguatur à definito, eoque ſit clarior d.3. q. vlt. num.32. p.356. Non poteſt procedi in infinitum in definitionibus d.6. q.3. n.12. p.497.

DEMONSTRATIO.

Quid & quotuplex ſit t.1. d.vlt. q.3. n.4. & ſeq. p.823. eius conditiones n.8. p.825. reſoluitur in veritates per ſe notas, ibid. n.15. p.828.

DEVS.

Eſt infinitus in eſſentia, & perfectione,t.2.d.16. q.2. n.2. p.594. Non eſt per ſe notum Deum eſſe t.4. d.11.q.1.n.10. p.470. eſt tamen demonſtrabile,nu.11. p.471. Demonſtratur ex capite perfectionis q.2. n.4. p.475 ex capite entis neceſſarij q.3. n.2. p.482. ex capite primæ cauſæ q.4. n.4.p.486. ex capite primi intellectus, & vltimi finis, q. vlt. num.3. p.490. eſt eſſentialiter vnicus, & ſimplex d.vlt. q.2. n.5.p.715. Demonſtrantur ſapientia,prouidentia,& alia Dei attributa d.vlt. q.vlt. n.2. & 3.p.721.

Deus conſeruat omnes Creaturas t.3. d.3. q.vlt. nu.13. p.123. concurrit immediatè ad omnes, & ſingulas actiones cauſarum ſecundarum t.4. d.12. q.1.n.11. p.498. cum cauſis liberis,q.2.nu.8. p.509. quomodo concurrat ad peccatum n.13. p.513.non concurrit per phyſicam prædeterminationem q.3.

n.12.p.518. prædefinit actus liberos bonos, & quomodo. q.4. nu.7. p.530. non prædefinit, nec poteſt prædefinire prædefinitione antecedente ſcientiam mediam q.5. n.16. p.546. vide prædefinitio.

Deus cognoſcit per ſcientiam neceſſariam, & ſcientiam contingentem, t.2. d.16. q.6. n.7. p.627. quotuplex ſit ſcientia contingens diuina. ibid. An inferatur ex diuina ſcientiá infinitum Cathegorematecum ibid. Deus quomodo operetur propter finem t.2. d.11. q.3. n.13. p.471. habet pro fine vltimo excellentiæ ſeipſum d.18. q.3. n.4. p.741. non vtilitatis ibid. Eius gloria eſt noſtra fœlicitas ibid. Eſt prima ratio rerum omnium. t.4. d.5. q.1. nu.10. p.147. eſt actualis poſſibilitas omnium poſſibilium d.4. q.vlt. nu.10. p.133. & actualis impoſſibilitas omnium impoſſibilium ibid. Cur poſſit producere rem poſſibilem, non veró impoſſibilem, num.21. p.140. verificat omnes propoſitiones neceſſarias d.5. q.1. n.10. p.146. non eſt in prædicamento, neque ſub aliquo genere t.1. d.9. q.vlt. n.6. p.680. eſt ens omninó abſolutum t.4. d.10. q.vlt. n.2. p.429. non eſt relatiuus ad creaturas niſi relatione rationis, n.4. p.431. non habet pro motiuo ſuæ cognitionis niſi ſuam eſſentiam t.3. d.14. qu.4. n.22. p.597. in iſta cognoſcit omnia poſſibilia ibid. & etiam impoſſibilia t.4. d.8. q.3. n.27. p.344. non fingit dum cognoſcit impoſſibile, nu.29. p.345. an cognoſcat impoſſibile intuitiuè, vel abſtractiué n.36. p.351. eſſet imperfectus ſi non cognoſceret impoſſibile, n.18. p.338. nec cognoſcit, nec poteſt cognoſcere naturam in vniuerſali. t.1. d.5. q.3. n.8. p.480.

Deus habet perfectiſsimum gradum vitæ t.3. d.8. q.1. n.15. p.262. & q.3. n.10. p.290. eius vitam, imitantur cætera viuentia ibid. habet vitam in actu ſecundo indiſtinctam à viuente q.4. n.9. p.300.

quo-

quomodo eius vita conſiſtat in reali emanatione, q.vlt. n.5. p.305. an omnia Dei prædicata ſint formaliter vita q.11. n.13. p.292. Deus non ſolum viuit, ſed etiam eſt liber t.4. d.14. q.1. nu.4. p.597. eſt liber libertate actus primi, licét non viuat in actu primo n.9. p.601. omnes actus liberi Dei fuerunt ab æterno q.2. nu.14 p.617. nihil vult, vel cognoſcit in tempore, quod ab æterno non cognouerit ibidem. Complementum actus liberi diuini non eſt aliquid extrinſecum Deo exiſtens in tempore q.3. n.8 & ſequentibus p 629. neque eſt aliquid extrinſecum Deo exiſtens ab æterno q 4. n.2. & ſeq. p.645. redarguitur in conſequentiæ opinio, quæ docet, complementum actus liberi Dei eſſe aliquod ens negatiuum, ſiue abuſiuum æternum, & docet negationes eſſe indiſtinctas ab ente poſitiuo n.5.p.649. complementum actus liberi Dei eſt intrinſecum Deo q.5.n.1. p.651. non phyſicé nu.8. p.655. ſed identicé,n.10. p.657. diſtinguitur virtualiter á Deo n.14. p.663. non eſt formaliter neque perfectio, neque imperfectio. n,23. p.665. potuit non eſſe denominatiué, non entitatiué, & cur? q.vlt.n.24. p.685. quomodo Deus ſit immutabilis, & tamen ſit liber.n.22. p.683.

Deus non eſt magis perfectus cum mundo, quám ſine mundo. tom. 4. diſp. 12. qu. 1. num. 7. pag. 497. & tom. 2. d. 10. q. 1. nu. 19. & 20. p. 404. diſtingui á Deo non eſt perfectio, ſed imperfectio. t. 1.d. 7.q. 5. n.6. p.558. Non ſolum operatur, ſed facit vt creaturæ operentur. t. 3. d. 3. q. 1. n. 8. & 9. p.61. Agit tam intra ſe, quam extra ſe, ex abundantia, & cur? t. 2. d. 18. q. 1. n.13. p.730. Nihil potuit producere ab æterno extrá ſe n. 9. & 10. Non propterea eſt imperfectus nu. 13. p. 490. Eſt immenſus per vbicationem indiſtinctam á ſe. d.12.

q. 2 n.17. p. 528. An fuerit, & modo ſit in ſpatijs imaginarijs.d.14. q. 3. n.5.& 6. p. 528. Eſt æternus per durationem à ſe indiſtinctam. d. 15. q. 2. n. 12. p. 570 & indiuiſibilem.q.3. n 19 p.585.

DIAPHANVM, ET OPACVM.

Quid ſit t. 2. d.vlt. q.2. n.2. p. 765. Quænam ſint corpora diaphana n.3. An illuminentur ſecundùm omnem partem. ibid. differentia inter corpora diaphana, & opaca in ordine ad illuminationem n. 7. vide Lumen.

DIFFERENTIA.

Quid, & quotuplex ſit. t. 1. d. 6. q. 3. n. 2. & 3. p. 501. quare prædicetur in quale quid. n. 4. quid ſit differentia conſtitutiua, & diuiſiua. n.7. differre ſpecie non eſt differre in prædicato nobiliſſimo. d. 7. q. 1. n. 4. p. 528. neque iudicio prudentum. q. 2. n. 3. p. 530. hæc enim ſententia eſt nugatoria n. 4. neque entitatiué q. 3. n. 6. & 7. p. 535. omnia, quæ ſunt diſtincta, differunt entitatiuè nu. 8. 9. & ſeq. differentia ſpecifica eſt differentia formalis, & quare. q. 4. n. 2. & 3. p. 541. conſiſtit in diſſimilitudine entitatiua præſcindendo ab omni ordine ad circumſtantias diuerſas. n. 14. & 15.

Differentia numerica eſt differentia materialis, & quare. n. 8. ea differunt numero, quæ habent diſſimilitudinem entitatiuam tantùm in ordine ad primò exiſtendum modo ſibi ſummè connaturali in circumſtantijs diuerſis. n. 9. & 10. differunt ſicuti circulus ligneus, & aureus n. 11. & 2. differentia numerica eſt minima differentia. n. 12. iuuat ad æternandam ſpeciem. n. 13. ea differunt genere phyſico, quæ habent diſſimilitudinem in materia. n. 17. corpora, quæ conſtant ex materia eiuſdem ſpeciei, non differunt genere phyſico. n. 18. V. Species.

DISCVRSVS.

Quid, & quotuplex ſit, t. 1. d. vlt. q. 1. n. 1. p. 804. diſcurſus formalis eſt ſolum in intellectu humano. t. 3. d. 15. q. 1. n. 7. p. 623. non conuenit intellectui Angelico, & cur. V. Angelus. Quare diſcurſus non ſit melior ipſe, quam non ipſe, quamuis formaliter ſit cognitio, d. 8. q. 3. n. 2. p. 291.

DISPOSITIONES.

Quid ſint, t. 2. d. 3. q. 1. n. 8. p. 113. An ſint neceſſariæ ad educendam formam ex materia. ibid. Quomodo conſtituant potentiam proximam materiæ, n. 19. & 8. quare non poſſit ex defectu diſpoſitionis quodlibet fieri immediatè ex quolibet, nu. 19. non conſtituunt priuationem formæ d. 1. q. 3. n. 11. p. 50. ſunt in priori ad ipſam formam d. 7. q. 3. n. 26. p. 314. determinant materiam vt recipiat formam, d. 7. q. 2. n. 11. p. 290. eam non determinant ad formam conſeruandam. ibid.

DISTINCTIO.

Quid & quotuplex ſit? t. 1. d. 3. q. 1. n. 15. p. 276. ſeparabilitas infert diſtinctionem, n. 9. & 10. explicatur diſtinctio realis, num. 17. quare hæc diſtinctio ſit diſtinctio ſimpliciter ibi. Quid ſit diſtinctio rationis, num. 18. An ſupponat diſtinctionem realem inter duas cognitiones, ibid. An omnis præciſio ſit diſtinctio rationis, n. 23. & 24. An detur diſtinctio rationis, nu. 25. quid ſit diſtinctio rationis præciſiuæ, & non præciſiuæ, q. vlt. nu. 30. & 31. p. 355. diſtinctio realis, & rationis alia eſt adæquata, alia inadæquata, q. 1. num. 26. & 27. p. 280. diſtinctio rationis inadæquata fundatur in diſtinctione adæquata, n. 29. quare non poſſit dari diſtinctio inadæquata ſine adæquata, n. 16.

Diſtinctio formalis ex natura rei quid ſit, qu. 2. nu. 3. p. 283. repugnat inter gradus metaphyſicos n. 7. & 8. quare vocetur diſtinctio media, num. 1. quid

quid ſenſerit Scotus, n. 5. ex ipsá ſequitur diſtinctio realis, n. 10. multó magis repugnat inter formalitates diuinas, num. 26.

Diſtinctio virtualis intrinſeca quid ſit. q. 3. n. 1. p. 303. inuenitur inter eſſentiam diuinam, & perſonas. nu. 13. & 14. p. 311. eſt neceſſaria ad componendā vnitatem cū Trinitate: ibi: eſt cauſa cur ſine contradictione verificentur prędicata contradictoria de natura & Perſonis, nu. 2. & 3. Infert diſtinctionem realem in tertio, n. 15. & 16. repugnat inter formalitates creatas, n. 6. 7. & ſeq.

Diſtinctio rationis obiectiua quid ſit, & an ſit poſſibilis inter gradus metaphyſicos q. 4. n. 6. 7. & ſeq. p. 325. vide. Præciſio obiectiua. Diſtinctio rationis prę cindentis formaliter quid ſit, & an detur inter gradus metaphyſicos. q. 5. n. 11. 12 p. 346. & ſeq. Quid ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ n. 19. & 20 an diſtinctio rationis ſuſcipiat magis, & minus, n 33. An diſtinctio præciſiua ſit maior diſtinctio, quam non præciſiua. n. 31. & quare ſit maior diſtinctio n. 30.

DVLCEDO.

Quid ſit. t. 3. d. 19. q. vlt. nu. 8. p. 782. V. ſapor. facit dulce, & non facit album t. 1. d. vlt. q. 5. n. 14. p. 850. non tamen facit non album. ibid. Quare idem poſſit eſſe album ſimul, & dulce; licet albedo non poſſit eſſe dulcedo. d. 3. q. 1. n. 30. p. 282.

DVRATIO.

Quid ſit. t. 2. d. 15. q. 1. n. 16. p. 564. eſt diſtincta à re durante in creatis q. 2. n. 7. & 8. p. 567. & ab actione conſeruatiua. n. 11. non poteſt reproduci. d. 13. q. 2. n. 11. p. 521. eſt eſſentialiter affixa tempori imaginario d. 15. q. 2. n. 12. p. 570. eique coexiſtit. n. 14. nulla res poteſt eſſe ſine aliqua duratione q. vlt. n. 4. p. 586. nulla duratio creata potuit eſſe ab ęterno.

no d. 18. q. 1. nu. 8. & 9. p. 728. Affertur diſparitas inter durationem creatam æternam à parte ante, & æternam a parte poſt n. 14. duratio indiuiſibilis, & permanens creata eſt impoſſibilis d. 15. q. 3. n 7. & 8. p. 576. quare creatura eſſentialiter indefectibilis inferatur ex duratione indiuiſibili permanente n. 1. ſolus Deus habet durationem indiuiſibilem, & permanentem n. 10. duratio creata eſt eſſentialiter ſucceſſiua. n. 19 componitur ex durationibus indiuiſibilibus formaliter, & diuiſibilibus æquiualénter d. 17. q. 6. n. 9. p. 707. quare non ſequatur ex huiuſmodi durationibus duratio indiuiſibilis, & permanens n. 10. quid ſit duratio indiuiſibilis formaliter, & æquiualenter diuiſibilis nu. 7. & 12. quid ſit duratio formaliter indiuiſibilis tranſitiué, & intranſitiué n. 9. An duratio creata poſſit eſſe formaliter indiuiſibilis tranſitiuè, & intranſitiué nu. 14. quælibet res creata habet aliquod inſtans, quod eſt menſura propria ſuæ durationis n. 10. nulla res creata poteſt habere durationem, æquiualentem duabus durationibus, quæ ſunt menſura propria. n. 10. & 11. & 14. quare Angelus non habet durationem permanentem, etiamſi habeat durationem coexiſtentem duabus durationibus ſucceſſiué fluentibus rei minus perfectæ n. 15. & 16. de monſtratur neceſſitatem metaphyſicam, quam habet duratio æquiualenter diuiſibilis, vt coexiſtat duobus inſtantibus ſucceſſiué fluentibus, eſſe neceſſitatem conſequentem, non antecedentem n. 17. V. continuum.

E

EFFECTVS.

INcludit eſſentialiter imperfectionẽ & cur? t. 2. d. 7. q. 1. n. 3. p. 277. non eſt conuertibilis cum re producta ibid. diſtinguitur adæquatè á ſua cauſa q. 3. n. 6. & 7. p. 300. V. Cauſa.

ELE-

ELEMENTA.

Quid ſint. tom.3. d.6.q. 1. n. 1. p.297. non remaſnent formaliter in mixtis n.12.&13.p. 204. ſed tantum virtualiter n. 14 p. 205. quaré remaneant virtualiter in mixtis n. 15. p. 206. quot ſint elementa n. 3. p.199. quomodo poſſint corrumpi ibid. moueantur ab intrinſeco motu locali d. 7. q. 1. n. 6. & 7. p. 231. quare non viuant etiamſi moueantur ab intrinſeco n. 11. p.233. quomodo mixta reſoluantur in elementa d. 6. q. 1. n. 17.p.207. quomodo generentur mixta ex miſtione elementorum n. 4. p. 201. qualitates quid ſint, & quot ſint V. qualitas.

EMBRIO.

Quomodo formetur t. 3. d. vlt. q. 2. n. 1. & 2. p. 793. an ſit animatus actu vel potentia nu. 4. & 5. quando incipiat viuere n.3. an prius animetur anima vegetatiua quam ſenſitiua n. 7. p.795. an detur ſucceſſio animarum ibid.

ENS.

Quid ſit ens ſuper tranſcendentale t. 4. d. 2. q. 1. n. 4. p. 48. an ſit intrinſecum rei denominatæ n 5. quid ſit ens tranſcendentale? n. 7. p. 50. eſt perfectio ibid. eius proprietates d.9.q.1 n. 5. p. 400. conuertitur cum vero ibid. repugnat eſſe in eſſe veri & non eſſe in eſſe rei tam tranſcendentalis quam ſupertranſcendentalis d.5 q.3. n.7. p. 167. eius differentię. t.4. d. 2. q. 2. n. 1. p. 55. non præſcindunt ab ente n. 7.p.57. diſcrimen inter differentias entis poſitiuas & negatiuas n.13 & 14.p.60. nec ens pręſcindit perfecte q.3. n.5.p.62. eſt analogum ſubſtantiæ & accidenti q.4.n.5.& 6.p.67. Deo & creaturæ q.vlt.n.5.& 6.p. 72. in quo conſiſtat ſimilitudo creaturæ cum Deo in ratione entis n.10. p. 76.

ENS RATIONIS.

Ens rationis logicum quid ſit? n. 5. p. 156. nihil ponit

ponit intrinſecum rei denominatæ. t. 4. d. 2. q. 1. n. 5. p. 49. an conuertatur cum omni denominatione extrinſeca ibidem & d 5. q. vlt. n. 10. p. 197. ens rationis Metaph. V. Impoſſibile.

ESSENTIA ET EXISTENTIA:

Quid ſint t. 2. d. 2. q. 3. nu. 3. p. 78. non diſtinguuntur realiter, n. 18. & 19. p. 83. Deus non exiſtit infinité quia habet eſſentiam indiſtinctam ab exiſtẽtia n. 38. & 39. p. 96. eſſentia rei creatæ eſt æterna, & neceſſaria ſolum logicé, non vero phyſicé n. 29. p. 90. non eſt idem per ſe exiſtere & á ſe exiſtere n. 30. p. 91. quarè creatura non exiſtat eſſentialiter, licet exiſtat per ſuam eſſentiam ? n. 38. p. 95. eſſentia actualis diſtinguitur ab exiſtentia actuali ſolũ præciſiué & formaliter n. 24. & 25. p. 86.

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.

Conſtituitur per intentionem Sacerdotis t. 1. d. 11. q. 1. n. 28. p. 705. quæ habet pro obiecto præſentiam corporis Chriſti, eamque efficit per verba. q. 2. n. 1. p. 707. quia ſunt vera, & vt ſint vera ibid. Chriſtus in Euchariſtia an habeat extenſionem t. 3. d. 2. q. 1. n. 12. p. 39. quare nec videat, nec videatur n. 14. p. 40. ibi non eſt ſubſtantia panis t. 2. d. 1. q. 1. n. 11. p. 27. quaré non annihiletur t. 3. d. 1. q. 1. n. 4. p. 4. ſola quantitas eſt ſine ſubiecto d. 2. q 3. n. 11. p. 56.

EVIDENTIA.

Quid & quotuplex ſit ? t. 1. d. vlt. q. 5. n. 2. p. 899. an euidentia metaphyſica ſit perfectiſſima ? n. 3. p. 840. an poſſit coniungi cum actu incerto ? nu. 4. & 5. p. 841. an poſſit coniungi cum actu obſcuro ? n. 22. p. 860. V. opinio. An poſſit falſificari id quod eſt euidens euidentia morali & phyſica ? q. 3. n. 22. & 23. p. 833. & t. 4. d. 1. q. 2. n. 20. p. 28.

FE-

F.

FELICITAS.

Quid & quotuplex ſit? t. 3. d. 17. q. vlt. n. 1. & 2. p 683. obiectiua eſt bonum infinitum. n. 3. p. 584. in vita præſenti nemo poteſt eſſe felix ibid. naturæ rationali eſt debita felicitas. n. 4. p. 685. non tamen in inſtanti creationis. ibid: eſt præmiū meriti ibid. quare ſolus Chriſtus eam non habuerit ex merito ibid: in felicitate naturæ rationalis conſiſtit Dei gloria n. 5. p. 687. appetitus felicitatis eſt naturalis. d. 11. q 3. n. 5. p. 437. non poteſt eſſe falſus. n. 7. p. 440. eſt appetitus boni ſempiterni. n. 6. & 7. p. 439. ad felicitatem eſt neceſſaria cognitio boni æterni ibidem: quare antiqui Philoſophi varia ſenſerit de felicitate n. 11. p. 444. an ex appetitu felicitatis demonſtretur animam rationalem eſſe immortalem n. 8. p. 441. quare bona huius vitæ ſint vmbra felicitatis potius quam felicitas nu. 9. p. 443. deformitas & inhoneſtas peccati conſiſtit in contemptu veræ ſelicitatis diſp. 18. q. 4. n. 3. p. 726. quomodo in ordine ad felicitatem ſit explicandum peccatū mortale & veniale n. 6. p. 729. quare omnes eā quærant, non omnes eam inueniant t. 2. d. 11. q. 3. n. 10. & 11. p. 460.

FATVM.

Quid ſit? t. 2. d. 11. q. vlt. n. 12. p. 470. an ſit n. 13. an opponatur libertati? ibid. an Deum cogat ad operandum d. 18. q. 1. n. 1. p. 725. & t. 4. d. 14. q. 1. n. 5. p. 597.

FIGVRA.

Quæ nam ſit perfectior? t. 2. d. 18. q. 4. n. 4 p. 748. repugnat figura infinita d. 16. qu. 1. num. 11. p. 599. omnia opera artis non conſiſtunt niſi in diuerſa corporum figura d. 5. q. 1. nu. 14. p. 188. diuerſitas corporum naturaliū non poteſt conſiſtere

in

in diuerſa figura Atomorum. d. 1. q. 2. n. 32. p. 401

FINIS.

Quid ſit, & quotuplex? t. 2. d. 11. q. 1. n. 1. p. 432. an poſſit eadem actio fieri propter plures fines adæquatos? d. 10. q. vlt. n. 15 p. 429. quare omne agens agat propter finem? d. 11. q. 3. n. 6. p. 456. an bruta agant propter finem & quomodo agant? n. 8. p. 458. finis vltimus quid ſit? t. 2. d. 11. q. 1. n. 2. p. 434. alius eſt vtilitatis; alius excellentiæ. d. 18. q. 3. n. 4. p. 741. an finis vltimus vtilitatis & excellentiæ ſint inuicem ſeparabiles? n. 6. p. 744. finis vltimus obiectiuus non poteſt eſſe aliquid creatum. t. 4. d. 15. q. 2. n. 9. p. 696. debet neceſſarió eſſe aliquid increatum. n. 11. p. 698. ſolus Deus eſt finis vltimus naturæ rationalis & irrationalis. q. vlt. n. 4. p. 705. V. Deus.

FIRMAMENTVM.

An ſit ſolidum. t. 2. d. 19. q. 2. n. 7. p. 767. Vide Cęlum.

FORMA.

Quid ſit? t. 2. d. 4. q. 1. n. 4. p. 134. eam exiſtere ſaltem in homine eſt certum fide diuina. n. 2. p. 133. vnde conſtet exiſtere. ibidem: quare ſit actus. n. 5. p. 133. forma ſubſtantialis alia eſt materialis, alia immaterialis & diſcrimen inter vtramque. n. 7. & 8. p. 136. in quo ſenſu natura appelletur forma. d. 5. q. 1. n. 3. & 4. p. 181. quare dicatur filius Dei accepiſſe formam ſerui. ibid.

Forma non eſt tota quidditas compoſiti. d. 4. q. 1. n. 16. & 17. p. 139. eſt præcipua pars compoſiti. ibid. eſt principium diſcretiuum corporis naturalis. n. 18. p. 141. V. Anima.

Forma vnitur vnione diſtincta. Vide Vnio. Non eſt cauſa materiæ. d. 3. q. vlt. n. 9. p. 125. connectitur cum materia naturaliter, nu. 10. non eſſen-

diſtinctionem & ordinem, n. 2. p. 297. alia eſt realis alia rationis, n. 4. & 5. p. 298.

Prioritas naturæ quid ſit, nu. 15. p. 305. An ſit realis, nu. 6. & 7. p. 300. Eſt nobilior prioritate temporis, n. 9. p. 301. quæ non requiritur, nec ſufficit ad prioritatem naturæ, nu. 10. p. 303. Inuoluit eſſentialiter duo inſtantia naturæ, n. 21. p. 311. Explicantur ſigna naturæ, nu. 21. p. 312. In priori ſigno neque eſt effectus neque negatio effectus, n. 24. & 25. p. 313. Quæ nam cauſæ habeant prioritatem naturæ, nu. 26 p. 314. Mutua prioritas naturæ repugnat inter cauſas phyſicas phyſicé cauſantes, q 4. n. 16. p. 324. & etiam morales, q. vlt. n. 9. p. 335. non vero inter finem & media, q 4. n. 11. p 322.

Prioritas originis, quid ſit, q. 3. nu. 19. p. 310. An detur, nu. 20 p. 311. An ſit realis, n. 5. p. 299.

PROIECTA.

Mouentur ab impetu & virtute impreſſa, to. 3. d. 7. q. 2. n. 11. p. 244. Proiecta quæ mouentur motu violento, tardius mouentur in fine, n. 13. p. 245. Motus quo mouetur proiectum, eſt maior in medio, quam in principio, n. 15. p. 246.

Proportio quotuplex ſit, t. 2. d. 3. q. 1. n. 22. & 23. p. 110. an ſit aliquid diſtinctum ab extremis, t. 4. d. 3. q. 2. n. 7. p. 35. V. Relatio.

Proprium eſt quartum prædicabile, to. 1. d. 6. q. vlt. n. 7. p. 521. Quot modis accipiatur proprium, n. 4. p. 519. An conueniat omni, ſoli, & ſemper, n. 5. p. 520. non conſtituit eſſentiam, n. 8. p. 521.

PROVIDENTIA.

Quid ſit? t. 3. d. 11. q. vlt. n. 8. p. 461. An ex diuina prouidentia demonſtretur immortalitas animæ? n. 7. p. 459. An Deus habeat eandem prouidentiam naturæ rationalis ac irrationalis? nu. 10. p. 464. Qui negant animam eſſe immortalem, ne-

gant etiam Dei prouidentiam. n. 10. p. 463. An demonſtretur Deum habere prouidentiam? t. 4: d. vlt. q. vlt. n. 2. p. 720. Quomodo Deus habeat prouidentiam ſpecialem erga electos? n. 4. p. 722. In quo conſiſtat. d. 12. q. 4. n. 15. p. 538. Vtrum auferat libertatem. ibid: V. Libertas.

PRVDENTIA.

Eſt ars; t. 2. d. 5. q. 1. n. 15. p. 199. immò ars artium? ibid: Quare qui peccat contrà prudentiam per ignorantiam, mereatur veniam? ibid. An prudentia dicat ſemper verum? t. 1. d. 2. q. 5. n. 6. p. 248. An dicat ſemper verum conformitate cognitionis cum obiecto? n. 8. p. 250. An poſſit eſſe falſum iudicium prudens? n. 7. p. 249.

Q.

QVALITAS.

POteſt intendi & remitti, t. 3. d. 4. q. 2. n. 1. p. 139. Non per mutationem qualitatis, nu. 8. & 9. p. 141. Neque per maiorem radicationem. q. 3. n. 5. p. 147. Sed per gradus, q. 4. n 5 & 6. p. 151. Qui ſunt Etherogeni? q. vlt. n. 8. & 9. p. 158. V. Intenſio. Non poteſt naturaliter ſuperare octauũ gradum, q. 4. n. 13. p. 155. Sed ſupernaturaliter, n. 12. p. 154. An detur terminus paruitatis & magnitudinis in qualitatibus? n. 15. p. 155. Qualitates corruptiuæ & perfectiuæ quid ſint? q. 1. n. 2. p. 133. An producantur motu inſtantaneo, n. 7. p. 135. An contrarietas ſit adæquata ratio cur augeantur ſucceſſiuè? n. 11. p. 138.

Qualitates elementares quid ſint? d. 6. q. 1. n. 2. & 3. p. 198. Quænam ſint qualitates primæ & ſecundæ? n. 3. p. 199. An qualitates contrariæ ſint in elementis? p. 200. Quare qualitates elementa-

res

res ſint refractæ in mixtis? n. 14. p. 205. An ſingula elementa habeant duas qualitates, vnam in ſummo, & aliam propé ſummum? q. 2. n. 1. p. 209. V. Elementa. Huiuſmodi qualitates immediaté attinguntur á ſenſu tactus, n. 2. p. 210. Primæ qualitates ſunt omnes poſitiuæ, n. 14. p. 215. Sunt etiam actiuæ, n. 17. p. 216. Diſtinguuntur á corpuſculis calidis & frigidis, n. 19. p. 216.

QVANTITAS.

Diſtinguitur realiter á materia, t. 3. d. 2. q. 2. n. 11. p. 44. eſt proprietas materiæ, n. 13. p. 45. Emanat á materia, n. 14. p. 45. An emanet actiué. ibid. Eſt incorruptibilis. ibid. Eſt ipſa formalis impenetrabilitas, q. 1. n. 10. & 11. p. 38. An accidentia habeant eandem quantitatem cùm ſubſtantia? q. 2. n. 21. p. 49. Quantitas facit materiam diuiſibilem quantitatiué, non entitatiué, n. 23. p. 50. non ſuſcipit magis & minus, n. 27. p. 57. eſt ſubiectum proximum accidentium, q. 3. n. 8. & 9. p. 55. Quare non ſit primum, & fundamentale ſubiectum? n. 14. p. 58. Oſtenditur magna conſonantia inter quantitatem & materiam, n. 13. p. 57. quantitas remanet in Sacramento Euchariſtiæ, q. 2. n. 12. p. 44. & n. 21. p. 49. V. Euchariſtia. An conſtet ex punctis indiuiſibilibus. V. Continuum.

Quidditas rerum materialium eſt obiectum motiuum intellectus humani, t. 1. d. 3. q. 2. n. 12. p. 368. Quomodo immaterializetur ab intellectu? nu. 13. Tota quidditas compoſiti non eſt ſola forma. t. 2. d. 4. q. 1. n. 16. p. 149. V. Forma.

R.

Rarefactio quid ſit, & quomodo fiat? t. 3. d. 6. q. 3. n. 18. p. 226. V. Condenſatio.

Propoſitio de futuro contingenti abſoluto eſt determinatè vera vel determinatè falſa, q. 2. nu. 5. p. 757. & etiam de quolibet conditionato, qu. 3. n. 6. p. 777. per quid vtraque ſit vera, ibidem an Deus ab æterno cognouerit omnia futura contingentia abſoluta in ſe ipſis, qu. 2. nu. 10. p. 760. & conditionata, q. 3. nu. 8. p. 779. futura non ſunt futura, quia Deus nouit, ſed ideò Deus nouit quia ſunt futura, qu. 2. n. 11. p. 761.

G

GENERATIO.

Qvid ſit? t. 3. d. 1. qu. 1. n. 5. p. 2. & 5. an includat mutationem & imperfectionem, n. 1. p. 2. an forma, quam Deus produxit in principio mundi, fuerit generata, n. 2. p. 3. diſcrimen inter generationem compoſitam & generationem ſimplicem, ibid. an detur generatio conuerſiua, nu. 5. p. 5. quot ſint eius principia, n. 6. p. 6.

Terminus formalis & totalis generationis quid ſit, q. 2. nu. 2. p. 13. totalis eſt totum compoſitum, n. 14. p. 15. formalis eſt ſola vnio: n. 10. & 11. p. 16. an in generatione ſubſtantiæ detur reſolutio vſque ad materiam primam, q. vlt. num. 7. & 8. p. 30. quomodo intelligenda ſit definitio generationis, n. 12. p. 32. eius ſubiectum, d. 2. p. 34. & cauſa efficiens; d. 3. q. 1. n. 7. p. 61. affertur ratio, quare in rebus creatis ſit virtus generatiua, n. 9. p. 62. an ſubſtantiam immediaté generent ſola accidentia, q. 2. n. 13. p. 69. V. accidentia.

In generatione datur ſeries, q. 3. nu. 12. p. 86. quid ſit hæc ſeries, nu. 81. p. 82. quæ nam ſit ratio formalis ſub qua homo generat hominem; nu. 14. pag. 90. quod nam ſit diſcrimen inter cauſam primam, quæ producit ſpeciem & cauſam ſecundam, quæ eam propagat, nu. 14. p. 89. quare ſubſtan-

tia non poſſit generare ſub ratione ſpecifica, n. 12. & 13. p. 86. an poſſit vna ſubſtantia producere modo non ſummè connaturali. nu. 18. 19. pag. 93. quare generatio differat à creatione, q. 4. num. 1. p. 104. quare creatura poſſit generare & non creare, n. 29. p. 26. Vide creatio.

Generatio vitalis quid ſit, d. vlt. qu. 1. num. 5. pag. 792. an virtus generatiua detur in omnibus animalibus, nu. 1. p. 786. an in diuinis detur vera generatio, d. 16. q. 2. n. 10. p. 657. differentia inter generationem Verbi diuini & cæterarum rerum, nu. 8. p. 651. quare Dei Verbum ſit perfectiſſima imago generantis, n. 7. p. 654. quare Deus non poſſit generare, niſi vnum filium, t. 2. d. 16. q. 5. n. 9. & 10. p. 619. an in generatione producantur ſucceſſiuè plures animæ, t. 3. d. vlt. q. 2. nu. 7. pag. 796. V. Anima.

GENVS.

Quid ſit, t. 1. d. 6. q. 3. nu. 7. p. 503. quid definiatur in eius definitione, n. 18. p. 507. quare prædicata tranſcendentalia non ſint genus, q. 2. n. 7. p. 500. in quo ſenſu appelletur genus humanū multitudo hominum, q. 3. n. 1. p. 500 an detur genus generis, qu. 1. n. 12. p. 497. an detur genus indefinibile? ibid. V. Prædicabile, genus formaliter non datur à parte rei & quare, d. 3. qu. 2. num. 28. p. 299. ſed datur tantum per intellectum, nu. 30. p. 301. quænam compoſitio detur ex genere & differentia, n. 31. p. 502. quid ſit genus phyſicum & genus logicum, d. 7. q. 4. n. 17. p. 549 differre in materia ſenſibili eſt differre in genere phyſico, n. 18. p. 550. quare Deus non contineatur in aliquo genere phyſico vel logico? n. 19. p. 553. an ens ſit genus? t. 4. d. 2. qu. 3. nu. 8. p. 64 quid ſint genera ſubalternatim poſita? t. 1. d. 8. q. 3. num. 9. p. 615.

p. 615. rationes genericæ præſcindunt ſolùm formaliter à rationibus inferioribus, diſp. 3. quæſt. 5. num. 18. pag. 347.

GLORIA.

Quid ſit? t. 2. d. 18. q. 2. n. 4. p. 747. gloria Dei eſt indiſtincta à noſtra fælicitate, n. 5. p. 742. an Deus omnia creauerit propter gloriam ſuam, n. 6. p. 743. an Deus ſit liber ad volendam gloriam extrinſecam? n. 8. p. 745. an habeat neceſſitatem volendi gloriam maiorem, nu. 9. p. 746. an gloriam extrinſecam velit ex abundantia perfectionis? n. 8. pag. 745.

GRATIA.

Gratia diuina quomodo ſit lux ſupernaturalis animæ? t. 4. d. 6. q. vlt. n. 14. p. 241. vtrum anima, quæ caret gratia ſit intrinſecè deformis, num. 16. p. 243. Deus creauit omnes Angelos cum gratia ſanctificante, diſp. 10. q. 2. n. 11. p. 461. an carere gratia ſit malum naturæ rationalis? d. 9. q. 3. nu. 9. pag. 416.

GRAVIA ET LEVIA.

Grauitas quid ſit? tom. 3. d. 7. qu. 1. n. 7. p. 231. quis nam ſit eius finis, nu. 8. pag. 232. quibus elementis conueniat, ibid. an ſit diſtincta à corpore graui & à primis qualitatibus, quæſt. 2. n. 8. & 9. p. 238. an corpora grauia ſint per ſe ipſa radicaliter grauia, n. 11. p. 239. quid ſit corpus graue, nu. 2. p. 235. quid ſit æqualis vel inæqualis grauitas? n. 4. p. 237. an grauia moueantur celerius in fine motus, num. 10. pag. 244.

Leuitas quid ſit? tom. 3. d. 7. q. 1. nu. 7. p. 241. non eſt effectus raritatis, nu. 9. p. 232. eſt forma poſitiua, ibid. p. 233. an aliqua elementa habeant leuitatem? nu. 8. p. 232. an elementa in proprijs locis grauitent? q. vlt. n. 9. p. 252, quare grauitent ex-

extra propria loca? n. 11. p. 252. V. Elementa.

GVSTVS GVSTABILE.

Quid ſit ſit guſtus? tom. 3. d. 19. q. vlt. num. 6. p. 780. an ſit in omnibus animalibus, ibid. organum guſtus eſt lingua, n. 7. p. 781. an percipiat ſaporem per aliquod medium? n. 7. p. 782. an ſenſus guſtandi ſit vehementior in euſpide linguæ? nu. 7. pag. 781. ſapor eſt ſenſibile proprium huius ſenſus. num. 8. p. 782. ſe propagat ſecundúm eſſe intentionale. nu. 9. p. 783. ſecundúm eſſe reale non inhæret organo guſtus, ibid.

H

HAbitus acquiruntur ex actibus frequentatis to. 3. d. 12. q. 1. n. 1. p. 478. an ſint habitus. num. 2. p. 469. ſola ſubſtantia rationalis poteſt operari ex habitu, n. 8. & 9. p. 472. quare non poſſint animalia? n. 11. p. 474. explicatur facilitas, quam ſiue habitu acquirunt bruta ad operandum, num. 14. p. 475.

Subiectum habitus eſt intellectus, q. 2. num. 7. p. 478. eſt etiam voluntas, ibid. p. 479. an ſubiectum habitus ſit appetitus ſenſitiuus hominis, & eius phantaſia? n. 10. p. 481. quomodo intellectus ſit capax habitus circa aſſenſum veritatis euidentis? n. 9. p. 481. an omnes habitus, qui pertinent ad intellectum ſint virtutes intellectuales? num. 9. p. 481. quare habitus qui ſunt in voluntate ſint habitus morales? n. 8. p. 480.

Habitus eſt qualitas diſtincta á ſpeciebus ordinatis, qu. 3. n. 3. p. 485. influit in genere cauſæ efficientis, ibid. & ſpecies in genere cauſæ obiectiuę, d. 14 q. 2. n. 16. p. 559. an poſſit amitti habitus remanente memoria actuum præteritorum, d. 12. q. 3. n. 5 p. 486. hábitus ſupernatusales debent neceſſarió eſſe qualitates diſtinctæ à ſpecie-

bus

bus coordinatis,n.8.p.488.oſtenditur diſcrimen inter facilitátem ad operandũ, quam conferunt habitus & illã,quã conferũt ſpecies,n.16.17.& ſeq.p.490. quare habitus ſint qualitates intẽtionales,n.21.p.792

An habitus ſit perfectior actu, n. 12. p. 493. habitus eſt aliquod medium inter potentiam & actũ ibid. an requirantur plures actus ad generandum habitum, ibidem:quomodo plures actus generent habitum, ibid. p. 494. habitus eſt cauſa cur creſcat facultas operandi, q. vlt. n,1,p,495, habitus naturales augent potentiam, ſupernaturales veró dant potentiam. ibidem, habitus ſunt cauſa actuum, n. 2. p. 495. an habitus intendantur, & remittantur? nu. 3. p. 496. quomodo actus remiſſior intendat habitum, nu. 3. p. 497. quomodo habitus deſtruantur, nu. 5. p 497. Habitus ſcientiæ quid ſit. Vide ſcientia.

HVMIDITAS HVMIDVM.

Quid ſit, t. 3. d. 6. q. 1. n. 3. p. 199. cui elemento conueniat? q. 2. n. 1. p. 209. an corpora humida facile terminentur termino alieno? n. 3. p. 211. humiditas non conſiſtit in corpuſculis humidis: nu. 11. & 12. p. 214. eſt qualitas poſitiuá, num. 16. p. 215. eſt etiam qualitas actiua, n. 18. p. 216.

I

IDEA.

AN ſint, & quid ſint ideę Platonicę? t. 1. d. 4. qu. 5. n. 1. 2. & 3. p. 400 an mundus ſit factus ex aliqua idea, d. 1. qu. 1. num. 24. pag. 166. quid ſit & quotuplex ſit idea? t. 2. d. 11. q. vlt. n. 1. & 2. p. 462. an influat in effectum, num. 3. p. 463. opera naturæ ſunt facta ex aliqua idea, n. 4. p. 464. hæc idea eſt verbum diuinum, n. 5. p. 465. quomodo eſſentia diuina ſit idea omnium rerum, num. 6. p. 466. an ſint plures ideæ in mente diuina, nu. 7. p. 477.

p. 477. cauſa idealis quare reducatur ad efficientem, n. 6. p. 466.

IDEM. IDENTITAS.

Quid ſit idem, quod eſt omninó idem, & idem quod non eſt omnino idem? t.4. d.1. q.3. n. 2. & 3. & t. 1. d. vlt. q. 5. n. 6. p. 842. an idem quod non eſt omninó idem poſſit ſuſtinere prædicata contradictoria? t. 4. d. 1. q. 3. n. 7. p. 34. identitas eſt ſumma communicatio & ſumma vnitas, t. 1. d. 3. q. 1. n 6. 7. p. 273. eſt affirmabilitas in recto vnius de alio, nu. 15. p 276. quid ſit identitas adæquata & inadæquata? t. 4. d. 1. q. 3. n. 5 p. 33. repugnat identitas finita, quæ non eſt omnimoda identitas, n. 9. 10. p. 36. non repugnat identitas finita, quæ non eſt omnimoda identitas, n. 12 p. 37. immò eſt neceſſaria, n. 13. p. 38. identitas, quæ non eſt omnimoda, eſt perfectiſſima in genere identitatis, n 14. 15. p. 39. quare non opponatur Myſterio Trinitatis hoc principiam *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*? n. 18. p. 41. an identitas conſiſtat in indiuiſibili? n. 22. p. 44. V. Diſtinctio.

IGNIS.

Quid ſit? t. 3. d. 6. qu. 1. n. 2. p. 198. conſtat ex materia & forma, nu. 1. p. 297. an ſit calidus in ſummo, q. 2. n. 1. p. 209. eſt ſummé leuis, diſp. 7. q. 1. n. 8. p. 232. & n. 13. p. 234. proprius eius locus eſt ſpatium infra orbem lunarem, tom. 2. d. 18. q. 4. n. 8. p. 271. an ignis ſit in conçauo Lunę? n. 7. p. 751. an moueatur in orbem motu naturali, d. 5. q. 2. n. 23. p. 208.

Illuminatio V. Lux & Lumen.

IMAGINATIO.

An diſtinguatur á ſenſu communi? t. 3. d. 19. q. 1. n. 10. p. 751. an ſit in omnibus brutis? n. 10. p. 750. V. Phantaſia.

IMPETVS.

Quid ſit impetus ſiue impulſus? t.3. d. 1. q. 3. n.1. p. 241. an ea quæ habent impetum maiorem velocius moueantur? num. 2. pag. 242. an cauſa motus celerioris in fine ſit impetus? num. 14. p. 245.

IMPOSSIBILE IMPOSSIBILITAS.

Impoſſibile quid ſit? t. 4. d. 8. qu. 1. n. 1. p. 311. poteſt cognoſci, n. 2. p. 312. etiam ab intellectu diuino & angelico, q. 3. n. 23. & 24. p. 342. non eſt opus cognitione quæ fingat ad cognoſcendum impoſſibile, nu. 29. & 30. p. 346. an impoſſibile ſit aliquid ſimplex vel compoſitum. n. 34. p. 350. quomodo Deus cognoſcat impoſſibile? num. 27. p. 344. & n. 37. p. 352. quo pacto omne impoſſibile includat contradictoria? qu. 4. nu. 13. & 14. pag. 360. quomodo duæ propoſitiones quæ affirmant contradictoria de obiecto impoſſibili ſint ambæ veræ? nu. 16 17. & ſequ. p. 363 intellectus non ſibi contradicit dum concedit, vtrunque contradictorium futurum in hypotheſi impoſſibili, & quare? q. 1. n. 14. p. 318. & n. 16. p. 319. an veritas vnius contradictorij ſit falſitas alterius in cognitione entis impoſſibilis? n. 18. p. 321.

Impoſſibilitas actualis non eſt intrinſeca enti impoſsibili, d. 4. q. 3. n. 8. 9. & ſeq. p. 223. & ſeq. impoſſibilitas potentialis quid ſit? q. 2. n. 4. p. 119. an iſta ſit poſſibilis ſimul & impoſſibilis & quomodo, q. 4. nu. 21. p. 366. quomodo diuina omnipotentia ſit actualis impoſſibilitas rei impoſſibilis, q vlt. n. 13. & 14. p. 135. impoſsibilitas actualis chimæræ eſt ipſa negatio chimæræ & quare, q. 3. n. 8. p. 123.

Impoſsibile non poteſt mouere obiectiué voluntatem & intellectum, t. 3. d. 14. q. 4. nu. 1. p. 584. poteſt tamen mouere voluntatem in genere cauſæ fina-

finalis ? t. 2. d. 11. q. 2. n. 14. p. 447. non cognoſcitur per ſpecies proprias, tom. 4. d. 8. q. 1. nu. 12. p. 317. per quas ſpecies cognoſcatur, ibid. eſt obiectum terminatiuum non motiuum intellectus, num. 10. pag. 316.

INCOGNOSCIBILE.

An ſit aliquod impoſſibile, t. 4. d. 8. q. 2. n. 2. p. 324 an poſsit cognoſci? ibid. non ſequitur vlla contradictio in cognitione quæ cognoſcit incognoſcibile & quare? n. 4. 5. & ſeq. p. 326.

INDIVIDVATIO INDIVIDVVM.

Indiuiduatio effectuum determinatur à cauſis ſecundis, adeoque datur ſeries effectuum. t. 3. d. 3. q. 3. n. 12. & ſeq. p. 86. in quo conſiſtat indiuiduatio. t. 1. d. 7. q. 4. n. 9. p. 546. vnum indiuiduum differt per ſe ab alio, n. 22. p. 552. quomodo indiuiduatur per ordinem ad circumſtantias diuerſas? n. 24. p. 553. omnia indiuidua habent aliquam diſſimilitudinem entitatiuam, qu. 3. n. 7. & ſequ. p. 555. an duo indiuidua intra eandem ſpeciem habeant æqualem perfectionem? t. 4. d. 12. quæſt. 1. num. 20. p. 505.

Indiuiduum quot modis vſurpetur? tom. 1. d. 6. q. 4. n. 2. p. 509. quænam ſint proprietates indiuiduales, n. 3. & 4. p. 510. an iſtæ proprietates ſint ſeparabiles ab indiuiduo, n. 5. p. 511. ab omnibus indiuiduis poteſt abſtrahi vna ratio indiuidui communis omnibus, n. 8. 9. & ſeq. p. 512.

INDIVISIBILE.

Indiuiſibile mathematicum quid ſit? t. 2. d. 17. q. 1. n. 5. p. 648. nec datur nec poteſt dari, nu. 6. & 7. p. 650. an dentur indiuiſibilia copulatiua & terminatiua, q. 2. n. 15. p. 651. quid ſit indiuiſibile formaliter & diuiſibile æquiualenter, q. 5. nu. 2. pag. 639. hæc indiuiſibilia componunt continuum

permanens. n. 6. p. 694. & ſucceſſiuum. q. 6. n. 9 p. 705. V. Continuum.

INFINITVM.

Quid ſit? t. 2. d. 16. q. 1. n. 5. p. 589. quid ſit infinitum in quantitate virtuali? n. 8. p. 590. hoc infinitum non repugnare. q. 2. n. 2. p. 594. quid ſit infinitum in quantitate formali? q. 1. n. 8. p. 590. infinitum terminatum eſt chimera. n. 10. 11. & ſeq. p. 59. quid ſit infinitum cathegorematicum & ſyncathegorematicum? n. 19. p. 593. nullum infinitum cathegorematicum eſt in rerum natura præter Deum. q. 2. n. 6. p. 595. immò eſt impoſſibile. q. 3. n. 6. p. 601. an ex ſyncathegorematico ſequatur cathegorematicum? q. 4. n. 5. p. 610. quomodo ex æternitate futura non ſequatur? n. 12. p. 613. ex diuina omnipotentia ſequitur eſſe impoſſibile infinitum cathegorematicum. q. 5. n. 8. p. 618. Vide Deus.

INSECTA.

Habent animam diuiſibilem. t. 3. d. 9. q. 3. n. 14. p. 336. quare diuiſa viuant. n. 28. p. 346.

INSTANTIA.

Inſtantia indiuiſibilia an dentur in tempore? t. 2. d. 17. q. 2. n. 22. p. 665. Vide Indiuiſibile.

INTELLECTVS ET INTELLECTIO.

Intellectus habet eſſe omninó immateriale. t. 3. d. 10. q. 1. n. 8. p. 364. quomodo demonſtretur eius immaterialitas ex ipſius operatione. q. 2. n. 10. 11. p. 370. poteſt omnia cognoſcere. d. 13. q. 1. n. 9. & 10. p. 626. cognoſcit infinita. n. 8. p. 625. ratio formalis ſub qua cognoſcit eſt ratio entis. n. 11. p. 626. & n. 13. p. 627. intellectus an & quomodo faciat vniuerſale? d. 10. q. 2. n. 14. 15. p. 375. & t. 1. d. 4. q. 2. n. 12. p. 377. quo pacto accipiat cognitionem à ſenſu? t. 3. d. 15. q. 2. n. 9. & 10. p. 632.

quid

quid ſit intellectus agens? n. 7. p. 630. an iſte intellectus producat ſpecies? ibid. quis intellectus ſit perfectior agens ne an paſſibilis? n. 14. p. 635. an faciat vniuerſale? t. 1. d. 5. q. 3. n. 14 p. 482.

Intellectus creatus non poteſt naturaliter videre Deum & quare? t. 4. d. 15. q. 2. n. 12. p. 698. poteſt eleuari ad videndum Deum. t. 4 d. 7. q. 1. n. 9. p. 259. per formam extrinſecam. q 3. n. 11. p. 275. de facto eleuatur per qualitatem intrinſecam. n. 14. p. 278. hæc qualitas eſt lumen gloriæ. ibid: influit immediatè in ipſam viſionem Dei. q. 4. n. 11. p. 284. & n. 17. p. 288.

Intellectus creatus non poteſt habere realem identitatem cum intellectione. t. 1. d. 9. q. 5. n. 11 p. 675. increatus poteſt & debet. t. 3. d. 8. q. 4. n. 9. p 300. V. Vita.

Intellectus ſpeculatiuus & practicus V. Cognitio ſpeculatiua & practica.

Intelligentia. V. Angeli.

INTENTIO.

Intentio finis quid ſit? d. 11. q. 1. n 3. p. 435. an ſit effectus cauſæ finalis? n. 15. p. 438. ordo intentionis eſt diuerſus ab ordine executionis. n. 3. p. 435. quare primum in intentione ſit vltimum in executione? ibid.

INTENSIO ET REMISSIO.

Quid ſit? t. 3. d. 4. q. 1. n. 3. p. 133. quomodo intendatur & remittatur motus localis & quilibet actus vitalis? q. 2 n. 1. p. 139. intenſio & remiſſio in qualitatibus tám corruptiuis quám perfectiuis non fit per mutationem qualitatis. n. 8. & 9. p. 141. quomodo fiat? q. 4. n. 5. p. 151. gradus qui intendunt qualitatem ſunt etherogenei. q. vlt. n 8. p. 158. V. Qualitas.

Le-

L.

Leuitas V. Grauitas.

Lingua V. Voces.

LOCVS.

QVid ſit locus intr. & extr.? t. 2. d. 12. q. 2. n. 2. & 3. p. 484. an partes ſint in toto tanquam in loco? n. 6 locus intrinſecus eſt diſtinctus á re & loco. n. 13. p. 488. an Deus ſit in loco per vbicationem diſtinctam? n. 17. p. 490. quidquid eſt debet alicubi eſſe. q. vlt. n. 5. p. 493. an mundus & cęlum ſupremum ſint in loco? q. 2. n. 18. p. 491. V. Vbicatio.

Quid ſit ſpatium imaginarium? t. 2. d. 14. qu. 3. n. 1. & 2. p. 553. an ſit aliquid præter ſpatium poſſibile? n. 4. p. 555. an Deus ſit in ſpatijs imaginarijs, n. 5. & 6, p, 556:

Locutio V. Voces,

LOGICA:

Logica eſt vna ex quatuor ſcientijs primarijs, t. 1. d. vlt. q. vlt. n. 5. p. 870. in qua abſtractione fundetur. n. 12. p. 873. & quo lumine vtatur. n. 14. p. 875. eius obiectum eſt ens rationis logicum, ſiue ens intentionale. d. 1. qu. 1. nu. 8. & ſequ. p. 157. quare differat á Metaphyſica. n. 26. p. 167. an ſit ea vniuerſalior? d. vlt. q. vlt. n. 18. p. 877. an ſit nobilior cęteris ſcientijs? n. 20. p. 878. eſt ſpeculatiua ſimul & practica. d. 2. q. 3. nu. 5. p. 225. verſatur circa operationes intellectus tanquam formam logicam non tanquam formam phyſicam. d. 1. q. 4. n. 6. 7. p. 178. quare habet pro fine accommodare cognitionem rebus. q. 5. n. 5. & 6. p. 182. eſt virtus ſecundum omnem ſui partem. d. 2. q. 5. n. 6. p. 240. diuiditur in docentem & vtentem. q. 5. n. 10. p. 262. quomodo ſit neceſſaria ad acquirendas ſcientias? q. vlt. n. 5. p. 267.

LIBERTAS LIBERVM.

Quid ſit libertas indifferentiæ & libertas á coactione t.3. d.18. q.1. n.4. p 691. an detur libertas indifferentiæ in voluntate humana? n.10. p.693. libertas eſt intrinſeca actui libero q.2. n 7. p.701. di, ſparitás inter actum liberum & actum verum, quæ nam ſit? n.11. p.704. eſt impoſſibilis pura omiſsio libera q.3. n.8. & 9. p.711. potentia libera eſt maior, quam non libera & quare? n.12. p.714. neceſsitas antecedens tollit libertatem t.4. d.12. q.5. num.16. p.546. conſequens non poteſt eſſe liberum cui non eſt liberum antecedens q.6. n.8. p.563.

Libertas contrarietatis & contradictionis quid ſit? t.3. d.18. q.3. n.19. p.719. an libertas contradictionis inferat poſsibilem puram omiſsionem liberam? n.20. p.721. libertás moralis, quid ſit? q.4. n.1. p.724. voluntas humana habet libertatem peccabilem n.4. p 724. hæc libertas includit defectum libertatis nu.1. p.724. quomodo libertas, quæ eſt bona ſit cauſa peccati? n.8. p.730. an omnis libertas creata ſit eſſentialiter peccabilis nu.4. p.738 & n 9. p.731.

In Deo datur libertas indifferentiæ t.4. d.14. q.1. nu.4. p.597. quomodo differat a libertate creata? n.6. p.598. quare ſit immutabilis? n.11. p.603. omnes actus liberi Dei fuere æterni q.2. nu.14. p.617. eorum complementum non eſt aliquid extrinſecum Deo temporale q.3. nu.8. p.629. vel æternum q.4. n.3. p.646. ſed eſt aliquid intrinſecum Deo q.5. n.10. p 657. explicatur modus, quo eſt intrinſecum Deo complementum contingens ibid. contingentia huius complementi eſt denominatiua non entitatiua q. vlt. n.14. p.676 explicatur contingentia denominatiua ibidem V. Deus.

LVNA

LVNA V. COELVM.

LVX, LVMEN, LVCIDVM.

Quid ſit lux & lumen? t.2. d.vlt. q.1. nu.2. & 5. p.778. & 780. producitur in inſtanti n.4. p.779. eſt nobiliſſima qualitas in genere qualitatis materialis n.5. p.781. nullum habet contrarium & intenditur per additionem gradus ad gradum ibid. non eſt qualitas intentionalis ſed phyſica & naturalis num.11. p.784. videtur per ſpeciem intentionalem num.19. p.786.

Corpus luminoſum quid ſit q.2. n.1. & 2. p.789. an debeat eſſe corpus diaphanum ibid. corpora ſublucida quid ſint? nu.3. p.790. an præter ſolem ſit aliquod corpus cæleſte, quod habeat lucem ab intrinſeco n.2. p.791. an corpora glorioſa habeant lucem ab intrinſeco? ibid. lumen eſt qualitas per quam corpora cæleſtia águnt in mundum elementarem q. vlt. nu.5. p.797.

M

MATERIA MATERIALITAS.

MAteriale quot modis vſurpetur? t.2. d.2. q.1. nu.5. p.58. in quo ſenſu ſit verum in omnibus creaturis eſſe aliquam materialitatem ibid. quænam ſit materia in rebus logicalibus, artificialibus nu.1. p.56. quid ſit materia ſignata? t.1. d.7. q.4. n.6. p.544. ȧn omnis compoſitio & diuiſio habeat originem á materia? n.5. p.543.

Materia phyſica quotuplex ſit t.2. d.2. q.1. nu.3. & 4. p.57. materia prima, quid ſit n.10. p.61. an ſit & demonſtretur exiſtere? nu.6. & 7. p.59. ex ea componuntur omnia corpora naturalia ibid. eſt cauſa materialis formæ materialis d.8. n.8. p.348. non exiſtit per exiſtentiam formæ d.2. q.2. nu.10. p.68. explicatur quid ſit exiſtentia materiæ tranſitiua & intranſitiua n.15. p.72. quare materia ſit pura po-

ra po-

ra potentia? n.19. p.73. quomodo fiat vnum ſubſtantiale ex materia & forma? n.22. p.75. an ſit in aliqua ſpecie entis? n.23. p.75. non poteſt naturaliter eſſe ſine omni forma ſubſtantiali d.3. q.vlt. n.14. p.126. poteſt tamen ſupernaturaliter nu.16. 17 p.128. non dependet eſſentialiter à forma ſubſtantiali n 18. p.129. eſt ingenerabilis & incorruptibilis d.2. q.vlt. n.5. 6. p.98. appetit omnes formas d.3. q.2. n 10. p.114. eaſque reſpicit per potentiam à ſe diſtinctam q.1. n.9. p.103. V. appetitus & potentia.

MATHEMATICA.

Eſt vna ex quatuor ſcientijs t.1. d.vlt. n 4. p.870. eius obiectũ eſt ens extenſum n.6. p 873. & nu 15. p.875. vtitur lumine imaginationis n.14 p.874 quinam ſint apti ad ſpeculationes mathematicas? ibid. an abſtrahat ab omni materia tam ſignata, quàm ſenſibili? n.9. p.873. an mathematica ſit nobilior, quam phyſica? n. 20. p.878.

MEMORIA. REMINISCENTIA.

Memoria quid & quotuplex ſit? t.3. d.19 qu.1. n.10. p.750. quare vocetur theſaurus ſpecierum ibid. p.751. quod nam ſit eius organum. ibid. quare detur in animalibus ibid. V. Anima.

MENDACIVM.

Quid ſit mentiri? t.1. d.11. q.1. nu.10. p.694. eſt eſſentialiter illicitum & quare ibid.

METAPHYSICA.

Eius obiectum eſt ens immateriale t.1. d.vlt. qu. vlt. n.6. p.872. abſtrahit ab omni materia num.10. p.873. vtitur lumine intellectus n.14. p.875. eſt nobiliſſima omnium ſcientiarum n.20. p.877.

MISTVM. V. ELEMENTVM.

MOTVS.

Quid ſit? t.2. d.12. q.1. n.2. p.472. alius eſt inſtan-

ſtantaneus, alius ſucceſſiuus n.4. p.474. motus localis eſt eſſentialiter ſucceſsiuus, nu 5. p.475. deſumit ſuam ſpeciem à termino à quo, n.6. quiquid mouetur ab alio mouetur, n 13. p.477. an motus neuter detur? d.5. q.2. n.20.p.206.

MVNDVS.

Non fuit ab æterno, t. 2. d.18. q.1. n.1. p.725. nec potuit eſſe, n.8. p.728. eſt vnus & perfectus, q.2. n 6. p.734. non poteſt eſſe ſine ſubſtantia rationali q.3. n.4. p.740. eius figura eſt rotunda q.4. nu.3. p.747.

MVTATIO.

Quid & quotuplex ſit? t.3. d.1. q.1. n.1. & 2.p.3. includit eſſentialiter imperfectionem ibid.

N

NATVRA.

QVid ſit? t.2. d.5. q.1. n.7. p.183. eius opera ſunt perfectiora, quam opera artis, num. 28. p.194 natura creata poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis increatis, d.6. q. vlt. nu.9. p.269. V. ſuppoſitum.

NECESSITAS.

Neceſſitas antecedens & conſequens quid ſit? t. 1. d.12. q. vlt. n.8. p.790. antecedens opponitur libertati non veró conſequens, n 9. p 791 omnis neceſſitas antecedens tollit libertatem, t.4. d.12.q 5. num.17. p.546. neceſsitas moralis quid ſit? t. 1.d.2. q. vlt. n.1. p.265.

NEGATIONES.

Quid ſint? t.4. d 6. q.1. nu.1. p.200. negationes paſsiuæ nihil ſunt, n.3. p.201. actiuæ veró ſunt aliquid, n 7 p.202. non abuſiuum, q.2. nu.9. p.215. ſed poſitiuum, q.3. n.4. p.225. neceſſariæ ſunt, ens poſitiuum neceſſarium, n.11. p.227. contingentes ſunt ens poſitiuum contingens, n.14. p.228. negatio alterius mundi eſt decretum liberum Dei, qu. vlt. n.23.

n.23. p.245. adæquaté intrinſecum Deo d.14. qu.5. n.10. p.656. eſt contingens denominatiué non entitatiué, q.vlt. n.13. p.675. V. Deus.

NVTRITIO.

Quid ſit? t.3. d.vlt. q.1. n.1. p.787. potentia nutritiua eſt in omnibus animalibus & plantis n.2. V. Alimentum.

O

OBLIGATIO.

Debet eſſe mutua, vt contractus ſit iuſtus, t.1. d.11. q.1. nu.17. p.697. in quo fundetur obligatio non mentiendi? n.10. p.694. explicatur obiectum voluntatis obligantis, n.27. & 28. p.704. obligatio moralis quid ſit? t.3. d.18. qu.vlt. nu.8. p.734. non poteſt dari ſine aliqua lege, nu 18. p.739. hæc debet eſſe diuina, n.22. p.740. intimata per dictamen conſcientiæ, n.14. p.737. Deus non poteſt obligari in conſcientia, & cur? n.27. p.744.

OBIECTVM.

Quid ſit t.p. d.1. q.1. n.2. p.153. materiale quid? n.3. p.553. an debeat perfici, q.5. n.8. p.154. obiectum formale quid? q.1. n.4. obiectum attributionis quid, n.5. p.155. obiectum motiuum, & terminatiuum quid ſit? t.3. d.14. q.1. n.1. p.538. motiuum eſt cauſa obiectiua cognitionis, n.10. p.544. V. cauſa obiectiua.

ODORATVS.

Quid ſit? t.3. d.19. q.vlt. n.1. p.777. in homine eſt imperfectior. ibidem, an ſit in omnibus animalibus? q.1. n.6. p.747. quid ſit odor. q.vlt. n.3. p.779. Cur odores magis propagentur vere quam hyeme? ibid. quod nam ſit illud medium per quod odor diffunditur? num.4. p.780. afferuntur variæ ſpecies odorum ibid. quod nam ſit organum proprium odoratus? n.2. p.778.

OMNIPOTENTIA DEI.

Ponitur in manu liberi arbitrij, t. 4. d. 13. qu. 1. num. 2. p. 570. non per aliquid eidem intrinſecum, n. 8. p. 572. nec per actum voluntatis, qui non eſt volitio, q. 2. n. 5. p. 579. ſed per decretum diſiunctiuum. q. 3. n. 10. p. 586.

Eſt potentia infinita & quare? t. 2. d. 16. qu. 5. n. 8. p. 618. an poſſit facere quidquid poteſt facere? n. 16. p. 622. exhauriretur, ſi produceret infinitum cathegorematicum, n. 19. p. 624. eſt poſſibilitas omnium poſsibilium, t. 4. d. 4. qu. vlt. n. 10. p. 132. & impoſſibilitas impoſsibilium n. 14. p. 135. non poteſt producere chimæram ex infinita ſui perfectione. n. 20. p. 140. eſt adæquata ſufficientia omnium rerum, nu. 13. p. 134. & t. 2. d. 10. qu. 1. n. 20. p. 405. cur non poſsit facere, vt contradictoria ſint ſimul vera vel falſa? t. 4. d. 1. q. 2. n. 10. p. 20.

OPINIO.

Quid ſit? t. 1. d. vlt. q. 5. n. 3. p. 840. includit actualem formidinem, n. 11. p. 848. non poteſt coniungi cum actu ſcientiæ, n. 4. p. 841. quid ſenſerit Ariſtoteles de hac re? n. 5. & ibid. actus ſcientiæ non influit in actum opinionis, n. 12. p. 849. actus opinionis eſt incertus negatiuè non præciſiuè. n. 15. p. 801. affertur diſparitas inter actum obſcurum & incertum, n. 22. p. 860. actus qui affirmat connexionem fallibilem alicuius rei cum motiuo probabili, non eſt opinio, n. 19. p. 855.

P

PACTVM V. VOCES.

Paſſio eſt cauſalitas cauſæ materialis, t. 2. d. 8. q. vlt. nu. 6. p. 364. non diſtinguitur realiter ab actione, d. 10. q. 2. n. 8. p. 410.

PENETRATIO.

Quid ſit? t. 2. d. 13. qu. vlt. n. 1. p. 537. naturaliter

ter repugnat & cur? num.3.p.538. ſupernaturaliter non repugnat, nu.7. p.540. penetrabilitas eſt realiter indiſtincta à corpore penetrabili, t.3. d.2.qu.2. num.18.p.47.

PERFECTVM.

Quid ſit? t.2. d.8. q.2. n.6. p.734. quotuplex ſit? ibid. & n.9. an mundus ſit perfectus, nu.7. p.735. vide mundus.

PERSONA.

Quid ſit? t.2. d.6. q.1. n.3. p.227. an ſit ſuppoſitum? nu 4. p.228. an diſtinguatur à natura num.9. p.230. Vide ſuppoſitum. Perſonalitas diuina diſtinguitur virtaliter à natura & quare? t.1. d.3. q.3. n.13. p.310. an ſit perfectio? t.2. d.6. qu.vlt. nu.16. p.274.

PHANTASIA PHANTASMA.

Quid ſit phantaſia? t.3. d.19. q.1. nu.10. p.750. an ſit perfectior in homine, quàm in cæteris brutis? ibid. Phantaſmata quomodo excitentur, d.13. qu.vlt. nu.7. p.530. an phantaſia poſſit facere vniuerſale, t.1. d.5. q.2. n.13. p.471. V. vniuerſale.

PHYSICA.

Quid ſit, t.1. d.vlt. qu.vlt. n.5. p.870. eius obiectum eſt ens ſenſibile, nu.15. p.875. an accidentia ſint eius obiectum, nu.17. p.876. an abſtrahat à materia ſignata & ſenſibili, n.8. p.872. quo lumine vtatur, nu.14. p.874. an principia phyſica poſſint falſificari, t.4. d.1. q.2. nu.20. p.28.

PLANTA.

An detur anima in plantis, t.3. d.9. qu.1. num.4. p.314. an ſint organicæ, n.9. p.315. quomodo viuant, d.8. q.3. n.17. p.294. Vid. Vita.

POSSIBILITAS.

Poſſibile quid ſit, t.4. d.4. q.1. nu.2. & 3. p.112 includit potentiam exiſtendi, n.4. & qualem, n.6 & 7.

& 7. p.113. neque affirmat neque negat exiſtentiam, n.10. p.114. quid addat purè poſſibile ſupra poſſibile, n.13.

Poſſibilitas quid ſit & quotuplex ſit, n.27 p.117. an poſsibilitas potentialis ſit intrinſeca rei purè poſsibili, q.2. n.2. p.118. an idem dicendum ſit de poſsibilitate actuali, q.3. n.12. p.126. res purè poſſibilis actu neque eſt intrinſecè poſsibilis, neque intrinſecè impoſsibilis, n.14. p.127. quid ſit actualis poſsibilitas rei purè poſsibilis, q.vlt. n.9. p.132. V. Omnipotentia Dei.

POTENTIÆ.

Quomodo ſpecificentur, t.3. d.14. qu.1. num.2. p.540. ſunt cauſa actum, n.15. p.546. mouentur ab obiecto ſicuti materia à forma, n.16. p.548. quare indigeant obiecto, nu 17. p.549. potentia alia eſt phyſica alia intentionalis, d.3. qu.3. nu.14. p.887. quælibet potentia poteſt attingere quidquid continetur in illa ratione formali, ſub qua attingit ſuũ terminum. ibid. potentia materiæ eſt duplex, vna proxima alia remota, t.2. d.3. q.1. n.8. p.102. potentia remota non diſtinguitur realiter à materia, n.9. eſt eſſentia non proprietas materiæ, n.10. p.103. habet ordinem tranſcendentalem ad omnes & ſingulas formas ſublunares, n.12. p.104. quid ſit potentia pura negatiuè, & pura præciſiuè, n.18. p.107. V. materia.

Quid & quot ſint potentiæ vitales, t.3. d.9. q.1. n.1. p.347. influunt immediatè in ſuos actus, n.11. p.350. immateriales non diſtinguuntur realiter inter ſe, n.12. p.351. ſed ſolum formaliter, num.17. p.355. non diſtinguuntur realiter vel formaliter ab Anima, n.10. p.350. Potentiæ Animæ vegetatiuæ ſunt tres, d.vlt. q.1. n.1. p.727.

Potentiæ internæ quare dentur, t.3. d.19. qu.1.

n.9. p.749. Quot ſint? nu.10. p.751. vbi ſint? nu.9. p.749. An operētur per ſpecies acceptas á potentijs externis,n.12.p.753. Potentiæ appetitiuæ quid ſint, & quot ſint? n.13.p.754. An poſſit carere appetitu ſubſtantia, quæ habet ſenſum.ibid. V. Appetitus.

POTENTIA OBEDIENTIALIS.

Quid ſit? t.4. d.7. q.1. p.255. Eſt identificata cum creaturá, nu. 8. p.259. quotuplex ſit, nu.6. p 258. eſt in omni ſubſtantia creata, qu. 2. nu. 4 p. 264. In quo fundetur? nu.6. p.265. indiget virtute diuina, qu.3. nu.1. p.269. Quare ſit virtus tantum inchoata? qu.2. n.7. p.267. quomodò eleuetur? qu.3. n.5. p.272. ſupernaturalizatur, ibid. Non eſt neceſſe, vt eleuetur per formam intrinſecam, n.10.& 11. p. 275. Poteſt eleuari per formam intrinſecam & extrinſecam, n.14. p.277. An ſit perfectior eleuatio per formam intrinſecam? ibid. Quod ſit diſcrimen inter potentiam obedientialem actiuam & paſſiuam, n.17. p.279. potentia paſſiua non poteſt intrinſecè eleuari ad omnem actum ſupernaturalem? n.18. p. 280.

An in effectu ſupernaturali ſit aliquod prædicatum ſpecificum commune potentiæ obedientiali, qu.4. n.16. & 17. p.287. per ſe ipſam influit in actum ſupernaturalem, n.10. p 284. Quare ſit neceſſarius iſte influxus? nu.13. p.285. Tota virtus agendi neque eſt in potentia obedientiali neque in forma eleuante, n.14. p.286. An plus agat potentia obedientialis quam forma eleuans, n.18. p.288. An ſolus Deus efficiat beatum intellectum creatum qui per ſe ipſum influit in viſionem beatam, n. 17. p. 287. Poſſe eleuari ad quodlibet eſt idem, ac habere virtutem inchoatam ad quodlibet, q.vlt. n.4. p. 292. Creatura eleuabilis ad quodlibet, vel exiſtit, vel repugnat, nu.5. p.293. Non datur potentia

tentia obedientialis cuiuslibet ad quodlibet. nu.15. p.298. Ex potentia obedientiali cuiuslibet ad quodlibet ſequitur potentia obedientialis cuiuslibet ad procedendum ſe ipſum, nu. 17. p.199. Virtus inchoata eſt ſimilitudo cum effectu in prædicatis non tranſcendentalibus, n.24 p.304. Quare omnis ſubſtantia creata poſſit eleuari ad aliquos effectus non tamen ad omnes? nu.25. Qui nam ſint illi effectus ad quos poteſt eleuari? ibid. Quare potentia intentionalis poſſit eleuari ad cognoſcendum quodlibet & non poſſit potentia Phyſica eleuari ad producendum quodlibet? nu.26. p.305. An magis repugnet potentia cuiuslibet ad quodlibet in genere cauſæ paſſiuæ quam in genere cauſæ actiuæ, n. 27. p.306. Quare prædicata tranſcendentalia non poſſint communicari per potentiam obedientialem? nu.31. p.307. Quare intellectus creatus poſſit eleuari ad videndum Deum & non poſſit quodlibet eleuari ad producendum quodlibet?nu.32.p.308. Quid dicendum ſit de Aqua baptiſmatis in ordine ad producendam gratiam.n.33.p.308. Vide Aqua.

PRAECISIO.

Quid & quotuplex ſit? t.1. d.3. q.1. n.23.p.280. obiectiua in creatis repugnat. q.4. n.7. p.325. non veró formalis, q.vlt. n.11. p.346. conſiſtit in cognitione inadæquata, n 7. p.343. eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ. n.20 p.348. non ſemper eſt in ordine ad obliqua re alia diuerſa. n.29. p.554.

PRAEDETERMINATIO, ET PRAEDEFINITIO.

Quid ſit prædeterminatio? t.4. d.12. q.3. nu.1. p.515. tollit libertatem. n.12. p.514. quid ſit prædefinitio? qu.4. nu.3. p.529. dirigitur á ſcientia media. ibid. non tollit libertatem. n.5. p.530. differt á prædeterminatione. q.3. n.25. p.526. prædefinitio

finitio an tecedens ſcientiam mediam tollit libertatem. q.5. n.16. p.546. non minús, quám prædeterminatio. n.27. p.555.

PRAEDICABILE, PRAEDICATIO.

Quid ſit prædicabile? t.1. d.6. qu.1. nu.1. p.491. An poſſit abſtrahi ab omnibus prædicabilibus vna ratio prædicabilis de omnibus? nu.6. p.492. Quid ſit prædicabile in ſuppoſitione ſimplici, & in ſuppoſitione perſonali? nu.9. p.494. non repugnat vt aliquod ſit ſuperius in vna ſuppoſitione, & Inferius in alia. nu.7. p.493. An prædicabile vt ſic contineatur in primo prædicabili? nu.11. p.495. An primum prædicabile ſit genus generaliſſimum? nu.12. p.497. An diuiſio prædicabilis in quinque prædicabilia ſit adæquata & immediata? qu.2. nu.5. p.499. An vniuerſale retineat vniuerſalitatem in actuali prædicatione, d.5. qu.1. nu.19. & 20. p.454. V. vniuerſale. Prædicabilitas non deſtruitur per actualem prædicationem, nu.14. Quid ſit prædicatio directa etiam formalis? n.15. p.451.

PRAEDICAMENTA.

Quid ſit prædicamentum? t.1. d.9. qu.1. nu.1. p.618. Quid ſit linea prædicamentalis, nu.2. & 3. p.619. An ſit bona coordinatio prædicamenti ſubſtantiæ? n.4. p.620. Quod nam prædicatum debeat eſſe primum & quod nam vltimum in linea prædicamentali? nu.3. & 4. An prædicamentum ſit terminus ſecundæ intentionis, & ens rationis Logicum? nu.8. p.622. An diuiſio prædicamenti ſit optima, n.18. p.626. & qu.2. nu.7. p.633. Principale Analogatum in omnibus prædicamentis eſt ſubſtantia, qu.1. n.19. p.626. Cætera prædicamenta debent ordinari ſicut prædicamentum ſubſtantiæ, nu.20. Quare ratio entis non ponatur in prædicamento? qu.2. n.8. p.635. Ratio entis quæ diuiditur

ditur in decem prædicamenta eſt ratio abſtractiſſima entis creati, nu. 10. p. 634. An ſit neceſſaria diſtinctio realis ad ponendam diuerſitatem vnius prędicamenti ab alio? nu. 12. p. 635. An ſufficiat quælibet diſtinctio formalis? n. 13. p. 636. An Deus ſit in prædicamento? q. vlt. n. 6. p. 680. Quomodo Deus ſit ſubſtantia & non ſit ſubſtantia prędicamentalis, nu. 8. p. 672.

Quę nam ſint regulæ prædicamentales? d. 8. q. 3. n. 1. p. 608. Quid ſit regula prædicamentalis? nu. 2. p. 609. An debeat hanc regulam tradere ſcientia intentionalis? ibid. Explicatur prima regula prędicamentalis, n. 4. p. 611. Quid intelligatur nomine prædicationis formalis? ibid. An quidquid prædicatur de conſequenti debeat prædicari de antecedenti? n. 5. p. 612. Quidquid ſequitur ex conſequenti debet ſequi ex antecedenti, & cur? ibid. Quare prædicatum generis vel ſpeciei dicatur de conſequenti ſiue de termino ſuperiori & non de antecedenti ſiue de termino inferiori? nu. 6. p. 613. Explicatur alia regula prædicamentalis, nu. 7. p. 614. Affertur ratio quare hęc regula debuit ab Ariſtotele tradi in ante prædicamentis, n. 12. p. 616.

PRAEMISSAE.

An requiratur duplex præmiſſa formaliter vel æquiualenter in quolibet diſcurſu? t. 1. d. vlt. qu. 1. nu. 1. p. 804. An præmiſſæ ſint cauſa concluſionis? nu. 2. p. 805.

An intellectûs reflectat ſupra præmiſſas quando infert concluſionem? n. 5. p. 806. Præmiſſæ demonſtrationis an debeant eſſe neceſſariæ? qu. 3. nu. 8. & 9. pag. 825. An debeant eſſe certiores & priores concluſione? n. 5. p. 823. an debeant eſſe immediatæ & certiores concluſione? n. 13. p. 827.

Praxis quid ſit? t. 1. d. 2. qu. 1. n. 3. p. 198. An intel-

tur, t. 3. d. 1. q. vlt. n. 7. p. 30.

Reſurrectio corporum non eſt poſſibilis naturaliter, t. 3. d. 11. q. 2. n. 15. p. 433. An idem homo reſurget? t. 2. d. 4. q. 7. n. 22. p. 144.

S.

SApor quid ſit, & quotuplex ſit? t. 3. d. 19. q. vlt. n. 8. p. 782. eſt ſenſibile proprium guſtus, ibid. eumque immutat per ſpeciem ſui, n. 9. p. 783.

SCIENTIA.

Quid ſit? t. 1. d. vlt. q. 4. n. 1. p. 833. Eſt fructus demonſtrationis q. 3. n. 5. p. 823. datur de nouo, q. 5. n. 3. & 4. p. 835. Non conſiſtit in ſola omnipotentia, n. 9. p. 837. Eſt de vniuerſalibus, d. 4. q. 2. n. 6. p. 572. Non poteſt componi cum opinione, d. vlt. q. 5. n. 4. p. 840. V. Opinio. Quotuplex ſit? ibid. q. vlt. n. 4. p. 870. An conſiſtat in aliqua abſtractione? n. 3. p. 869. An diuerſitas ſcientiarum conſiſtat in diuerſa abſtractione, n. 7. p. 871. Explicatur lumen, quo omnes ſcientiæ vtuntur, n. 13. p. 864. Omnes ſcientiæ reducuntur ad quatuor primarias, n. 26. p. 877.

Semen influit in genere cauſæ inſtrumentalis, & quare? t. 3. d. 3. q. 2. n. 16. p. 71. An ſit animatum? d. vlt. q. 2. n. 13. p. 793.

SENSVS.

An poſſit errare? t. 1. d. vlt. q. 4. nu. 3. p. 836. Non poteſt facere vniuerſale, d. 5. q. 2. n. 11. p. 469. Indiget ſpecie, t. 3. d. 13. q. 2. n. 11. p. 513. Non reflectit ſupra ſe ipſum, d. 15. q. 2 num. 13. p. 627. Quare ſit materialis? d. 10. q. 3. n. 9. p. 384. An debeat habere in ſe modo minus materiali ſuum ſenſibile, d. 10. q. 2. n. 11. p. 371. An dentur ſenſus interni, & externi? d. 19. q. 1. n 9. p. 571. An poſ-

ſit dari ſenſus ſine appetitu? n. 13. p. 574. Quid ſit, & an ſit ſenſus communis? d. 19. q. 1. nu. 8. p. 751. ibidem.

S E R I E S E F F E C T V V M.

Quid ſit & an detur? t. 3. d. 3. q. 3. n. 12. p. 86. Explicatur in quo conſiſtat? n. 19. p. 94.

S I C C I T A S.

Eſt qualitas diſtincta a corpore ſicco, t. 3. d. 6. q. 2. n. 11. p. 214. non conſiſtit in carentia humoris, n. 15. p. 215. non habet tantum virtutis actiuæ, quantum habet calor, n. 24. p. 219.

S I G N V M.

Quid & quotuplex ſit? t. 1. d. 11. q. 1. n. 1. 2. & ſeq. p. 689. An cognitio ſit ſignum? n. 4. p. 692. An Deus ſit ſignum creaturæ? n. 2. p. 690. V. Voces.

S I M I L E. S I M I L I T V D O.

Similitudo ſumma quæ excludit omnem diſſimilitudinem eſt impoſſibilis & quare? t. 1. d. 7. q. 3. n. 15. p. 539. In omnibus indiuiduis datur ſimilitudo cum diſſimilitudine. n. 5. & 6. p. 535. Diſtinctio includit diſſimilitudinem, n. 10. p. 537. Simile non poteſt agere in ſimile, t. 3. d. 4. q. 2. n. 12. pag. 177.

S I N G V L A R E.

Quare cognoſcatur imperfecté ab intellectu humano? t. 1. d. 4. q. 2. n. 7. p. 373. An ſit magis cognoſcibile, quam vniuerſale, n. 27. p. 385.

S O N V S.

Quid & quotuplex ſit? t. 3. d. 19. q. 2. n. 3. p. 769. diſcrimen inter auditum ſoni, & viſionem coloris. n. 5. p. 772. quomodo propagetur ſonus? n. 5. p. 775.

S P E C I E S.

Quid, & quotuplex ſit? t. 1. d. 6. q. 3. nu. 3. p. 502. conſtituitur per differentiam poſitiuam, d. 7. q. 5. n. 2. p. 556. omnes ſpecies ſunt inæquales, n. 13. p. 561. an de-

detur ſpecies immultiplicabilis? V. Angeli.

Species impreſſa, quid ſit & an ſit? t.3. d.13.q.1. n.1.& 2.p.499. Eſt inſtrumentum obiecti,p.501. Eſt virtualis imago, n.3.p.503. An ſit minus materialis? nu.6. p.507. eſt Metaphyſicè neceſſaria, q. 2. n. 12 p.513. Non pendet eſſentialiter ab obiecto, q.3.n.4.p.528. Quæ nam ſit eius cauſa? n 6.p.529.

S V B S T A N T I A.

Quid ſit? t.1.d.9.q.3.n.12. p.642. caret contrario, n.7.p.640. eſt nomen vniuocum, q.4.n.4 p 647. Quare diſtinguatur ab accidente? q.5. n.10. p 655. an immediate producat ſubſtantiam? t.3. d 3.q.2. n.13.p.70. V. Accidens.

Supernaturale quid & quotuplex ſit? t.2.d.4.q.2. n.4. p.200.

S V P P O S I T V M.

Quid ſit, & an ſit realiter diſtinctum à natura? t.2. d.6. q.1. nu.9. p.230. Superaddit aliquid poſitiuum, q.2. n.8. p.236. Non poteſt vniri alteri ſuppoſito, q.3. nu 11. p.248. Poteſt tamen vniri alteri naturæ, nu.13.p.250. Eadem natura poteſt eſſe ſimul in pluribus ſuppoſitis increatis, q.vlt.n.9.p 269 Non vero in ſuppoſito creato & increato, qu. 4. n.7. p.262.

T

Tactus quid ſit, & an conueniat omnibus animalibus? t.3.d.19.q.vlt.n.10.p.783. Eſt imperfectiſſimus, ibid. reſidet in neruis, n.11.p.784.

T E M P V S.

An ſit motus? t.2. d.15.q.1.n.10.p.562. Eſt menſura ſubſtantiæ mutabilis, nu. 9 Quomodo primum mobile ſit menſura temporis? nu.11. p.564. V. Duratio.

TOTVM.

TOTVM.

An diſtinguatur á ſuis partibus? t.2.d.5.q.vlt.n.12. p.213. An ſit earum effectus? n.16.p.215.

V

VACVVM.

QVid ſit & an ſit poſſibile? t.2.d.14.q.1.n.3.p.545. An ſit poſſibilis motus in vacuo? qu.2.nu.5. p.550.

VBICATIO.

Eſt modus diſtinctus á re & loco, t.2. d.12. q.2. nu.15.p.488. Non poteſt replicari, d.13.q.2. nu.9. p.520. V. Locus & replicatio.

VERITAS FALSITAS.

Veritas quid ſit? t.1. d.11. q.2. n.1. p.706. Non eſt adæquatè intrinſeca actui vero, nu. 14. p.713. Idem actus verus poteſt in falſum tranſire, q.3.n.7. p.727. Non poteſt eſſe verus ſimul & falſus, q.vlt. n.5.p.737. Propoſitio de futuro contingenti eſt determinatè vera vel falſa, d.12.q.2.n.5.p.757. V. Futurum contingens.

VERBVM.

Verbum mentis quid ſit? t.3. d.16. q.1. nu.1. & 2. p. 644. An procedat ab omni & ſolo intellectu? n.9. p.647. An diſtinguatur á cognitione? q.2. n.4. p.652. An procedat per actionem diſtinctam? q.3. n. 6. p. 659. An ſit partus, conceptus, & filius mentis? q.2. n.7. p.655. Diſcrimen inter Verbum creatum & increatum, ibid. Verbum diuinum non perficitur ſed perficit naturam cui vnitur, t. 2. d. 4. q.vlt.n.16.p.171.

Violentum quid ſit? t.2. d.5. q.2. n.2. q.198. An Deus poſſit inferre violentiam creaturis? nu. 18. pag.216.

Virtus

Virtus quid & quotuplex ſit? t.1. d.2. q.5. nu 3. pag.239.

Viſus eſt perfectior cæteris ſenſibus, t.3.d.19.q.2. n.1.p.755. eius organum, n.3. p.757. eius ſenſibile proprium quid ſit, ibid. V. Color.

V I T A.

Quid & quotuplex ſit? t.3. d.8. q.1. nu.3. p.258. An ſit perfectio ſimpliciter ſimplex? nu.13. p.261. Debet eſſe in viuente & á viuente, nu.4. p.271. & n 16. p.277. An conceptus aſeitatis ſit conceptus vitæ, n.9. p 389.

Differentia inter vitam creatam & increatam, p.291. Quare plantæ viuant, ibid. & nu.16. p 294. Vita creata indiſtincta á viuente eſt impoſſibilis, q.4. nu 8. p.299. Increata veró eſt neceſſaria, p.300. Ad conceptum vitæ requiritur realis emanatio, n 5. p. 304. Quare Spiritus Sanctus viuat, á quó nihil emanat, n.10. p.309.

V N I O.

Eſt diſtincta ab extremis, t.2. d.1. q.2. n.17. p.152. Eſt ſubſtantia in compoſito ſubſtantiali, q.3. nu.5. p.158. Eſt vnica tantum, q.vlt. n.9. p.166. Eius ſubiectum eſt ſola materia, nu.20. p.174. Explicatur vnio hypoſtatica, n.13. p.169. An ſit poſſibilis hæc vnio? d.6. q.3. n.13. p.249. V. Suppoſitum.

VNIVERSALE. VNIVERSALITAS.

Quid & quotuplex ſit? t.1. d.4. q.1. nu.5. p.360. Eſt obiectum ſcientiæ, q.2. n.6. p.372. Non datur á parte rei, q.5. n.3. p.401. Neque in ſtatu poſſibilitatis, q.6. nu.5. p.411. Sed ſolum per intellectum, q.vlt. n.4. p.425. Quomodo fiat ab intellectu? n.7. p.427. non fit á ſenſibus, d.5. q.2. n.10. p.469. neque á Deo, q.3. n.7. p.479. Oſtenditur diſcrimen inter cognitionem vniuerſalem, & cognitionem rei in vniuerſali, d.5. q.3. n.3. p.477. An ſit perfectius

ctius cognoſcere prædicatum magis vniuerſale, d.4. q.3. nu.5. p.388. An vniuerſale retineat vniuerſalitatem in actuali prædicatione? d.5.q.1.nu.19. pag.454.

Vniuoca quid ſint? t.1.d.8.q.1.n.1.p.581. An ens ſit vniuocum? V.Ens.

VNVM VNITAS.

Quid & quotuplex ſit vnum? t.1.d.4. q.1. nu.14. p.364 An omne ens ſit vnum? t.4 d.9.q.1.n.4.p.399 demonſtratur Deum eſſe ſummè vnum, d.vlt. q.2. n.6.p.715.V.Deus.

VOCES.

Quid ſignificent? t.1.d.11.q.1.n.6. & ſeq.p.693. an ſignificent ex pacto, num. 17. p. 698. & in quo conſiſtat pactum? ibid. cur ſoli homines loquantur? n.1.pag. 689.

VOLVNTAS.

Quid ſit? t.3.d.17.q.1.n.5.p.665.eius obiectum eſt bonum, qu.3. nu.5. p.678. An poſſit amare malum? nu.10. p.682. Eſt indiſtincta ab intellectu. V.Anima.

Z

ZOOPHITA.

QVid ſint & an habeant potentiam loco motiuam? t.3.d.9.q.1.n.4.p.314.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

EX DONO CARDINALIS GABRIELLI MONASTERIO S.SEBASTIANI AD CATACVMBAS.

Pag.	Veri	Errata.		Corrige
17.	35.	habete		habeo
46.	6.	rèlir		realis
48.	1.	denmoinatio	*adde*	res denominata. 24. denõminatione denominationẽ
107.	18.	quantitatem		quantitatum
111.	12.	proprietatibus		propoſitionibus
115.	21.	perinde eſt		perinde non eſt
124.	17.	ſignificate		ſingulare
146.	3.	rationale	*adde*	ſupponit eſſe abſolutum
148.	4.	vel	*lege*	& creatum exiſtere, vel
307.	25.	perfectionis		de perfectione
313.	35.	cognoſcis		cognoſci
341.	10.	cedi,'quam		aliquam
346.	14.	argumentum, commentum,25.		habeat. hanc non habet
351.	16.	genus		hoc genus
365.	1.	poſſibilitas.		Impoſſibilitas
375.	15.	ſint		non ſiǹt
379.	21.	nunc ſit		non ſit
385.	1.	non.nunc. 16. impoſſiſilitas.		impoſſibilitas. 32. verum: verus.
390.	5.	eſſet,quod eſſet,17.		videretur. videtur.19. ſul. rei
401.	11.	cum,in,24.		debeat debent
408.	17.	quod	*dele*	quod
412.	28.	mali		boni
420.	30.	vt intelligatut		vt non intelligatur.
425.	3.	ſummam		ſumma
456.	15.	vniuerſalitet		vniuerſaltor
491.	16.	manifeſtam,manifeſtũ,30.		fabricandi, fabricandis
511.	11.	ageret		agere
557.	30.	negotiationem		negationem
562.	19.	ergo,quia	*dele*	quia
565.	11.	impedire	*adde*	actum.& non poſſim indirectè
566.	34.	ſine	*lege*	hæc enim ſine
571.	16.	abijcere ſigillatim		abiere ſingillatim.
581.	13.	propria	*adde*	alia notionalis
582.	4.	deteſtationem		determinationem
596.	9.	mutabilem.mutabile:25.		diuiuus,diuinus
616.	30.	*adde in fine* libertatis.		& in ſeq. *dele* de libertatis:
647.	3.	ſi ergo		ſibi ergo
655.	3.	difectibile		defectibile.7.in.id.
717.	35.	addoque vt		adeò vt
723.	12.	feret,foret.34.		conſeruandã. confectandã
673.	15.	diſtincta		indiſtincta

Digitized by Google